HISTORIA ECCLESIASTICA

VARIIS COLLOQUIIS DIGESTA, UBI PRO THEOLOGIÆ CANDIDATIS

Res præcipuæ, non solum ad Historiam, sed etiam ad Dogmata, Criticam, Chronologiam, & Ecclesiæ Disciplinam pertinentes, per breves Interrogationes, & Responsiones perstringuntur, & in præclaro ordine collocantur;

OPUS NOVEM TOMIS COMPREHENSUM

AUCTORE

FR. IGNATIO HYACINTHO AMAT DE GRAVESON

Sacræ Facultatis Parisiensis Doctore, & Collegii Casanatensis Theologo, Ord. FF. Prædicatorum.

EDITIO NOVISSIMA

Luculentissimis additionibus, perpetuisque adnotationibus illustrata, & continuatione usque ad annum MDCCLX. locupletata,

A P. JOANNE DOMINICO MANSI

Congregationis Matris Dei Lucensi.

TOMUS TERTIUS

COMPLECTENS

SEPTIMUM, OCTAVUM, & NONUM ECCLESIÆ SÆCULUM.

VENETIIS,

MDCCLXI.

EX TYPOGRAPHIA REMONDINIANA.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

HAud minus feliciter in rei litterariæ commodum, quam cito, lucem aſpicit publicam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ variis Colloquiis digeſtæ Volumen tertium ſæcula ſeptimum, octavum, & nonum complectens, a Reverendo Admodum Patre Ignatio Hiacyntho Amat de Graveſon, multi ſtudii, multæ doctrinæ, acris & elegantis ingenii, miræ morum ſuavitatis, & jucundiſſimi rerum & ſermonum leporis viro concinnatum, cui jure merito poteſt accommodari quod ſcribit Seneca Epiſt. 59. *Habet verba in poteſtate: non effert te oratio, nec longius quam deſtinaſti, trahit..... preſſa ſunt omnia, & rei aptata. Loqueris quantumvis & plus ſignificas, quam loqueris.* Hocce Volumen nihil fidei adverſum, nihil bonis moribus contrarium continet, quin multimoda & ſolida eruditione refertum eſt. Quare in omnium utilitatem, Theologorum in primis, a quibus diu deſiderata eſt plana & accurata Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Epitomes, prælo committetur. Datum Romæ in Conventu & Collegio S. Mariæ ſuper Minervam die 13. Novembris anni 1717.

Fr. Antonius Bardon, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor Theologus, & Cathedraticus Caſanatenſis, Ord. Præd.

ECce in Orbem litterarium prodit Volumen tertium Historiæ Ecclesiasticæ ab Reverendo admodum Patre Fratre *Ignatio Hyacintho Amat de Graveson*, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctore, & Collegii Casanatensis Theologo concinne digestum. Quod, jubente Reverendissimo Patre *Antonino Cloche* Ordinis Prædicatorum Magistro Generali, cum sedulo ac diligenter perlegerim, nihil in eo plane detexi, quod sive Orthodoxæ Fidei dogmatibus, sive Christianæ Ethices documentis, non sit consentaneum. Quid vero de reliquis præclarissimi Operis dotibus sentiam, istud quidem animo pervolvere, quam oratione complecti, longe facilius est. Cum priora ejusdem celeberrimi Auctoris de Historia Ecclesiastica Volumina perlustrandi provinciam assumpsissem, cuncta in ipsis adeo limata, docta, erudita, adamussim exacta offendi, ut nihil selectum magis, nihil jucundius, aut dici, aut excogitari posse, putarem, existimaremque. Ast, mea me fefellit opinio; clarissimus quippe Concinnator in hocce, quod præ manibus habeo, Opere, ita reconditos eruditionis fontes aperuit, gratos eloquentiæ lepores sparsit, accuratas Critices leges propinavit, Ecclesiasticos in suum quosque ordinem redegit Fastos, ita demum amœnissimum rerum gestarum campum expansit, ut seipsum superasse videatur. Quamobrem, istud omnino dignum censeo, ut typis committatur.

Datum Romæ, in Conventu Sanctæ Mariæ super Minervam, die 13. Novembris, anni 1717.

Fr. Patricius Plonket Ordinis Prædicatorum, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, & Collegii Casanatensis Theologus.

IN-

v. 113

INDEX

COLLOQUIORUM

Quæ continentur in hoc tertio Tomo.

COLLOQUIA

In Historiam Ecclesiasticam VII. & VIII. Sæculi.

COLLOQUIUM I.

COLLOQUIUM II.

COLLOQUIUM III.

COLLOQUIUM IV.

COL-

COLLOQUIUM V.

COLLOQUIUM VI.

COL-

COLLOQUIA

In Historiam Ecclesiasticam
IX. Sæculi.

COLLOQUIUM I.

COLLOQUIUM II.

COLLOQUIUM III.

COLLOQUIUM IV.

COLLOQUIUM V.

HISTO-

HISTORIA
ECCLESIASTICA
VII. & VIII. Ecclesiæ Sæculi,

Variis Colloquiis digesta.

SEptimi & octavi Ecclesiæ sæculorum Historiam, quæ magnam dicendi segetem, argumentorum varietatem, & multorum eventuum copiam suppeditat, juxta methodum a nobis hactenus observatam sex Colloquiis ita absolvam, ut inde tamen nullum Historia Ecclesiastica patiatur dispendium, nihilque eorum prætermittam, quæ ad plenam & accuratam illius notitiam desiderari possunt. In primo itaque Colloquio commonstrabimus, quo loco essent res Ecclesiæ in sæculis septimo, & octavo sub Imperatoribus, & Principibus Christianis. In altero, exhibebimus continuam seriem Episcoporum, qui in duobus hisce sæculis præcipuas Ecclesiæ Sedes, Romanam scilicet, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam & Constantinopolitanam occuparunt. In tertio referemus exordium, progressum, casum, atque interitum Hæresum, quæ in his duobus sæculis Ecclesiam infestarunt. In

quarto agemus de Conciliis, tum Generalibus, tum Nationalibus, quæ five ad proterendas obortas Hæreses, five ad sanciendam Ecclesiæ disciplinam variis in locis fuerunt celebrata. In quinto proferemus in medium Viros illustres, qui in duobus istis sæculis doctrina, & pietate in Ecclesia præfulserunt. In postremo dabimus specimen Doctrinæ, Disciplinæ, & Moralis Christianorum, qui sæculis septimo, & octavo vixerunt.

COL-

COLLOQUIUM PRIMUM.

De ſtatu & loco, quo erant res Eccleſiæ ſæculis ſeptimo, & octavo ſub Imperatoribus, & Principibus Chriſtianis.

M. Seriem jam dedimus in præcedentibus noſtris Colloquiis Chriſtianorum Imperatorum, qui ſexto Eccleſiæ ſæculo ſumma rerum potiti ſunt uſque ad *Mauricium* e Cappadocia ortum, qui adoptatus a *Tiberio* ſocero ſuo (nupſerat enim Conſtantinæ Tiberii Imperatoris & Anaſtaſiæ filiæ) habenas Imperii moderari cœpit, anno DLXXXII. Fuit autem *Mauricius* ſtrenuus Imperator, qui per ſuos Duces *Philippicum* & *Germanicum* Perſas devicit, & cum *Chagano* Avarum Rege, qui Thraciam, Mæſiam, aliaſque Orientalis Imperii regiones ferro flammaque devaſtabat, ſæpius, variiſque eventibus pugnavit. Hujus Imperatoris in Sanctos Martyres pietatem commendat *Theophylactus* lib. 6. cap. 1. ubi refert, *Mauricium* Auguſtum ex Urbe exeuntem, & marina tempeſtate exceptum, Heracleam Thraciæ urbem in Propontide veniſſe, *Glyceriæque* Virginis Martyris Templum ingreſſum maxima pietate illud fuiſſe veneratum, atque pecuniam ad partes illius Templi illato per *Avaros* incendio vaſtatas ac prolapſas iterum excitandas exornandaſque erogaſſe. Hæc Sancta Virgo *Glyceria*, ut obiter dicam, martyrium paſſa eſt ſub *Antonino* Imperatore, ut videre eſt in Actis illius martyrii ex MS. Græco-Latine ab *Henſchenio* redditis, ejuſque ſolemnis eſt apud Orientales veneratio ad diem XIII. menſis Maji, ut liquet ex variis Synaxariis, & Menæis Græcis ab eodem Henſchenio in Actis Sanctorum Bollandianis ad eumdem diem citatis. Sed, ut ad *Mauricium* Imperatorem redeamus, de illo idem Theophylactus lib. 8. cap. 14. ſcribit rem ſane memorabilem, videlicet in Urbe Chalcedonenſi ex adverſu Byzantii ſita, eſſe Templum Sanctæ *Euphemiæ* Martyris, ubi ejus ſacratiſſimum Corpus aſſervatur, & die, quo ipſa martyrium obiit, in conſpectu omnium loci Epiſcopum ſpongiis a Corpore mortuo plurimum ſanguinis colligere, quod per vaſcula vitrea ab eodem loci Epiſcopo adventantibus diſtribuitur. Huic inſigni miraculo aſſenſum præſtare noluit *Mauricius* Imperator, aſſeruitque, illud fallacium hominum commentum eſſe. Quam ob rem Sepulchrum, ut diligentius arcanum exploraret, obſignavit, quod ubi ſtata die aperuiſſet, iterum ſanguis inſtar fontis effluxit, tuncque Mauricius incredulitatem depoſuit, & ſumma impoſterum veneratione Sanctam illam Martyrem proſecutus eſt. Colitur autem Euphemia in Martyrologio Romano, & in aliis die XVI. Septembris in perſecutione Diocletianea martyrio coronata (a). Hæc de Mauricii Imperatoris pietate prodit Theophylactus, ſed illius vitia non tacens, fatetur, avaritiæ vitium, quo ille laborabat, defectionis occaſionem præbuiſſe militibus, a quibus anno DCII. *Phocas* fauſtis gratulationibus, totoque applaudente populo Imperator ſalutatus vitam Mauricio eripuit, poſtquam, ipſomet adſpectante, omnes illius filios per ſummam crudelitatem jugulari juſſiſſet. Mauricio Imperatori annos tantum Imperii viginti tribuunt *Zonaras*, *Cedrenus*, aliique paſſim Hiſtorici, ſed annos completos, ut fere fit, tantum numerant. Quo fit, ut probabilior ſit ſententia illorum, qui aſſerunt, *Mauricium* annum viceſimum primum Imperii inchoaſſe. Mauricius ſiquidem die XIV. menſis Auguſti an. DLXXXII. Tiberio Conſtantino Imperatori ſucceſſit, & exeunte menſe Novembri anni DCII. trucidatus eſt, ac ſubinde imperavit annos viginti, menſes tres, dies aliquot.

„ (a) Miraculum hoc S. Euphemiæ ſatis vetuſtum habet teſtem ac dignum, cui fides adhibeatur, Theophylactum ſcilicet (non illum ſchiſmaticum, qui XI. ſec. ſcribebat) Simocattam ſec. VII. ſcriptorem. Sed & de ſanguine ex S. Euphemiæ reliquiis fluente teſtatur etiam Evagrius, qui circa finem ſec. VI. ſcribebat. Non eſt igitur rei tam vetuſtæ & a gravibus ſcriptoribus aſſertæ fides deneganda.

D. Ex qua regione ortus erat *Phocas*, & quot annos imperavit?

M. *Phocas* e Thracia oriundus obſcuro genere, corpore & animo turpiſſimus fuit, atque per octo annos non tam Imperium gubernavit, quam tyrannidem exercuit. In primis, *Narſetem* Romani exercitus Ducem, alias rebellem; iteratis juramentis, dataque fide per *Domentziolum* nepotem ſuum de ſecuritate perfidioſe revocatum, vivum exuri præcepit, ſicque Romanum Imperium privavit Duce, poſt hominum memoriam maximo, cujus nomen adeo Perſis formidandum erat, ut, eo prolato, pueris ſuis timorem incutere ſolerent. Dein, impotenti furori ſuo Phocas laxavit habenas, multos Principes & nobiliores cives e medio ſuſtulit, in amicos Mauricii Imperatoris crudelem carnificinam exercuit, & necdum humano cruore ſatiatus *Conſtantinam* Auguſtam Mauricii uxorem, ac tres ejus filias capitibus truncari mandavit, ſævìitque promiſcue in totam familiam Mauricii, eamque

penitus internecione delevit. Hunc ſceleſtum Imperatorem, ſeu potius Tyrannum in omnes libidines effuſum *Choſroes* Perſarum Rex cædem Mauricii ulturus bello appetiit, & Meſopotamiam, Syriam, Palæſtinam, Phæniciam, Galatiam, & Paphlagoniam depopulatus eſt, multoque Romanorum ſanguine vindicavit *Mauricium* a Romanis Tyranno Phocæ proditum, vel flagitioſe deſertum. Denique anno DCX. facta conjuratione contra hunc Tyrannum, *Heraclius* acclamatus eſt Imperator, a quo in certamine profligatus *Phocas* in Regiam ſeſe recepit, quo *Probus* Patricius, & *Photius*, quem Cedrenus *Photinum* appellat, cujus uxorem Tyrannus ille vi conſtupraverat, cominus cum valida militum manu eum inſecuti ex Palatio raptum ad *Heraclium* adduxerunt, cujus juſſu dextra Phocæ ab humero præciſa & capite amputato, manus ipſius cuſpidi impoſita, a Foro per mediam Urbem traducta eſt, caput autem conto præfixum, eodem quoque modo circumlatum eſt, truncus vero corporis per ventrem raptatus ad Chalcam Hyppodromi deportatus in Foro Bovis a militibus combuſtus eſt, ſicut refert Author Chronici Alexandrini. Egregiam in hac contra *Phocam* conjuratione operam Heraclio navavit *Priſcus* gener Phocæ, & hac de cauſa ab Heraclio ſemel Imperio potito factus Cappadociæ Præfectus; ſed cum res novas moliretur, ejuſdem Heraclii Imperatoris juſſu interfectus eſt, pœnaque mulctatus ſua proditione digna. Sub *Phoca* Imperatore Templum, quod Romæ appellatur *Pantheon*, in Eccleſiam Sanctæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum Martyrum converſum fuit, & conſecratum a Bonifacio IV. Summo Pontifice, qui illud a *Phoca* petiit, & obtinuit, teſte *Anaſtaſio* Bibliothecario. Viſitur etiamnum Romæ iſtud Templum, diciturque *Sancta Maria Rotunda* ob ædificii formam.

D. Fuitne *Heraclius* optimus Imperator?

M. Heraclius inter bonos Imperatores haud dubie eſſet annumerandus, ſi graſſanti Monothelitarum Hæreſi non faviſſet, eique propoſito publice Edicto, ſive, ut dicunt, *Ecteſi*, vires roburque non addidiſſet. *Imperio aſſumpto*, ut ſcribit Theophanes, *rem omnem Romanam labefactatam reperit Heraclius. Europam enim Barbari reddiderant deſertam, univerſam Aſiam Perſæ peſſum-dederant, & Urbes integras in captivitatem abduxerant, Romanumque exercitum bellis conſumpſerant continuis.* Sed, quod magis dolendum, & æternis lachrymis proſequendum, ut verbis utar Auctoris Chronici Alexandrini, anno quinto Imperii Heraclii, ſeu Æræ Chriſtianæ DCXIV. præter bene multas Orientis Civitates, Hieroſolyma a Perſis vi ſubacta, captaque eſt multis millibus in ea Clericis, Monachis, & ſacris Virginibus occiſis. Præterea, incenſum eſt Dominicum Sepulchrum, nobiliſſima Dei Templa, & pretioſa omnia everſa; veneranda Crucis ligna una cum ſuis vaſis, quorum innumerus erat numerus a Perſis ablata ſunt: Ipſeque *Zacharias* Patriarcha in captivitatem abductus. Anno autem ſeptimo Imperii Heraclii, ſeu Æræ Chriſtianæ DCXVI. Perſæ Ægyptum, Alexandriam, & Lybiam ad fines uſque Æthiopiæ ſuam in poteſtatem redegerunt. Chalcedonem quidem occupare haud potuerunt, ſed præſidio ad eam obſidendam relicto ſeceſſerunt, quam tamen eodem anno ceperunt. Tam adverſam fortunam expertus Imperator *Heraclius*, totque calamitatibus perculſus, ſupplex a *Choſroe* Perſarum Rege pacem petiit, quam cum impetrare nullo pacto potuiſſet, ſeſe ad bellum accinxit, in ſolo Deo totius ſpei ac fiduciæ ſuæ ſacram, ut ajunt, anchoram figens. Sed cum pecuniæ inopia laboraret, argentum & aurum ex magna Eccleſia, & ex aliis ſacris Ædibus mutuatos nummos inde cudit, collectumque ex Provinciis populum militari diſciplina exercuit, & in Aſiam duxit, ubi per ſexennium cum ducibus *Choſroes* divino fretus præſidio feliciter pugnavit, & tandem anno DCXXVII. in Perſidem irrumpens in fugam vertit Choſroem Perſarum Regem, qui *Mardaſen* juniorem filium ſibi ſucceſſorem deſtinavit. Quod ægre admodum ferens *Siroes* ejus filius primogenitus in Patrem actutum arma movit, qui captus, gravibuſque onuſtus catenis conjectus eſt in carcerem. *Mardaſes*, quem nuper Choſroes Regem coronare decreverat, & reliqui ejus liberi ſub illius conſpectum e medio ſublati ſunt, quin & ipſemet Choſroes juſſu Siroïs filii ſui primogeniti ſagittis confoſſus periit. Tum *Siroes* Patris ſui necem per litteras Imperatori Heraclio nunciavit, detentos cuſtodiis Chriſtianos cum Patriarcha *Zacharia*, & vivifico ſacræ Crucis ligno reſtituit, ſicque pax Romanos inter & Perſas ſancita eſt, ſacrum Crucis Domini lignum ab Heraclio Imperatore primum Conſtantinopolim, deinde Hieroſolymam delatum eſt, indeque inſtitutus ſolemnis in Eccleſia dies feſtus Exaltationis ſanctæ Crucis, de quo legendus eſt *Florentinius* in notis ad diem XIV. menſis Septembris in Martyrologio Hieronymiano. Mortuus eſt *Heraclius* Imperator ex aqua intercute anno ætatis ſuæ ſexageſimo ſexto, æræ Chriſtianæ ſexcenteſimo quadrigeſimo primo, cum annos triginta, menſes quatuor & dies ſex imperaſſet. De *Ecteſi*, ſeu de formula fidei, quæ ſub *Heraclii* nomine fuit promulgata, commodius differemus in Colloquio tertio, ubi de Monothelitarum Hæreſi agemus.

D. Quis in Imperio ſucceſſit Heraclio?

M. Heraclio Imperatori anno DCXLI. ſucceſſit jam deſignatus Auguſtus *Conſtantinus* ejus filius, qui poſtquam menſes quatuor imperaſſet, inſtigante *Pyrrho* Patriarcha Conſtantinopolitano Hæretico Monothelita, e vivis ſublatus eſt, veneno ei propinato a noverca *Martina* Auguſta, cujus filius *Heraclius* junior, ſeu *Heracleonas* creatus eſt Imperator, qui tamen poſt ſex menſes a Senatu exauctoratus in exilium una cum matre relegatus eſt, cum hæc linguam, iſte naſum perdidiſſet. Eo amoto, factus eſt Imperator *Conſtans* Conſtantini, & Gregoriæ filius, qui fuit peſſimus Imperator, & Catholicæ Fidei defenſorum acerrimus inſectator, nihilque non molitus eſt, ut Monothelitarum Hæreſis undique vulgaretur. Hunc *Paulus* Patriarcha Conſtantinopolitanus Hæreticus Monothelita nactus ſceleris ſocium, *Typum* expoſuit,

posuit, & *Constantis* Imperatoris nomine promulgavit, quemadmodum *Sergius* sub nomine Heraclii Imperatoris *Ecthesim* ediderat. Erat autem *Typus* Edictum quoddam, quo sub specioso prætextu conciliandi Ecclesiarum pacem, silentium indicebatur de una, aut duabus in Christo voluntatibus, & operationibus. At hoc silentium, ut ostendam in Colloquio tertio, erat hæreticum, & in Ecclesiæ Catholicæ veram Religionem profitentis perniciem comparatum. *Vasques* Societatis Jesu Theologus, hallucinatus est, dum *Typum* Constantis Imperatoris putavit esse hominem Hæreticum Monothelitam. (*a*) Non solum hoc Edicto, quod *Typus* dicitur, *Constans* Imperator de Fide Catholica male meritus est, sed etiam per omnem crudelitatem, libidinem & avaritiam sese exercuit, in quorum ultionem scelerum, ita permittente Deo, a Saracenis in Oriente, & a *Grimoaldo* Longobardorum Rege bello lacessitus haud prospere cum illis pugnavit. Fratrem suum *Theodosium*, quem Diaconum inaugurari jusserat, crudeliter occidit, cujus tamen morte adeo territus est, ut ab eo tempore visus sit sibi eum videre in habitu Diaconi poculum offerre his verbis: *bibe Frater*. Quare furiis agitatus, in Siciliam navigavit, & relicta Constantinopoli, Syracusas elegit Imperii Sedem, cumque huc evocasset uxorem ac liberos, eos Constantinopolitani dimittere noluerunt. Mutatione tamen loci somnium haud mutavit miser, sed instar Caini ad recordationem sui fratricidii exhorrescens, anno tandem sexcentesimo sexagesimo octavo, Imperii vicesimo septimo, Syracusis cæsus est in balneo, situla ipsius capiti a quodam *Andrea* graviter impacta, Auctore *Mizizio* Armeno. *Constantis* Imperatoris mortem ubi rescivit *Constantinus* Constantis filius, dictus a promissa, quam gestabat, barba *Pogonatus*, in Siciliam cum ingenti Classe venit, & *Mizizium* Tyrannum una cum Patris *Constantis* interfectoribus neci tradidit. Anno itaque sexcentesimo sexagesimo octavo *Constantinus* dictus *Pogonatus*, mortuo patre *Constante*, Imperio, quod nonnullis jam antea annis, absente patre Constantinopoli administrare cœperat, solus potitus est, collegasque habuit fratres suos *Tiberium* & *Heraclium*, quos tamen anno decimo quarto Imperii sui in suspicionem rerum novandarum adductos ab Imperio amovit, solusque cum *Justiniano* filio imperavit. A Saracenis validissima classe instructis per septennium fere Constantinopoli obsessus est Imperator Constantinus Pogonatus, sed tandem ope Dei-paræ Virginis, Urbe Constantinopolitana liberata, Saracenos egregie repulit, & quidquid eorum superfuit, oborta repente procella omnino pene delevit. Verum a Bulgaris de Sarmatiæ finibus egressis magna clade disjectus pacem cum eis inire coactus est, pactam annuatim pecuniam eis persolvendo, Mysiamque incolendam concedendo, quam e suo nomine *Bulgariam* appellavere. Sub Constantino *Pogonato*, & *Agathone* Romano Pontifice celebrata fuit contra Monothelitas sexta Synodus generalis anno sexcentesimo octogesimo, Imperii Constantini Pogonati anno duodecimo. Sed de hac Synodo generali in Colloquio quarto copiose disseremus. Obiit Constantinus Pogonatus anno DCLXXXV. Imperii sui decimo septimo, ut habent Theophanes, Zonaras, & Nicephorus in Historia.

(*a*) „ Ne admiretis, quæso te, lector, hominis stupiditatem; non enim singularis est, cum „ ad offendiculum huic persimile viri etiam eruditi impegerint. P. Jacobus a S. Carolo in sua „ Bibliotheca Pontificia ex articulo fœderis Smalchaldici hominem fecit Lutheranum, quem sic „ appellat: *Articulus Smalchaldicus Lutheranus* „ &c. Carolus Molineus in suis notis ad decretum „ Ivonis nomine treguæ Dei, quam Ivo more „ ætatis suæ *trecam* appellat, designati credidit „ locum aliquem, oppidum, seu quid simile.

Mortuo Constantino Pogonato *Justinianus II.* Constantini Pogonati & Anastasiæ filius Patri successit anno DCLXXXV. ætatis suæ decimo sexto. Fuit Princeps crudelis & imprudentissimus; quippe qui omnia, quæ a patente suo de pace ac reliqua Reipublicæ ordinatione constituta fuerant, pervertit, totumque Imperium in maximum discrimen adduxit. Refert Theophanes, quod ejus Imperii initio *Abimelech* Saracenorum Calisa ad Justinianum pacis ergo Legatos misit, quam his conditionibus pepigit, ut Imperator comprimeret agmen *Mardaitarum*, qui erant Libani incolæ; Abimelech vero in singulos dies mille nummos aureos, equum, & servum Imperatori penderet, atque uterque Princeps justa & æquali portione Cypri, Armeniæ, & Iberiæ vectigalia inter sese dividerent. Hanc pacem valde Romanæ Reipublicæ probrosam ac perniciosam fuisse convenit inter omnes Historicos Bizantinos. Justinianus siquidem Imperator Mardaitas, qui a Maronitis non sunt diversi, ad duodecim millia e loco priori tollens, Romanam potentiam elevavit ac mutilavit, æneum murum, ut inquit *Cedrenus*, destruxit, Urbesque munimentis infirmas & habitatoribus his in partibus vacuas reliquit. Ad hæc, Justinianus Imperator totis tribus annis *Leontium* quemdam Patricium, qui Orientalibus copiis præfuerat, in custodia detinuit, eumque postea dimissum Græcis præposuit. At Leontius injutiæ memor & Justiniani Imperatoris in Cives Constantinopolitanos sævientis crudelitate permotus, Imperium invasit anno sexcentesimo nonagesimo sexto, Justinianum, qui annum Imperii sui decimum complebat, naso mutilatum in Chersonesam Urbem relegavit, indeque Justinianus, quod naso truncatus esset, cognominatus est *Rhitnometus*. Exulante itaque Justiniano, Imperium arripuit Leontius, classemque misit in Saracenos Africam devastantes. Sed milites re parum feliciter gesta, cum sibi a Leontio pertimescerent, Imperatorem salutarunt *Apsimarum*, a quo Leontius captus in Dalmatiam truncato naso ablegatus est, anno Impe-

rii sui tertio, seu anno æræ Christianæ DCXCVIII. quo anno *Apsimarus* dictus *Tiberius* a Classiariis militibus, ut mox dixi, Imperator in Africa renunciatus, Constantinopoli, Imperioque potitus est, quod per septem annos tenuit, hoc est, usque ad annum DCCV. quo Justinianus Imperator decimo exilii sui anno armis *Trebellii* Bulgatorum Ducis adjutus sese Imperio restituit, & *Apsimarum* rerum potientem, atque *Leontium* interfecit, ut mox ostendemus in Historiam Imperatorum, qui octavo Ecclesiæ sæculo clavum Imperii gubernarunt.

D. Statum Ecclesiæ sub Imperatoribus Christianis, qui septimo sæculo summa rerum in Oriente potiti sunt, sat superque descripsisti. Sed nihil adhuc dixisti de *Mahometo*, qui, sicut nupertime audivi a viris eruditis, novum in septimo sæculo Imperium instituendo, novamque Religionem inducendo, Christianos acriter insectatus est, suosque sectatores ad Religionem Christianam radicitus extirpandam excitavit.

M. Natus est *Mahometus* in Urbe *Mecca*, & a prædonibus Saracenis puer adhuc in Arabiam deportatus, atque Ismaelitæ cuidam Mercatori diviti venditus Camelorum curator aliquamdiu fuit; sed mortuo illo Mercatore, cui venditus fuerat, viduam illius duxit uxorem, hisque nuptiis locupletatus, mercaturæ Camelorum, cui prius vacabat, renunciavit, militiamque professus Principatum ambire, atque Christianis, ceu infensissimis hostibus, atrocissimum bellum indicere cœpit, in quo, sic permittente Deo, tam feliciter ei cessit martis alea, ut nefarii ipsius Sectatores ea jam possideant loca, in quibus alias Christi Religio maxime florebar. Sectam conflavit *Mahometus*, & pestilentem invexit doctrinam, in qua quidquid prophanum est in Ethnicis, quidquid superstitiosum in Judæis, quidquid impium in Hæreticis, quidquid in Epicureorum schola impurum, collegit. Sed de hac *Mahumetis* secta & doctrina agemus in Colloquio tertio, ubi sectas & Hæreses, quæ septimo & octavo sæculis obortæ sunt, referemus. Mortuus est ille impostor totus crapulæ & libidini deditus anno Christi sexcentesimo tricesimo secundo, die decima septima mensis Maji, cujus Sepulchrum etiamnum *Medinæ* per magnetes pensile visitur (*a*), & ad illud Mahometani Religionis ergo frequentes conveniunt, dumque ad illud peregrinantur, propriam uxorem cognoscere haud possunt, sed aliam sibi pacto quodam conducere debent, & suam alterius locare libidini. Hinc non mirum, si infinita utriusque sexus libidinosorum turba ad effrænatam explendam in honorem Mahometi libidinem illuc confluat, suam sub specioso illius peregrinationis, & larvatæ Religionis obtentu, indomitam celando libidinem, sicut refert *Abrahamus Ecchellensis* in Historiam Arabum cap. 5. Hic autem obiter advertere debes, Arabibus antequam Pseudo-Propheta *Mahometus* suam spargeret doctrinam, non unam, eamdemque omnibus fuisse Religionem, sed quosdam illorum Mosaicam, alios Christianam Legem fuisse professos, & reliquos varias in sectas scissos, variisque cultibus mansisse addictos. Qua de re legendus est jam citatus Abrahamus Ecchellensis in supplemento Historiæ Orientalis cap. 6.

(*a*) „ Quæ hic asseruntur de suspenso in aera „ ope magnetis loculo ferreo Mahometis ex vul„ gi rumore captata esse, vix dubito; quamquam „ enim innumeris ferme scriptorum calamis idem „ asseritur, adhuc tamen fabulosum demonstratur „ ex silentio meliorum Arabicorum Scriptorum. „ Id vero altum est adeo, ut Bernerius affirmet „ se Giddam Mari Rubro adjacentem urbem ve„ nisse, ibique integro mense permansisse, nibil„ que unquam de hac suspensione ibidem audi„ visse; qua de re ipse testimonium perhibet in „ sua Epitome Philosophiæ Gassendi tom. V. & „ Gabriel Sionita scripta dissertatione commen„ tum illud refutavit, quam legas editam in ap„ pendice ad Geographum Nubiensem.

„ Nihilo meliorem fidem habendam credo iis, „ quæ Auctor noster hic addit de interdicto Ma„ hometanis Meccam peregrinantibus omni con„ jugali consortio, permisso interim cum alia „ quacunque fœmina congressu. In Alcorano qui„ dem lego interdictum peregrinantibus actum con„ jugii, nihil vero ibi de permissione coeundi „ cum alia, quin & mentem fuisse credo Ma„ hometo omnem omnino veneream conjunctio„ nem prohibere.

D. Quisnam fuit status Ecclesiæ sub Principibus Christianis, qui septimo sæculo in Occidente Regiam potestatem obtinuerunt?

M. Anno DLII. vel DLIII. destructo penitus in Italia a *Narsete* Romani exercitus Duce Gothorum Regno, quod in *Theodorico* cœperat anno CCCCXCIII. & desiit in *Teja* ultimo in Italia Gothorum Rege, sicut jam observavimus in Colloquio primo in Historiam sexti Ecclesiæ sæculi, Imperatores Græci, qui in Oriente summa rerum potiebantur, Italiam quoque per Exarcham, qui Sedem suam Ravennæ fixerat, administrarunt. Sed anno quingentesimo sexagesimo octavo Longobardi e Pannonia egressi, in Italiam irruperunt, Ecclesias spoliarunt, Sacerdotes interfecerunt, agros devastarunt, ædificia incenderunt, totamque Italiam armis occuparunt, exceptis Roma, & Ravenna, quo ne penetrarent, impediti sunt ab Exarchis Imperatorum, qui, ut mox diximus, suam Sedem Ravennæ habebant. Longobardi suum in Italia domicilium constituerunt, Regnumque stabilierunt, quod duravit annis ducentis sex, hoc est, ab anno DLXVIII. quo in Italiam ingressi sunt, usque ad annum DCCLXXIV. quo *Carolus Magnus* Francorum Rex *Ticinum*, seu *Papiam* obsidens ac fortiter debellans, eamdem Civitatem una cum *Desiderio* ultimo Longobardorum Rege & cunctis, qui cum eo erant, cœpit, & universum Longobardorum Regnum suæ potestati subjugavit, quemadmodum restatur *Anastasius* Bibliothecarius. Sed hac de re plura dicemus, dum Caroli Magni gesta & victorias referemus.

Africa, quam *Belisarius* insignis sub *Justiniano* Imperatore Romani exercitus Dux a Wandalis, qui eam occupaverant, anno DXXXIII. liberaverat; adulto jam septimo sæculo in potestatem venit Saracenorum. Hi quippe anno DCXLVII. distractam Africam

Africam inter Imperatorem *Constantem*, & *Gregorium* Præfectum, qui contra Imperatorem rebellans seditionem moverat, aggressi sunt. Eam, occiso Gregorio, qui in ea potentior erat, sibi reddidere vectigalem, & anno DCXCVIII. Carthaginem ac universam Africam invaserunt. A tempore autem captæ a Saracenis Africæ Religio Christiana sensim sine sensu decrevit, ab Infidelibus scilicet conculcata. Perseveravit tamen per aliquot sæcula, etsi neque in septima, neque in octava Synodo generali aliqui ex Africa Episcopi comparuerint.

Gallia ab anno CCCCXCVI. quo *Clodoveus* Francorum Rex, suscepto Baptismate, Fidem Christi amplexus est, non alios habuit Reges, quam Christianos, quorum seriem a morte Clodovei ad finem usque septimi sæculi breviter hic describam, quia inter illos multi fuerunt pietate insignes, quorum curam Regni & Ecclesiæ pervigilem, incredibile studium pacem servandi, jus suum unicuique tribuendi, prava corrigendi puniendive impense laudant Annales Francorum, sed potissimum laudabilem illam sollicitudinem procurandi, ut ad faciendam in suo Regno Ecclesiæ disciplinam convocarentur Concilia Nationalia, de quibus jam in nostris Colloquiis in historiam sexti Ecclesiæ sæculi sermonem habuimus, & alia de quibus in sequentibus nostris Colloquiis acturi sumus.

Mortuo Clodoveo Francorum Rege anno DXI. quatuor ejus filii, videlicet *Theodoricus*, *Chlodomerus*, *Childebertus*, *& Chlotarius* Regnum ejus acceperunt atque diviserunt: *Theodoricus suam Sedem Metis sortitus est*, *Chlodomerus Aurelianis*, *Childebertus Parisiis*, *& Clotarius Suessionis*, ut scribit *Fredegarius* in Epitome cap. 30. & Chlodomerus anno DXXIV. cæsus est in bello Burgundico; Theodericus vero ejus frater obiit anno DXXXIV. eique successit *Theodebertus* ejus filius. Eodem anno DXXXIV. Childebertus, Clotarius, & Theodebertus Burgundiam obtinuerunt, & fugato *Audomaro* Burgundiæ Rege, illius Regnum inter sese diviserunt, sicque extinctum est Burgundiæ Regnum. Defuncto Theodeberto anno DXLVII. successit *Theodobaldus*, qui juxta Gregorium Turonensem lib. 4. capite nono, *septimo Regni sui anno* obiit, hoc est, anno DLIII. Nullam prolem reliquit Theodebaldus, quo factum est, ut Clotarius non tantum Regnum ejus cum thesauris acceperit, sed & *Uldetradam* illius uxorem strato suo copulaverit, qui tamen, ut ibidem ait Gregorius Turonensis, *increpitus a Sacerdotibus reliquit eam, dans ei Garibaldum* primum *Bajuariæ*, seu Bavariæ Ducem. Childebertus Francorum Rex postquam regnasset quadraginta septem annos completos, e vivis abiit anno DLVIII. Multa Monasteria, dum viveret, a fundamentis erexit, inter quæ præcipue memorantur Monasterium Sancti *Vincentii* Parisiis constructum, quod nunc Monasterium Sancti Germani *de Pratis* nuncupatur, Monasterium Arelatense, & Monasterium Sancti *Calephi*, vulgo ut hodie vocatur gallice *Saint Calais* in Diœcesi Cœnomanensi. Childebertus moriens nullam prolem masculam, sed duas dumtaxat superstites reliquit filias, ac subinde ad Clotarium solum Childeberti fratrem universum Francorum Regnum devolutum est. Clotarius Francorum Monarcha anno Regni sui ineunte quinquagesimo primo e vivis excessit anno Christi DLXI. Extat in Capitularibus Regum Francorum a doctissimo *Baluzio* editis, Constitutio Clotarii, in qua multa pro commodis Ecclesiæ statuta leguntur. Clotario superstites vixerunt quatuor filii, videlicet *Charibertus*, *Guntramnus*, *Chilpericus*, *& Sigibertus*, qui Regnum hoc pacto inter se se diviserunt: Charibertus Regnum obtinuit Childeberti, sedemque Regiam habuit Parisiis; Guntramnus habuit Regnum Clodomiri, ac Sedem tenuit Aurelianensem; Chilpericus accepit Regnum Clotarii, sedemque Suessionensem occupavit; Sigibertus Regnum Theodorici sortitus est, sedemque habuit Rhemensem. Is postremus Francorum Rex uxorem duxit *Brunichildem* filiam Athanagildi Wisigothorum Regis; Chilpericus vero ejus frater Matrimonium iniit cum *Fredegunde* pessima fœmina, cujus facinora a Baronio Tomo 7. Annalium ex Historia Gregorii Turonensis passim relata, æternas memoriæ ejus notas infamiæ inusserunt, adeo ut de ea non aliter, quam de monstro quodam ac portento loqui nunc cuiquam liceat aut sentire. Mortuo Chariberto sine prole mascula anno DLXX, Francia in tria Regna divisa est, in *Austrasiam* nimirum ad Orientem sitam, *Neustriam* ad Occidentem, *& Burgundiam*. Sigiberti ditio Austria, Chilperici Neustria, Guntramni Burgundia nuncupata est. De qua divisione legenda sunt, quæ habet doctissimus *Cointius* in Annalibus Francorum ad annum DLXVII. num. XLI. Chilpericus bellum indixit fratri suo Sigiberto, qui ei strenue restitit; sed, jubente *Fredegunde* uxore Chilperici, Sigibertus anno DLXXV. occisus est a duobus Sicariis cultris veneno infectis. Sigiberto successit *Childebertus II.* ejus filius. Ejusdem *Fredegundis* jussu anno quingentesimo octogesimo quarto Chilpericus furentis illius fœminæ vir trucidatus est, dum e venatione regrederetur, eique successit Clotarius II. Sancte vixit Guntramnus Burgundiæ Rex, & anno DXCIII. ad Deum migravit, atque ab Ecclesia inter Sanctos relatus est, cujus depositionem ad diem XXVIII. mensis Martii multa Martyrologia celebrant, ut videre est apud Bollandum in Actis Sanctorum ad illum diem. Guntramnus moriens instituit Childebertum II. Francorum Regem Hæredem suum. At Childebertus II. vivere desiit an. DXCVI. duosque reliquit filios *Theodoricum*, & *Theodebertum*, quorum Regnum *Brunichildis* utriusque Avia partim per sese, partim per proceres administravit. Circa idem tempus regnabat in Neustria Clotarius II. Chilperici filius, annum undecimum egressus, cujus tutelam *Fredegundis* mater gerebat. Quare, tum temporis in Francia dignitas Regia penes parvulos erat, potestas vero penes mulieres. Theodebertus decimum ætatis annum, Theodoricus nonum agebat, illeque Metis Regni sedem statuit, hic Aurelianis, ut docet *Fredegarius* in Epitome cap. 16. Theodebertus Austrasiæ Rex anno DCXII. a fratre suo Theodorico in prælio

victus, & una cum suis filiis Clotario, & Meroveo interfectus est. Anno vero sequenti, seu DCXIII. Theodoricus arma movens contra Clotarium II. disenteriæ morbo periit, atque post ipsius mortem Clotarius, filiis Theodorici, eorumque Avia Brunichilde e vita sublatis, Monarchiam Francorum solus regere cœpit, quam postquam per sexdecim annos tenuisset, mortuus est anno DCXXVIII. Iste Clotarius, Francorum Monarchi ter duxit uxorem. Ex *Haltetrude* suscepit *Dagobertum*, quem Austrasiæ Regem declaravit anno DCXXII. Ex *Beretrude* habuit Charibertum, sed ex *Sichilde*, quam, teste Fredegario cap. 54. pro Mœcha habuit, nullam sustulit prolem. Qua de re legendus est doctissimus *Cointius* in Annalibus Francorum ad annum DCXXIX. Mortuo Clotario successit *Dagobertus* ejus filius, qui Franciæ totius obtinuit Imperium, excepta Aquitaniæ parte, quam Chariberto fratri cessit. Sed Chariberto, ejusque filio Chilperico non diu post vita functis, Dagobertus universa, qua late patet, Francia potitus est. Aliquibus vitiis, præsertim avaritiæ & libidini addictus fuit Dagobertus, ab illis tamen resipuit, & ad meliorem frugem conversus per multos annos quam plurima sinceræ pœnitentiæ dedit argumenta. Episcoporum, atque Aulicorum pietate præstantissimorum consortio plurimum delectatus est; largas panperibus erogavit eleemosynas; Ecclesias, aut Monasteria, præcipue Sanctorum *Dionysii*, Mauritii, ac Martini excoluit, & locupletavit, ut passim in Actis Sanctorum, qui ejus ætate vixerunt, legere est apud Bollandum. Mortuus est Dagobertus anno DCXXXVIII. & duos reliquit filios, Sigibertum III. quem Regem Austrasiæ instituit anno DCXXXIII. & Clodoveum II. quem Regni Burgundiæ & Neustriæ hæredem designavit, eumque moriens, & *Nantildem* uxorem suam commisit curæ *Egæ* Majoris domus. Hinc factum est post mortem Dagoberti Francorum Regis, ut in Galliis Majores domus sub specie administrationis Palatii, Regnum ipsum gubernarent, ac nudo inanique nomine Regio pueris Principibus relicto, summam virium, potentiamque Regalem occuparent. Sigibertus III. post obitum patris sui Dagoberti regnavit in Austrasia, *Pipino* Majore domus Regni administro probatissimæ fidei viro. At mortuo Sigiberto III. Austrasiæ Rege anno DCLIV. *Grimoaldus* Major domus Regni Austrasiæ, pulso Dagoberto Sigiberti Regis filio Regni legitimo hærede, *Childebertum* filium suum Regem constituit. Verum paucos post menses Childebertus, & Grimoaldus exauctorati sunt, solioque dejecti, Sigibertus vero Austrasiæ Regno restitutus, post cujus obitum *Clodoveus II.* alter Dagoberti filius Regnis Burgundiæ, & Neustriæ, quæ a patre acceperat, Austrasiæ Regnum, ejecto Childeberto Tyranno Grimoaldi filio, adjunxit. Mortuus est Clodoveus II. anno DCLVI. & ex *Bathilde* Sanctissima Regina uxore sua tres reliquit filios, scilicet Clotarium III. Childericum, & Theodoricum. Quod vulgo dicitur de infania Clodoveo Regi afficta, & de templis ab eo spoliatis, putidum commentum est, quod planissime confutatum reperies apud *Hadrianum Valesium* libr. 20. Rer. Franc. ubi plura habet de Clodovei II. Regis tam virtutibus, quam vitiis; nobis enim, ob præscriptam in nostris Colloquiis brevitatem, in his immorari non vacat. Clotarius III. post mortem patris sui Clodovei solus in universo Francia regnare cœpit, sed anno quarto ejus Regni in fine vergente, hoc est, sub finem anni DCLX. Austrasiis tumultuantibus, & Regem, qui soli Austriæ dominaretur, sibi dari poscentibus, *Bathildis* Regina, ut tumultus sedaret, eisdem præfecit Childericum filium suum secundo genitum, & fratrem Clotarii, indeque Clotarius Burgundionibus tantum, ac Francis Neustrasiis imperavit, vel, ut melius dicam, alieni semper fuit arbitrii. Nam primum sub tutela Bathildis matris suæ fuit, deinde, quamdiu regnavit, sub manu *Ebroini* Majoris domus, quem in locum *Erchinoaldi* præfecti Palatii defuncti suffecit. Tunc enim, ut jam observavimus, omnia in Galliis Majores domus Regiæ pro suo arbitrio & Imperio administrabant. Clotarius III. anno ætatis circiter decimo nono, Regni decimo quarto, nullis relictis liberis, e vivis excessit anno DLXX. At post ipsius mortem *Ebroinus* Major domus *Theodoricum* fratrem natu minorem Clotarii III. in Regnum levavit, sed *Childericus* II. frater ejusdem Clotarii natu major Theodoricum fratrem suum Regno dejecit, in Monasterium Sancti Dionysii prope Parisios misit, & Ebroinum Majorem domus in Monasterium Luxoviense exulem deportari jussit. Verum, occiso Childerico II. Anno DCLXXIII. Theodoricus frater Childerici natu minor, audita ejus morte, e Monasterio dimissus Regnum recuperavit, postquam dissipasset factionem *Ebroini*, qui post cædem Childerici II. e Monasterio, in quo fuerat inclusus, egressus, Pseudo-Clodoveum, quem Clotarii III. Regis filium mentiebatur, Regem proclamaverat. Sub idem tempus *Dagobertus II.* Sigiberti III. filius, qui post patris mortem in exilium ablegatus fuerat, audita Childerici II. morte, statim sese in Austrasiam contulit, regnoque potitus est. Sed anno DCLXXX. Dagobertus II. ejusque filius Sigibertus dolo *Ebroini*, & consensu quorumdam Episcoporum insidiose occisi sunt, iisque extinctis *Martinus*, & *Pipinus* Austrasianæ militiæ Duces, contra Theodoricum Regem hujus nominis III. & contra Ebroinum Majorem domus acie ducta, ut genus injuriam, ac Dagoberti necem ulciscerentur, profligati sunt, & *Martinus* dolo Ebroini interfectus est. Ast *Pipinus*, Heristallus vulgo cognominatus, in Theodoricum Regem, & Bertharium Majorem domus Anno DCLXXXVII. arma iterum movens, utrumque in Textriciana pugna devicit, Parisios occupavit, & Majoratum domus Regiæ in universa Francia obtinuit, ac deinceps auctoritate infra Regiam maxima exercuit sub quatuor Francorum Regibus. Mortuus est Theodoricus III. Francorum Rex anno DCXCI. tres ex *Chrotilde* uxore sua suscepit filios, scilicet Clodoveum III. Childebertum III. & Clotarium IV. Prior, seu Clodoveus III. immediate patri suo Theo-

Theodorico in Regnum Franciæ successit, obiitque an. DCXCV. absque prole. Regnavit quatuor annis completis, & quintum inchoavit. Childebertus III. hæreditario jure fratri suo Clodoveo successit, annis septemdecim regnavit, & abiit e vivis anno DCCXI. Filium unicum Dagobertum III. Regni reliquit hæredem, de quo, sicut & de aliis Regibus, qui octavo sæculo Francorum Monarchiam tenuerunt, magis apposite disseremus, postquam contioenti ordine ea exposuerimus, quæ spectant ad statum Ecclesiæ sub Principibus Christiaois, qui in septimo sæculo tam in Oriente, quam in Occidente summa rerum potiti sunt.

D. Quinam fuit status Ecclesiæ sub Regibus, qui septimo sæculo supremum in Hispaniis dominium obtinuerunt?

M. Optimus fuit status Ecclesiæ Regibus, qui septimo sæculo Hispaniarum Regnum administrarunt. Ariana quippe Hæresis, quæ ab anno CCCLXXVII. in Hispaniis altas radices egerat, fuit tandem penitus exterminata anno DLXXXIX. auctoritate *Reccaredi* piissimi Regis, qui patri suo *Leowigildo* in Hispaniarum Regnum successerat anno DLXXXVI. Refert siquidem *Sanctus Isidorus* in Chronico Gothorum, *Athalaricum* Gothorum Regem Hispaniis dominantem misisse anno CCCLXXVII. Legatos ad Imperatorem *Valentem* Arianum, & ab eo Doctores, qui suos Christianam Fidem edocerent, postulasse; atque in eam Gothorum gentem pestiferum Arianæ suæ Hæreseos virus *Valentem* Imperatorem transfudisse: *Cujus blasphemiæ*, ioquit Sanctus Isidorus, *malum per discessum temporum, Regumque successu annis ducentis tredecim tenuerunt, qui tandem reminiscentes saluti suæ, renunciaverunt inolitæ perfidiæ, & Christi gratia ad unitatem Fidei Catholicæ pervenerunt*. Reccaredus itaque fuit primus Gothorum Rex Catholicus, qui Gothos, & Suevos ad Fidem Catholicam adduxit, & postquam annos quindecim, mensem unum, & dies decem sapientissime regnasset, maximo sui relicto desiderio, e vivi exemptus est anno DCI. Leges Gothicas in Compendium redegit religiosissimus ille Rex, multis præliis Romanos devicit, Gothorum Imperium Florentissimum reddidit, & filium suum *Liubam*, vel, ut alii melius dicunt, *Liuvam* Hispaniarum Regni reliquit hæredem, qui patri suo haud impar futurus fuisset, nisi *Witerici* proditione periisset, postquam regnasset annis duobus, ut ait Sanctus Isidorus in Chronico. Occiso Livva, *Witericus* Parricida Regnum occupavit, qui, cum per septem annos regnasset, famaque vulgasset, ipsum velle Arianam Hæresim in Regnum Hispaniarum postliminio revocare, gladio occubuit, conjuratione quorumdam inter epulas interfectus anno DCX. Ei successit *Gundamarus*, qui, postquam duos annos non integros regnasset, obiit, nulla prole relicta anno DCXII. Gundamarum in Regno Hispaniarum excepit *Sisebutus*, qui quarto Regni sui anno duas leges promulgavit, quibus Judæos sibi subditos Fidem Catholicam amplecti jussit. Hæ duæ Sisebuti leges extant in Gothorum legum volumine. Obiit Sisebutus anno DCXX. & *Reccaredum* filium parvulum reliquit Regni hæredem, qui tamen tribus dumtaxat mensibus patri superstes fuit. Reccaredo itaque e vivis sublato, *Svintbila* procerum suffragiis Regnum adeptus est anno DCXXI. Sed a *Sisenando* adversus ipsum facta conjuratione anno DCXXX. Dagobertus Francorum Rex Burgundicum exercitum in Hispaniam destinavit, ut Sisenando contra Svinthilam Regem suppetias ferret. Ubi autem divulgatum est in Hispania, exercitum Francorum ad auxilium Sisenandi properare, omnis Gothorum exercitus sese e vestigio Sisenandi ditioni subjecit. Anno itaque sequenti, seu DCXXXI. Svinthila, postquam annis decem regnasset, solio dejectus est, eo potissimum nomine, quod pulsis ex Hispania hostibus, & publica pace stabilita, vitiis fræna laxaret, atque in ejus locum suffectus est Sisenandus, qui annos tres, menses undecim, & dies sexdecim cum regnasset, obiit anno DCXXXV. Mortuo Sisenando Regnum conscendit *Chintila*, qui illud annos tres, menses octo, dies novem summa pace administravit, & excessit e vivis anno DCXXXIX. *Chintilæ* subrogatus est *Tulga* ejus filius, qui ineunte anno tertio Regni sui obiit anno DCXLII. Defuncto Tulga, Regnum vi, & armis occupavit *Chindasvintus*, quod ut familiæ suæ hæreditarium faceret, filium suum *Reccensvintum* Regni consortem declaravit an. DCXLIX. Regnavit autem Chindansvintus solus annos sex, menses octo, dies viginti, & postquam filium suum Reccensvintum consortem Regni declarasset, vixit tres annos, menses quatuor, dies undecim; quod tempus in filii Regno numeratur, eo quod ob præcipitem atque affectam patris ætatem, solus Reccensvintus ejus filius rerum potiretur, & Rempublicam universam pro voluntate gubernaret. Obiit autem Reccensvintus filius Chindasvinti Kal. mensis Septembris anni DCLXXII. postquam regnasset Annis XXIII. mensibus septem, diebus undecim, sumpto videlicet Regni ejus exordio ab anno sexcentesimo quadragesimo nono, quo a patre suo Chindansvinto in Regni consortium adscitus est. Reccensvinto successit *Wamba*, qui, ut inquit *Vasæus* in Chronico, nullis precibus & lacrymis adduci potuit, ut Regnum susciperet, usque dum quidam e Ducibus ense stricto extrema illi minatus est, nisi in preces Gothorum concederet. Cessit tandem *Wamba* minis magis, quam precibus, atque Toleti Rex inauguratus est, sed, postquam summa cum prudentia annis octo, mense uno, diebus quatuordecim regnasset, Regno spoliatus est anno sexcentesimo octogesimo, malis artibus *Ervigii*, qui ambitione regnandi abreptus Wambæ Hispaniarum Regi venenum propinandum curavit; cumque Wamba hausto veneno videretur animam agere, posita coma, atque in Sacerdotis morem detonsus, Monachi cucullum induit, quem postea, recuperata licet pristina valetudine, dimittere noluit, sed in Monasterio vitam sanctissime transegit. *Ervigius* Regnum, etsi malis artibus quæsitum, recte tamen administravit. Veritus tamen ne filii sui post ipsius mor-

mortem a proceribus opprimerentur, *Egicam* arcta cognatione Wambæ sanguini annexum adoptavit generum suum, *Cixilone* filia in conjugium data, quibus ita constitutis, mortuus est anno DCLXXXVII. Regnavit annos VII. dies XXV. Post Ervigii mortem *Egica* Hispaniarum Regnum adeptus, *Cixilonem* uxorem suam, ex qua *Witizam* filium susceperat, in odium patris *Ervigii* repudiavit. Sumpsit etiam supplicium de Proceribus, quorum opera Wambam Regem in fraudem impulsum, atque de rerum culmine dejectum esse, constabat. Obiit *Egica* anno DCCI. Cum regnasset annos XV. nempe X. solus, & quinque alios cum Witiza filio suo. Hæc est series Regum, qui septimo sæculo Hispaniarum Regni habenas moderati sunt, quique Catholicam Religionem profitentes, omnem, quamdiu vixerunt, operam dederunt, ut in rem Fidei & Disciplinæ Ecclesiasticæ ea Nationalia celebrarentur Concilia, de quibus in quarto Colloquio sermonem instituemus.

D. Christiana Religio suscepit ne septimo Ecclesiæ sæculo aliquod apud Infideles Nationes incrementum?

M. Jam observavimus in Colloquiis nostris in Historiam sexti Ecclesiæ sæculi Sanctum Augustinum aliosque Sanctissimos Monachos a S. Gregorio Magno Papa sub finem sexti sæculi in Angliam missos Christianam Religionem plurimum ibidem promovisse. Verum, hic obiter advertere debes, Britanniæ Insulam, quæ modo *Anglia* appellatur, fuisse in septimo Ecclesiæ sæculo in septem Regna divisam, quorum primum erat *Regnum Cantii*; alterum, *Regnum Australium Saxonum*, sive *Sud Saxiæ*; tertium, *Regnum Orientalium Anglorum*, seu *Estangliæ*; quartum, *Orientalium Saxonum Regnum*, seu *Est-Saxiæ*; quintum, *Mediterraneorum Saxonum Regnum*, sive *Merciorum*; sextum, *Northumbrorum Regnum*; septimum, *Occidentalium Saxonum*, sive *Wvest-Saxiæ Regnum*. Hac facta Regnorum Angliæ divisione, nunc breviter præfigere debemus tempus, quo Christiana Fides in hisce Angliæ Regnis fuerit suscepta. In primis, Regnum Cantii Fide Christiana fuit illustratum a Sancto Augustino, aliisque Monachis, qui, ut jam diximus, a S. Gregorio Magno Summo Pontifice in Angliam sexto Ecclesiæ sæculo ad illius gentis conversionem missi sunt. Alterum in Anglia Regnum, seu Australium Saxonum, vel Sud-Saxiæ dictum ad Fidem Christianam convertit *S. Wilfridus* anno DCLXXXI. Is quippe cum consensu Regis *Ethelvardi* (qui paulo ante in Merciorum Regno, suggerente *Walfhere* Rege, sacro Baptismate initiatus fuerat) populis illius Regni Verbum Dei, quod ipsis necdum fuerat prædicatum, annunciavit, & Infidelium utriusque sexus, quosdam voluntarie, alios vero Regis Imperio coactos ab Idololatria revocavit, Fideque Christiana imbuit. Quin, & ipse Rex *Ethelvardus* in Religionem Christianam optime affectus, Villam, in qua manebat, ad Sedem Episcopalem fundandam concessit, ibidemque Wilfridus Monasterium fratribus suis fundavit. (*a*) In tertio Angliæ Regno, dicto Orientalium Saxonum, seu Estangliæ, Christianam Religionem maxime propagavit *Sigbertus* Rex, qui anno DCXXIX. in suorum subditorum conversione usus est opera *Sancti Felicis* Episcopi Burgundi, & *Sancti Fursei* Abbatis Latiniacensis Monasterii, qui Ministerium Evangelicum strenue executi sunt. Vitam *S. Felicis* describit *Bollandus* ad diem VIII. mensis Martii, & Vitam *Sancti Fursei* a duobus Auctoribus Anonymis scriptam die XVI. mensis Januarii, quo colitur, notis illustrat. In quartum Angliæ Regnum, appellatum Orientalium Saxonum, seu Est-Saxiæ, Fidem Christianam circa annum DCLV. introduxit *Sigibertus* illius gentis Rex, qui petiit ab *Oswio* Northumbrorum Rege Christiano, ut aliquot sibi Doctores daret, qui populos ipsi subditos vera Fide illuminarent. Annuit lubentissime Rex *Oswius*, & ad illum misit *Ceddum* cum altero quodam Presbytero, *qui omnia perambulantes, multam Domino Ecclesiam congregarunt*, inquit Venerabilis Beda lib. 3. cap. 22. Porro Sigibertus Anglorum Orientalium, seu Est-Saxiæ Rex a *Finano* Episcopo una cum suis subditis Baptismum suscepit, & sub ipso plurimum in hoc Regno dilatata est Christiana Religio. *Ceddum* Primum illius Regni *Est-Saxiæ* Episcopum ordinavit *Finanus*. In quintum Angliæ Regnum, dictum Mediterraneorum Saxonum, sive Merciorum, Fidem Christianam intulit *Oswius* Northumbrorum Rex circa annum DCLV. Is quippe, occiso *Penda* Rege Merciorum, jure belli illius Regnum obtinuit, & gentem istius Regni ad fidei gratiam perduxit. Sextum in Anglia Regnum, idest, Northumbrorum, qui erant Angli ad Aquilonem Humbræ fluminis plagam incolentes, Fidem Christianam accepit sub Rege *Eduino*, qui anno DCXXVII. baptizatus est. Hoc Northumbriæ Regnum erat antiquitus in duas Provincias, seu Regna, divisum, *Berniciorum* scilicet, & *Deirorum*, ut testatur Beda lib. 3. cap. 1. In utroque Regno *Paulinus* infinitam gentis illius multitudinem sacro lavacro abluit, quam ob rem Honorius I. Summus Pontifex in præmium laborum ad eum misit *Pallium*, atque Eboracensem Episcopum creavit. Nusquam floruit magis in hoc Northumbriæ Regno Christiana Religio, quam sub Oswaldo, & Oswio Regibus, quorum eximiam in Deum pietatem ac Religionem, in pauperes, & peregrinos singularem beneficentiam pluribus commendat *Beda* lib. 3. cap. 6. & 14. Denique, anno DCXXXV. Saxones Occidentales, seu West-Saxiæ, *Birino* Episcopo, quem Honorius I. Pontifex Maximus miserat, prædicante, Fidem Christi susceperunt. Ipse *Cynigisus* eorum Rex a Birino baptizatus est, & e sacro Fonte a Sancto Oswaldo Northumbrorum Rege susceptus. Sedes Episcopalis *Doreincæ* constituta est, quæ urbs hodie *Dorcestria* vocatur. Sic Christiana Religio in septimo Ecclesiæ sæculo longe lateque in omnibus Angliæ Regnis propagata est, & per id temporis Ecclesia Anglicana maxime floruit. Habuit quippe Antistites Sanctissimos, & Reges pietate conspicuos, qui fundandis Ecclesiis, & construendis Monasteriis egregiam operam posuerunt.

„ (*a*) Quamquam admitto inter Orientales Sa-
„ xones

„ xones religionem Christianam longe lateque propagatam fuisse opera S. Felicis circa annum 629. diu tamen ante eorum Reges Christiana sacra suscepere; nam Sabertus eorum Rex qui anno 613. obiit, anno circiter 604. lavacrum salutare subiit, teste Pagio ad an. 604. 15.

„ Ethelvandus vero Rex Australium-Saxonum non solum optime in Christianos affectus erat, ut hic habet Gravesonius, sed & ipse cum uxore sacrum baptisma ante susceperat, quam eo S. Wilfridus venisset, ut tradit Eadmerus in vita ejusdem Wilfridi cap. V.

Inter populos, qui septimo sæculo Christianam Religionem amplexi sunt, numerantur *Croatæ*, quos Constantinus Porphyrogenita *Chrobatos* appellat. Hi quippe anno DCXXX. imperante in Oriente *Heraclio*, relicta Idololatria baptizati sunt. Qua de re plura habet *Lucius* in Historia de Regno Dalmatiæ & Croatiæ.

Eodem etiam sæculo septimo *Saxones*, *Frisios*, *Bajoarios*, quos nunc *Bavaros* appellamus, *Suevos*, aliosque Germaniæ populos, qui tunc Regum Francorum dominationi subditi erant, ad Fidem Christianam adduxerunt Sancti *Willebrordus* Primus Episcopus Trajectensis, & *Rudbertus* Primus Episcopus Salisburgensis. Verum, anno DCLXXI. illi populi, excusso Francico jugo, ad relictas superstitiones inclinarunt, pluresque in limine Rheni fluminis ad Idololatriam reversi sunt. Hinc octavo sæculo Gregorius II. Romanus Pontifex, intelligens, sibi ad dignitatem Sedis suæ incumbere curam universalis Ecclesiæ, Legatum in Germaniam misit *Sanctum Bonifacium*, ut illic daret operam conversioni Paganorum, ad quam promovendam Sanctus ille Antistes una cum sociis sibi adjunctis omnes suas curas, labores & cogitationes convertit, atque zelo Apostolico accensus, Fidem Christianam in illas Provincias feliciter restituit, ut mox ostendemus, exhibendo statum Ecclesiæ sub Principibus Christianis octavi sæculi.

D. Hactenus statum Ecclesiæ sub Principibus Christianis septimi sæculi satis demonstrasti; expone nunc eodem ordine, quo loco, tam in Oriente, quam in Occidente fuerint res Ecclesiæ sub Imperatoribus & Principibus Christianis octavi sæculi?

M. *Justinianus* Imperator hujus nominis II. qui, ut jam diximus in Historia Imperatorum septimi Ecclesiæ sæculi, *Leontio*, qui Imperium invaserat, mutilatus naso, in Urbem *Chersonam* an. DCXCV. fuerat ablegatus, armis *Trebellii* Bulgarorum Ducis adjutus, post decem annorum exilium sese Imperio restituit anno DCCV. & *Tiberium Apsimarum*, atque *Leontium*, qui tempore ejus exilii tyrannidem arripuerant, interfecit. Imperio itaque denuo restitutus Justinianus II. crudelem carnificinam exercuit, & pacem, quam cum Bulgaris pepigerat, quorumque ope fuerat in Imperium restitutus, temere ingratus violavit. De Chersonitis, apud quos exulaverat, & quos sibi quondam insidias struxisse meminerat, vindictam sumere volens, classem contra eos misit, omnesque mactari jussit, exceptis juvenibus & pueris, velut ad servitutem reservatis. At postea, dolens quod juvenibus pepercisset, alteram classem ad ipsos trucidandos transmittere decrevit. Quod ubi compertum habuissent Chersonitæ, auxilium Chagani Avarum Regis implorarunt, & Justiniani Imperatoris nomine abrogato, *Bardanem* antea exulem Imperatorem proclamarunt, quem, mutato nomine, *Philippicum* nuncuparunt. Hic novus Imperator dictus *Philippicus* sine pugna Constantinopolim ingressus, occidit *Tiberium* Justiniani filium, & paulo post ipsiusmet Justiniani caput amputatum in Occidentem conspiciendum traduxit. Imperator itaque Justinianus II. postquam in Imperium anno DCCV. fuisset restitutus, annos sex illud obtinuit, & occisus est an. DCCXI. fuit ultimus e familia Heraclii senioris, quæ cum ipso fuit omnino extincta, postquam sæculo integro Romanis imperasset. Occiso itaque Justiniano, Imperium *Philippicus* invasit anno DCCXI. Male parta dignitate pessime usus est. Monothelitis impense favit, sextæ Synodo generali, in qua hi Hæretici proscripti sunt, sese infensum exhibuit, & Orthodoxos atrociter persecutus est. Quapropter, anno secundo imperii sui, qui fuit DCCXIII. cum sub meridiem somno indulgeret, a conjuratis excæcatus est pridie Pentecostes, & in carcerem detrusus; sequenti vero die, seu sacro Pentecostes Festo, a Populo, & Senatu Constantinopolitano *Artemius* dictus *Anastasius II.* salutatus est Imperator. Vir fuit *Philippico* Imperatori olim a secretis, omni doctrinæ genere excultus, & in agendo versatissimus. At in Saracenos classem cum misisset ille Imperator, contigit quod milites, qui, re infecta, ad ipsum iratum regredi pertimescebant, quemdam nomine *Theodosium*, quem obvium habuere, Imperatorem proclamaverint. Quare Imperator *Artemius* dictus *Anastasius II.* de salute desperans dedit manus, & Monasticum habitum induit. Eum Imperio ultro sese abdicantem *Theodosius* acclamatus Imperator anno DCCXV. salvum esse jussit, & Thessalonicam in exilium egit anno DCCXVI. At Theodosius Imperator, vir licet optimus, & erga Ecclesiam, Fidemque Catholicam bene affectus, uno tantum anno cum uno aut altero mense Imperio potitus est. Nam cum audiisset *Leonem* dictum *Isaurum* ab exercitu fuisse Imperatorem salutatum, sponte cessit Imperio, & *cum ipse, tum filius quoque Clericorum Albo adscripti, reliquum vitæ tempus in pace transegere*, inquit Theophanes. Theodosium itaque in Imperio excepit *Leo* hujus nominis III. dictus *Isaurus*, qui Imperium iniit anno DCCXVII. Fuit Princeps impiissimus, sacrarum Imaginum eversor, ad quas e medio penitus tollendas Pseudo-Synodum Constantinopoli coegit, Gregorii II. Summi Pontificis vitæ insidiatus est, S. Germanum Episcopum Constantinopolitanum sacrarum Imaginum defensorem acerrimum e Patriarchali Solio dejecit, ejusque loco *Anastasium* sufficit, omnes tam viros, quam mulieres *Iconoclastarum* hæresim, quam invexerat, detestantes morti tradidit, indeque dictus *Iconomachus*, & *Theomachus*. Obiit ex intercute, vel ex dysenteria anno DCCXLI. Imperii sui XXIV. Ejus Impietatis æque ac Imperii hæres ac successor fuit *Constanti-*

stantinus ejus filius, hujus nominis v. a stercore, quo, dum baptizaretur, sacrum Fontem fœdavit, dictus *Copronymus*. Fuit etiam appellatus *Caballinus* ab equino stercore, cujus odore & tactu, homo impurissimus vehementer delectabatur. Extat in Operibus S. Damasceni Oratio *contra Constantinum Caballinum*, quam doctissimus noster *Combefisius* in Historia Hæresis Monothelitarum, & tom. 2. Auctarii Bibliothecæ Patrum Græcorum edidit, dignamque censuit, quæ Sancto Damasceno, qui pro sanctis Imaginibus egregiam navavit operam, vindicetur. Eamdem Orationem Cl. noster, mihique amicissimus *Michael Quien* in recenti, quam adornavit, Operum S. Damasceni Editione publicavit; illam tamen Sancto Damasceno, ceu spurium fœtum, abjudicat (*a*). Impietatem Patris sui *Leonis* superavit Constantinus Copronymus Imperator. Nullum quippe fuit superstitionum, præstigiarum, & fascinationum genus, cui non esset supra modum addictus. Leges omnes tam divinas, quam politicas impune violavit. In omnem præterea libidinem effusus, Deiparæ Virginis, & Sanctorum hostis infensissimus fuit, sacrarum Reliquiarum exterminator, sanctarum Imaginum evertor, & nefarius Orthodoxorum insectator. Constantinopoli anno DCCLIV. Pseudo-Synodum suæ farinæ Episcoporum convocavit, in qua decretum est, Imagines Idola esse, qui eas colerent Idololatras; jussumque, hanc Pseudo-Synodum *septimam Œcumenicam* esse appellandam. Circa vero administrationem Imperii hæc gessit Constantinus Copronymus; *Artabasdum*, qui Imperium occupaverat, vicit, eumque & duos ejus filios excæcavit; Arabes expugnavit; cum Bulgaris primum infeliciter bellum gessit, sed ipsos postea ingenti prælio fudit; Exarchatum amisit in Italia, denique, bellum iterum Bulgaris illaturus, miseram in hac expeditione efflavit animam non longe ab *Arcadiopoli* ex dolore carbunculi in pedibus anno DCCLXXV. cum imperasset ab obitu Patris annos XXXIV. menses duos, dies viginti sex. Ejus corpus sepultum fuit Constantinopoli in Basilica SS. Apostolorum Petri & Pauli, sed postmodum justo Dei judicio inde effossum, jubente *Michaele* Imperatore *Theophili* filio, in Foro Amastriano crematum est. Constantino Copronymo successit in Imperio Orientis *Leo* hujus nominis IV. ejus filius, qui an. DCCLI. die sexta mensis Junii a Patre in consortium Imperii adscitus, ejus impietatem imitatus est. Adversus Orthodoxos immaniter sævit, imagines everti jussit, & ad earum exterminium Pseudo-Synodum convocavit. Gemmarum insana cupiditate flagrans, coronam auro, lapillisque pretiosissimis radiantem, quam Imperator *Heraclius* Religionis ergo, & in Dei honorem in templo deposuerat, suo ipse capiti sacrilega temeritate imposuit. Quod scelus e vestigio ultus est Deus, fecitque ut ex capite illius scelesti erumperent carbunculi, quorum cruciatibus periit, anno DCCLXXX. postquam ab obitu Patris imperasset annos quinque exceptis diebus sex. In regimine Imperii hoc unum dumtaxat laude dignum fecit, quod, validissimo in Syriam misso exercitu, innumeram Sarcenotum multitudinem cæcidit. Post ejus obitum *Irene* ejus uxor, & *Constantinus* ejus filius annum duodecimum agens Imperii habenas moderari cœperunt, Monasteria in libertatem asseruerunt, & viam salutis omnibus aperuerunt, uti narrat *Baronius* ex Theophane. Verum, Constantinus hujus nominis VI. Leonis IV. & Irenes filius decennio post susceptum a Patre Imperium, hoc est anno DCCXC. Irenem matrem suam rerum administratione privavit, solusque per septem annos, idest usque ad annum DCCXCVII. crudelissime regnavit: quare omnibus exosus, *Irenes* matris suæ jussu excæcatus est, tantaque crudelitate ipsi effossi sunt oculi, ut paulo post præ dolore e vita migrarit. Eo itaque Imperatore e vivis sublato, *Irenes* ejus mater Imperio sola potita est per quinque annos, hoc est, usque ad annum DCCCII. quo *Nicephorus* Patricius Constantinopolitanus eam in ordinem redegit, & eam omnibus fortunis exutam in *Lesbum* relegavit, ubi nondum vertente anno, defuncta est. Ipse vero *Nicephorus* eodem anno DCCCII. vacuum Orientis Imperium invasit, de quo plura dicemus in Historia noni Ecclesiæ sæculi.

„ (*a*) Hanc epistolam Damasceno nequaquam „ tribuendam esse non immerito Lequienus suspi„ catur; per conjecturam tamen indicat adscriben„ dum potius Joanni Hierosolymitano (cui et„ iam vindicant veteres quidam Codices ab eo in„ dicati); ita tamen ut nec tota sit ejusdem Joan„ nis fidei confessio illa quæ in eadem epistola „ post quamdam veluti præfationem recitatur, ex „ Lequenii conjectura eadem est quam Joannes „ Hierosolymitanus sub exordio nascentis hæresis „ Iconomachorum dedit; cætera vero cum præfa„ tione ipsa aliis adjecit.

D. Fuitne in Occidente felicior Ecclesiæ conditio sub Principibus Christianis octavi sæculi?

M. Recepto in Occidente impio & ferali *Leonis Isaurici* Imperatoris Orientis contra sacras Imagines Edicto, voluerunt Itali avitæ Religionis tenaces, in apertam defectionem erumpere, & excusso Leonis Isaurici jugo, novum Imperatorem Catholicum creare. Ast Gregorius II., qui tum temporis universæ Ecclesiæ clavum regebat, susceptis consiliis intercessit, populumque, ne ab obedientia Imperatoris deciseeret, impedivit. Quapropter fides adhibenda non est *Theophani*, quem *Zonaras* & *Cedrenus* Scriptores Græci secuti sunt, asserentes, Gregorium II. Romam, atque Italiam, cæterasque Occidentis Provincias ab obedientia, Imperioque *Leonis Isaurici* abduxisse, quod quidem oppido falsum esse, constat ex testimoniis *Anastasii Bibliothecarii*, & *Pauli Diaconi*, qui, ut videre est apud Baronium, affirmant, Gregorium II. Pontificem Maximum tumultuantes populos, & ab Imperatoris obedientia recedere meditantes, in obsequio & fide Imperatori debita continuisse. Non inficior tamen fieri quidem potuisse, ut Itali ex hæresi Leonis Isaurici Imperatoris a Gregorio II. Summo Pontifice damnata, occasionem sumerent pellendi Duces ab Imperatore per Italiam constitutos, & vectigalia non solvendi; sed ab hac rebellione fovenda tantum abfuit Romanus ille Pontifex, ut Exarcham hæretici illius Imperatoris, cujus conversionem sperabat, & fusis ad Deum precibus obnixe flagitabat, in inte-

integrum restituerit, sicut refert *Anastasius* in Vita Gregorii II. Verum, cum Longobardorum Reges Italiam octavo sæculo armis atrociter vexarent, & Romam sæpius obsidione cingerent, nec in tanto rerum discrimine eorum impetus Imperatores Græci compescere aut possent, aut vellent; coacti fuere in his angustiis constituti Summi Pontifices *Gregorius II. Gregorius III. Zacharias*, & alii eorum successores omni præsidio destituti, convolare ad Reges Francorum *Carolum Martellum*, *Pipinum*, & *Carolum Magnum*, eorumque implorare auxilium, quod ipsis feliciter cessit. Reges quippe Francorum, validissimo in Italiam ducto exercitu, Longobardos profligarunt, ipsisque ereptum Ravennæ Exarchatum, in potestatem Romani Pontificis transtulerunt, ut videre est apud Anastasium Bibliothecarium in Vita Stephani III.

D. Summam laudem profecto merentur Galliarum Reges, quorum pietati ac munificentiæ tam amplum dominium Romana Ecclesia acceptum referre debet. Sed ut gesta Regum Francorum magis perspecta habere possim, describe nunc brevitet seriem, & præclara facta Regum, qui octavo Ecclesiæ sæculo Monarchiam Gallorum gubernarunt.

M. Dagobertus III. qui ut jam observavimus, in Francorum Regnum anno DCCXI. successit Patri suo Childeberto III. ejusque successores Chilpericus II. Clotarius IV. & Theodoricus IV. Regium dumtaxat nomen & titulum habuerunt, summa vero potestas fuit penes *Carolum Martellum* Majorem domus Regiæ, virum singulari virtute, maxima auctoritate, & felicitate pene incredibili præditum. Nemo enim plura quam *Carolus* bella civilia & externa gessit, nemo plura prælia commisit, nemo plures ex hostibus victorias tulit, quas inter insignis est, omniumque Historicorum calamo celebrata illa victoria, quam prope Turones de Saracenis Gallias misere devastantibus retulit, in qua ad trecenta septuaginta quinque hominum millia fuisse cæsa fama est. Porro tantam mansuetudinem in se exprimebat Carolus Martellus, ut nunquam, nisi in acie, ferrum stringisse dicatur, nec in populares bello captos, hostesque sæviisse; immo, cum *Rangefredo* apud Francos Neustrasios Majori domus conjurato inimico suo, cum vitam adimere posset, non solum non ademit, sed Civitatem Andegavensem illius ditioni subjecit. Childerico II. Gallorum Austrasiorum Regi, quem duplici prælio devicit, Regnum, nomen & insigne Regium reliquit. *Hunoldo* Eudonis Aquitaniæ Ducis filio Aquitaniam reddidit. *Plectrudem* novercam suam, a qua custodiæ antehac mandatus, paternis opibus fuerat injuste exclusus, punire nefas duxit. Denique, Carolus Martellus se se munificentissimum præbuit erga Monasteria Trevirense, Fontanellense, & San-Dionysianum, & multa alia Cœnobia vel ipse erexit, vel locupletavit, ut passim in suis Annalibus demonstrat doctissimus *Cointius*. Ex his & aliis id genus Caroli Martelli virtutibus, ac rebus præclare gestis, quæ legi possunt apud *Hadrianum Valesium* lib. xxv. Rerum Francorum, facili negotio evincitur, falsum omnino esse, quod nonnulli Noni Scriptores sæculi finxere, videlicet Carolum Martellum post mortem ad Inferos damnatum esse, eumque in inferno torqueri vidisse *Eucherium* Episcopum Aurelianensem. Hanc quippe male consarcinatam fabulam exploserunt *Baronius* in Annalibus, *Sirmondus* in Notis ad *Caroli Calvi* Capitulare XXIII. *Henschenius* in Notis ad Vitam S. Eucherii, & *Cointius* ad an. DCCXLIII. n. IV. & seq. Falsum itidem est, Carolum Martellum Ecclesiastica bona laicis distribuisse, & Ecclesiarum pecunias in usus proprios vindicasse. Auctor quippe libelli *de Majoribus domus Regiæ* testatur, Carolum Martellum nihil Ecclesiis abstulisse, ut inde ditior fieret, sed ut stipendia militibus daret propter assiduitatem bellorum, præsertim adversus Saracenos, Saxones & Frisios, qui in tenebris Idololatriæ adhuc erant immersi. Fatendum tamen est Carolum Martellum redditum Ecclesiasticorum administrationem laicis, aut Clericis nulla professionis suæ nota insignitis concessisse, quod in gravem postea degeneravit abusum. Episcopi siquidem suarum Ecclesiarum redditibus destituti, videbantur tantum vicarii, vel Suffraganei; aut Chorepiscopi Administratorum, aut Commendatariorum. (*a*) Jussit quidem *Pipinus* filius Caroli Martelli, ut, juxta tertium Canonem Concilii Suessionensis id ætatis celebrati, Episcopi legitimi, non vero laici intrusi, Episcopatibus, & bonis Ecclesiasticis pleno jure potirentur. At hoc Pipini decretum, aliaque ejus super hac re ab eo promulgata Edicta effectu penitus caruerunt, tum quia hi laici, qui bona Ecclesiastica possidebant, potentiores erant, quam ut ex illorum manibus ea extorqueri possent; tum quia ipsemet Pipinus, qui præter Regiam, qua in Galliis pollebat, potestatem, titulum adhuc Regium peroptabat, cautior erat, quam ut viros præpotentes, qui bonis Ecclesiasticis impune fruebantur, a se alienare vellet. Quo factum est, ut octavo sæculo multæ Ecclesiæ in Galliis, præsertim Remensis, & Senonensis, Episcopis & Metropolitis carerent, quia bonorum Ecclesiasticorum usurpatores prædam, cui inhiabant, sibi e manibus eripi nequaquam patiebantur, totisque viribus impediebant, ne legitimi Episcopi, aut Metropolitæ suarum Ecclesiarum possessionem inirent. Ad hunc gravissimum in Galliis grassantem abusum, multa octavo sæculo habita sunt Concilia, de quibus alio in Colloquio data opera disseremus. Obiit Carolus Martellus de Regno Francico optime meritus anno DCCXLI., & quatuor superstites reliquit filios, videlicet *Carolomannum*, cui Austrasiam, seu Orientalem Franciam dedit; *Pipinum*, cui Neustriam, seu Occiduam Franciam quasi hæreditariam reliquit; *Ægydium*, quem sacris addictum ad Rotomagensis Episcopatus Infulas promoverat, antequam moreretur; & *Grifonem* natu minimum, quem, utpote ferocem, ab hæreditate exclusit. *Carolomannus* Orientalis Franciæ Rex post debellatos Saxones, & perdomitos Alemannos, mundo, & Regno nuncium remisit, atque Pipino permissis fortunis ac ditionibus suis, in Cœnobio Montis Cassini vitam monasticam professus, sancte obiit.

obiit. Videsis Carolomanni Elogium, quod texit *Mabillonius* part. 2. sæculi 3. Benedictini. *Grifo* filius Caroli Martelli natu minimus ægre ferens, se in nullam hæreditatis partem admissum, bellum adversus fratres suos movere cœpit, sed sæpius debellatus, & e tota Francia expulsus, in Alpium transitu, dum Italiam peteret nova bella instauraturus, occisus est. Carolomanni abdicatione, & Grifonis morte, omnis potestas in unum Pipinum ipsorum fratrem germanum traducta est. Regium quidem nomen & honoraria jura *Childericus* hujus nominis III. qui anno DCCXLII. Francorum Rex salutatus fuerat, per decennium adhuc retinuit, sed anno DCCLII. ob socordiam in Conventu Suessionensi depositus ac detonsus in Sitivense, seu Bertinianum Monasterium detrusus est, & Pipinus Galliarum Rex fuit renunciatus. Cum hoc Childerico extincta est prima stirps Galliarum Regum *Merovingiorum* dicta, cœpitque in Pipino secunda stirps Regum Francorum *Carlovingiorum* nuncupata. Pipinus itaque Galliarum Rex inauguratus iis virtutibus inclaruit, quæ nomen ejus ad æternam memoriam propagarunt. Romanos quippe Pontifices Stephanum II. & Stephanum III. protexit a Longobardis, & a Græcis injuste vexatos. Longobardos in Italia aggressus est & profligavit. *Aistulphum* eorum Regem in fugam dedit, & cum illo ea tantum lege pepigit pacem, ut Ravennatem Exarchatum, aliasque Civitates Romano Pontifici restitueret. Ast Francorum discessu *Aistulphus* metu solutus, cum datis promissis stare nollet, iterum Pipinus transgressis Alpibus hostem adoritur, ipsique ereptum Ravennæ Exarchatum Romano Pontifici asseruit, ac perpetuo addixit. Post hæc, & alia id genus præclare gesta Pipinus anno Regni sui XVII. seu anno æræ Christianæ DCCLXVIII. extremum diem clausit Parisiis. Ejus filii *Carolus*, & *Carolomannus* eodem anno paternum Regnum partiti sunt; sed Carolomanno intra triennium extincto, *Carolus* solus regnavit, & sub ipso Occidentalis Imperii dignitas, quæ anno CCCCLXXVI. in *Augustulo* desierat, meliore Orbis Christiani sæculo post interstitium annorum CCCXXIV. reflorescere occœpit. Fuit autem *Carolus* a magnitudine rerum gestarum, *Magnus*, post mortem appellatus, domi forisque optimus, ingenii ac morum virtutibus clarus, bellicaque virtute nulli secundus. Hadriano I. Pontifici Maximo contra Longobardos suppetias laturus, cursu celeri superatis Alpibus, cum numeroso exercitu, in Italiam venit, & a Summo illo Pontifice apparatu honorificentissimo Romæ exceptus, donationem a Pipino Patre suo Romanæ Ecclesiæ factam, confirmavit, addito Spoletano Ducatu. Dein, Roma digressus Ticinum, seu Papiam obsedit, ubi capto *Desiderio*, ultimo Longobardorum Rege ac Leodium relegato, Longobardorum Regno potitus, a Leone III. Pontifice Maximo, ob præclaram Ecclesiæ Romanæ navatam operam, Imperator Occidentis est renunciatus, aureoque diademate coronatus die Natalis Christi Domini anni DCCCI. Multa Capitularia edita a *Baluzio* tom. 1. Capitularium Regum Franciæ inserta, quæ leges cum Ecclesiasticas, tum civiles complectuntur edidit. Complures Ecclesias, variaque Monasteria muneribus & privilegiis auxit, quæ in Annalibus Ecclesiasticis Francorum a doctissimo *Carolo Cointio* exaratis describuntur tomo VI. Academias Parisiis, Osnaburgi, Papiæ, Bononiæque fundasse dicitur, & pluribus in Civitatibus Scholas publicas ad Juvenum educationem instituit. Hæc ad propagandam Religionem, restituendam disciplinam, atque amplificandam Ecclesiam Romanam præstitit Carolus Magnus, cujus bellica virtus in administratione Regni maxime emicuit. Ab anno siquidem DCCLXXII. usque ad annum DCCLXXXV. cum Saxonibus pertinax bellum gessit, quod feliciter tandem confecit, illis, una cum *Withekindo* eorum Duce, ad baptismum suscipiendum adductis. *Frisios*, *Hungaros*, *Saracenos* in Hispania, *Avares*, *Bohemos*, & *Danos* vicit ac profligavit. Sed de Carolo Magno in nostris Colloquiis in nonum Ecclesiæ sæculum iterum redibit sermo, quia ad exordium noni sæculi, hoc est, usque ad annum DCCCXIV. vitam produxit.

„ (*a*) Id moris seu potius abusus jam olim ante tempora in Italiam introductum eruere mihi visus sum ex epistola Felicis IV. ad Ecclesium Ravennatensem Episcopum, in qua edicitur ut bona Ecclesiastica e manibus divitum laicorum vindicentur & restituantur Ecclesiis, quæ eorum administrationem Clericis committant. Epistolam hanc integram servavit nobis Agnellus in suo Pontificali Ravennatensi a P. Bacchino edito, ut in notis ad vitam Felicis indicavi.

D. Gaudeo plane, quod de Ecclesia Romana tam bene meriti sint Gallorum Reges, & extinctum jam diu in Occidente excitarint Imperium. Nunc Statum Ecclesiæ sub Regibus, qui octavo sæculo Hispanias gubernarunt, rogo te, ut breviter exponas.

M. Res Ecclesiæ sub Regibus, qui octavo sæculo in Hispaniis dominium obtinuerunt, pessimo loco fuerunt. At enim *Witiza*, qui, sicut superius observavimus, in Regnum Hispaniæ successit Patri suo *Egicæ* anno DCCI. moribus depravatus Regnum exhibuit, teste *Mariana* lib. 6. cap. 19. omnium turpitudinum maculis deformatum, crudelitate immane, & præcipue impietate adversus Divinas & Ecclesiasticas leges insigne. Excessit e vivis *Witiza* anno DCCX. Regni sui decimo, & duos reliquit filios *Ebam*, & *Sisebutum*, quibus tamen prætermissis, *Rudericus*, ut in nummis appellatur, Hispaniæ Regnum suscepit. Verum anno sequenti, seu DCCXI. a Saracenis in Hispanias irrumpentibus, victus & occisus est. Celebris est hic annus Saracenorum in Hispanias transitu, & Gothicæ Majestatis in Hispaniarum Regno extinctione, quæ Ruderico ultimo in Hispaniis Gothorum Regi adscribitur. Ille quippe invitam licet ac reluctantem filiam *Juliani* Comitis, *Clavam* nomine, violavit, eamque pellicis loco habuit. Quam injuriam *Julianus* ultus est Reipublicæ pernicie, habitoque cum *Muza*, qui *Ulit* Miramolini Saracenorum nomine Africam gubernabat, tractatu, Mauros in Hispaniam evocavit, a quibus Hispali occupata, decretorio tandem certamine

Ru-

Rodericus Rex profligatus, deletum Gothorum Imperium; & in Christianos crudeliter sævitum est. Dum huic Hispaniæ expeditioni totus incumbit *Muza*, & miseris modis Hispanias dilacerat, *Pelagius* quidam genere Gothus in Montibus Asturicis contra Mauros rebellat anno DCCXIX. & Asturiarum Rex proclamatur. Quod cum audisset *Tarek* Saracenorum exercitus Dux, qui Cordubæ residebat, *Alchamam* militiæ Præfectum misit, una cum *Oppa* Episcopo Hispalensi, *Egicæ* quondam Hispaniarum Regis filio, qui a Saracenorum partibus stabat. At *Pelagius*, qui se receperat in Speluncam, cui S. *Mariæ de Covandoga* nomen est, minas & promissa, quibus *Oppas* Hispalensis Episcopus eum ad obedientiam reducere satagebat, contemnens, e latebris erupit, &, Divino favente numine, ingentes Saracenorum edidit strages, *Oppamque* perfidum patriæ hostem cepit. Hoc tantæ cladis nuncio perculsus *Munnzas*, qui Civitati *Gegioni* Maritimæ, & Asturiis pro Saracenis præsidebat, fugam arripuit; sed ab Asturibus in vico, qui *Olalies* dicitur, captus & interfectus est. Hac insigni de Saracenis reportata victoria *Pelagius*, vir impiger, juxta ac pius, & unicum afflictæ Hispaniæ auxilium, non solum Astures ad spem libertatis erexit, eorumque Regnum firmavit, sed etiam in vicinas Regiones propagavit, *Legione* videlicet, *Gegione*, aliisque munitissimis Urbibus a Maurorum servitute, ac tyrannide ereptis. Obiit Pelagius anno DCCXXXVIII. filiumque superstitem reliquit, nomine *Favilam*, qui ei in Regno successit, sed nulla re egregie gesta clarus anno secundo Regni sui ab Urso interfectus est. Mortuo *Favila* absque prole, *Alphonsus* gener Pelagii Hispaniarum Rex salutatus, captatis ex intestinis Maurorum discordiis rei bene gerendæ occasionibus, Asturiarum Regnum armis amplificare non destitit. Fuit Alphonsus Rex Catholicæ Religionis cultor eximius, ob idque *Catholicus* cognominatus. Captis Civitatibus Episcopos restituit, Christianorum templa instauravit, vel Mauricæ superstitionis sordibus contaminata repurgari curavit, sacra supellectili exornavit, locupletavitque, ac denique multis virtutibus celebris, post plures de Saracenis reportatas victorias, fato functus est anno DCCLVII. quinque ex *Ormisinda* filia Pelagii Regis, quam uxorem duxerat, liberos reliquit, *Froilam*, *Bimaranum*, *Aurelium*, & *Ausendam*, sive *Adesindam* filiam. Ex Ancilla vero filium dictum *Mauregatum* suscepit. Froila in Regnum Asturiarum Alphonso Patri suo successit, Mauros ingenti prælio superavit, Vascones perduelles domuit; sed partam tot victoriis gloriam turpiter fœdavit nece fratris sui *Bimarani*, in cujus vindictam vicissim a fratre suo *Aurelio* occisus est, relicto filio *Alphonso* dicto *Casto*. Post Froilam regnavit *Aurelius* ejus frater parricidio Regnum adeptus. Quo regnante bellum servile in Hispania exarsit, Servis contra Dominos arma sumentibus, quod tamen Regis prudentia mox sopitum est, ut scribit *Vasæus* in Chronico. Mortuo Aurelio anno DCCLXXV. *Silo* sororis ejus maritus in Asturiarum, & Legionensium Regnum ei successit, sed cum filios non haberet *Silo*, neque spem suscipiendæ prolis, animum a negotiis avertit, otio ac quieti indulsit, summamque rerum penes Alphonsum dictum *Castum* Froilæ Regis filium reliquit, ut scribit idem *Vasæus* in Chronico. Anno DCCLXXXIII. e vivis excessit *Silo*, eique successit *Alphonsus* Froilæ Regis filius appellatus *Castus*, quod a *Bertha* uxoris suæ amplexibus perpetuo abstinuerit. Ægre tulit *Mauregatus*, quod communi Magnatum suffragio Regnum ad Alphonsum, cujus Patruus erat, tametsi ex stupro genitus, fuisset delatum. Unde injuriæ ferendæ impatiens ad a Mauros, & ad *Abderrhamanum* eorum Regem confugit, comparatisque Saracenorum copiis, & Alphonso Rege in Cantabriæ partem compulso, Regnum occupavit, quod annis quinque & mensibus sex tenuit, & per id temporis, juxta pactum, quod cum Saracenis pepigerat, solvit, proh pudor! ignominiosum tributum annuum quinquaginta nobilium Virginum, & totidem plebejarum. At mortuo Mauregato an. DCCXC. *Veremundus* Diaconus Bimarini a Froila occisi filius, Asturiarum Rex acclamatus Alphonso cognomento *Casto* Regnum restituit, seu cum eo conregnavit usque ad annum DCCXCI. quo Historici Hispanici initium Alphonsi solius regnantis consignant. Fuit autem Alphonsus Rex, teste *Mariana*, perpetua rerum gestarum felicitate, bellicis artibus, Clementiæ, Religionis, & liberalitatis laude suis apprime charus, exteris formidabilis, cujus virtute inclinatæ Hispaniæ res stetere. Ad ultimam senectutem cum processisset, propediem moriturus *Ramirum* Veremundi Regis filium in Procerum conventus successorem Regni designavit, & e vita discessit anno DCCCXLIII. vel, ut alii volunt, anno DCCCXLIV. Hæc est series Regum Christianorum, qui octavo Ecclesiæ sæculo Legionensium & Asturiarum Regno in Hispaniis potiti Christianos a Maurorum tyrannide in libertatem asseruerunt, dum cæteri Christiani, qui in aliis Hispaniarum partibus sub Maurorum Imperio patebant, duræ servitutis jugo oppressi gemerent, adeoque modo *mixti Arabes*, modo *Muzarabes* appellarentur, eo quod cum Mauris, seu Arabibus promiscue essent confusi. Hinc Missa & Officia Ecclesiastica, quibus illi Christiani sacris operantes utebantur, *Mozarabica* dicebantur, qua de re legesis peritos Rituum Ecclesiasticorum viros Cardinalem *Bona*, Card. *Thomasium*, & *Joannem Mabillonium*.

D. Fuitne Christiana Religio octavo Ecclesiæ sæculo apud barbaras nationes propagata?

M. Christianam Religionem octavo Ecclesiæ sæculo plurimum in Germania promovit S. *Bonifacius* alias *Winfridus* appellatus, natione Anglus, qui anno DCCXVI. prædicandi Evangelii causa, assumptis duobus aut tribus Monachis, ex Anglia in Frisiam navigavit, ubi ad veram fidem erudiendis Frisiis triennium, una cum S. *Willebrodo* illius Regionis Episcopo, postquam consumpsisset, Episcopali dignitate recusata, eam Provinciam deseruit ut Germaniæ partes adiret; ad quas, se a Gregorio II. Summo Pontifice missum, dicebat. Ivit itaque in *Hassiam*, & *Thuringiam*, ubi felicissimo exitu Evangelium prædicavit. Exin, Romam profectus a Gregorio II. Legatus Sedis Apostolicæ creatus est, auctoritate Apostolica Gentibus, qui-

bus

bus Christus necdum fuerat annunciatus, Evangelium prædicaret, ipsumque sibi demandatum adimpleret concionandi Officium. Episcopus etiam ab eodem Summo Pontifice consecratus est, sed nulli tamen determinatæ sedi affixus, quo facilius hac illac percurrendo, Evangelium in Germania disseminaret, & Oves undique conquisitas in unum Ovile congregare posset. Multa ad stabiliendam fidem, & sanciendam disciplinam Ecclesiæ, in Germania celebravit Concilia S. Bonifacius. *Bajoariam*, quam nunc *Bavariam* dicimus, in quatuor Episcopatus, nempe Salisburgensem, Frisingensem, Ratisponensem, & Pataviensem divisit, & in hanc Provinciam, procul eliminata Idololatria, dispulsisque erroribus, quibus adhuc *Bajoarii* adhærescebant, fidem Christianam postliminio revocavit, ut testatur *S. Willibaldus* in ejus Vita, ubi hæc habet: *non solum invitatus* (S. Bonifacius) *Bajoariorum ab Odilone Duce, sed & spontaneus visitavit incolas, mansitque apud eos diebus multis prædicans & evangelizans Verbum Dei, veræque fidei ac Religionis Sacramenta revocavit*. Post multos in Germania exhaustos pro conversione Infidelium labores, S. Bonifacius Anno DCCXLV. Episcopus Moguntinus cum Metropolitæ dignitate a *Zacharia* Romano Pontifice factus est. Quam Ecclesiam rexit usque ad annum DCCLIII. quo Frisiam iterum profecturus *Lullum* successorem impetravit, quem ipsemet, accedente Pipini Francorum Regis consensu, consecravit, & in Episcopatum Moguntiacensem sibi substituit. Tunc vero pergens in Frisiam Episcopatus Trajectensis administrationem suscepit, cumque latas Frisonum Regiones prædicandi Evangelii causa, indefesso studio lustraret, venit ad flumen quoddam, ubi inhumana cæde una cum suis sociis pro fide necatus est die V. mensis Junii anni DCCLIV. vel DCCLV. & in Monasterio Fuldensi, quod ipse fundaverat, sepultus. Vitam S. Bonifacii Germaniæ Apostoli paucis ab ejus obitu annis *S. Willibaldus* scripsit, quam *Othlonus* Monachus, qui anno MLXII. vivebat, Epistolis, Actis Conciliorum, & aliis id genus momentis auxit, eamque præviis observationibus illustratam doctissimus *Mabillonius* inseruit part. II. sæculi III. Benedictini. In conversione Infidelium, qui in variis Germaniæ Provinciis octavo sæculo adhuc reperiebantur, egregiam itidem cum S. Bonifacio navarunt operam *S. Willebrordus*, *S. Willibaldus*, & *S. Wnebaldus*. Enim vero S. Willebrordus tentatam ab Archiepiscopo Coloniensi *Egberto*, & *Wigberto* Frisonum conversionem feliciter perfecit, &, ut testatur S. Bonifacius in Epist. 99. ad Stephanum Papam, Sedis Trajectensis ad Rhenum Auctor ac primus Episcopus fuit, quam Sedem postea Paulus IV. Summus Pontifex anno MDLX. in Archiepiscopalem erexit. De ejusdem Episcopatus institutione loquitur Venerabilis Beda lib. 5. cap. 12. additque S. Willebrordum plures Ecclesias, & nonnulla Monasteria per illas Regiones construxisse, atque in illis Antistites constituisse. S. *Willibaldus* Eistensis Ecclesiæ primus Episcopus a S. Bonifacio Germaniæ Apostolo consecratus, Monasterium ibidem condidit, lateque per vastas Bojoariorum, seu Bavarorum Provincias cum multis operariis Christi fidem propagavit, & postquam per multos annos hunc Episcopatum rexisset, ad Deum migravit. Duæ extant Vitæ hujus Sancti, primi Ecclesiæ Eistensis Episcopi. Una a quadam Sanctimoniali Heidenheimensis Monasterii scripta; altera ab Auctore Anonymo perantiquo Scriptore edita, & utraque Vita a doctissimo Mabillonio sæculo III. Benedict. part. II. recitata, & Notis illustrata est. Denique *S. Wnebaldus* frater S. Willibaldi in Thuringiam* anno DCCXXXVIII. accessit, populos illius Provinciæ fide Christiana imbuit. Dein, in Bojoariam sese contulit, permultos ibidem adhuc Paganorum præstigiis pollutos a pravitate morum abduxit, atque transacto triennio in Germaniam rediit, ubi frater ejus Willibaldus in Urbe Eistensi Episcopus erat. In hac Diœcesi ad locum, qui vocabatur *Heidenen*, Monasterium extruxit, primusque fuit Abbas hujusce Monasterii Heidenheimensis. Plurimas Paganicæ pravitatis superstitiones, multosque diabolica fraude deceptos Idola colentes in his partibus adinvenit. Alii namque Aruspicia observantes, alii incantationum frivola facientes, alii variis vitiis impliciti ad eum occidendum vel comburendum sæpe numero per maleficia animum intenderunt. Sed vir Dei tot inter pericula intrepidus, & pro salute illorum incredibili zelo exæstuans non desinebat docendo plebem ab erroribus Infidelium persuadendo educere. Vita S. Wnebaldi primi Heidenheimensis Abbatis scripta a quadam sanctimoniali Heidenheimensi ejus consanguinea extat sæculo III. Benedict. part. I.

Hunc in modum octavo Ecclesiæ sæculo Christiana fides per viros Apostolicos in Germania sata ac propagata est, a qua tamen Saxones cum identidem deficerent, coactus est *Carolus* Magnus Occidentis Imperator sæpius cum illis redintegrare bellum, donec anno DCCLXXXV. de eorum Idololatria, & perfidia insignem triumphum egit, Saxoniam in Provinciam redegit, *Witichindum* illius gentis Ducem Baptismum postulantem Attiniaci sacro Fonte levavit, eique nonnullas restituit Arces, alias præsidiis firmavit. Tunc *Witichindus* Saxonum Dux sacro Baptismate initiatus, sciens Carolum Magnum de construendis in Saxonia Ecclesiis sollicitum esse, idoneum obtulit locum, quem suo jure servabat ad ripam *Wisurgis*, ubi *Mindensis* Episcopatus fundatus est, & *Herimbertus* primus Episcopus ordinatus. Præter hunc Mindensem Episcopatum, alius in Saxonia erectus est, *Verdensis* scilicet, ut ostendit *Henschenius* ad diem primum mensis Martii in Vita S. *Suiberti* Episcopi, & Frisonum Apostoli. Postremo, *Hunnos*, seu *Avares*, qui jam pene a trecentis annis Romanos afflixerant, quique Christianæ Religionis erant infensissimi hostes, cum *Carolus Magnus* debellare decrevisset, *Theodo*, vel *Tudo*, aut *Todanus* eorum Rex ad eum supplex venit, ut una cum suis fidem Christianam, prostratis ac contritis Idolis, susciperet. Eum ad se venientem Carolus Magnus honorifice excepit, baptizatum muneribus

bus cumulavit, Presbyteros, qui illam gentem edocerent fidem Catholicam, misit; & thesaurum ab *Henrico* Francorum exercitus Duce ex Hunnorum Regia Urbe, quæ *Ringus* dicebatur, ad se transmissum partim distribuit inter Episcopos, Abbates, & Optimates; partim Romam per *Angilbertum* ad limina Apostolorum deferri jussit. Sic Carolus Magnus bellum in Germania contra Barbaras, & Infideles nationes magno semper Christianæ Religionis bono gessit, easque, divino adjutus præsidio, a gentili cultu sincere conversas ad fidem Christianam firmiter retinendam feliciter traduxit. Sed de his quæ a Carolo Magno in Germania pro conversione Infidelium gesta fuisse hactenus diximus, legendi sunt *Eginhardus* in Vita Caroli Magni, *Poeta Saxonicus*, *Annalista Loiselianus*, *Annales Lauresbamenses*, *Bertiniani*, *Fuldenses*, & *Metenses*. Sed satis huc usque disseruimus de statu, & loco quo erant res Ecclesiæ sæculis septimo & octavo sub Imperatoribus, & Principibus Christianis.

COLLOQUIUM II.

In quo exhibetur continua series Episcoporum, qui sæculis septimo & octavo præcipuas Sedes, Romanam videlicet, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, & Constantinopolitanam tenuerunt.

D. CUM Ecclesia Romana sit omnium Ecclesiarum Mater, & illius Sedes totius unitatis Ecclesiasticæ centrum jure optimo a Sanctis Patribus appelletur; præstat ut Colloquium nostrum exordiamur a serie Episcoporum, seu Summorum Pontificum, qui sæculis septimo, & octavo Sedem Romanam tenuerunt, atque universam Ecclesiam tanquam Christi in terris Vicarii gubernarunt.

M. Texuimus in nostris præcedentibus Colloquiis seriem Summorum Pontificum, qui Sedem Romanam tenuerunt a S. Petro Apostolorum Principe usque ad S. Gregorium Magnum, hoc est, usque ad annum sexcentesimum quartum, quo S. Gregorius Magnus immortalis memoriæ Pontifex, postquam sedisset annos tredecim, menses sex, dies decem, mortuus est, & sepultus in Basilica B. Petri Apostoli die XII. mensis Martii; ut scribit Anastasius Bibliothecarius. Ad superos itaque S. Gregorio Magno evocato, *Sabinianus* natione Tuscus, post Interpontificium mensium sex & diei unius, Romanus Pontifex ordinatus est die XIII. mensis Septembris ejusdem anni sexcentesimi quarti. Fuerat *Sabinianus* Sancti Gregorii Magni Diaconus, ejusque Constantinopoli, imperante *Tiberio*, Apocrisarius. Brevissimum fuit Sabiniani Pontificium. Nam, teste Anastasio, annum unum dumtaxat, menses quinque, & dies novem sedit, obiitque die XXII. mensis Februarii anno DCVI. Optime *Papebrochius* in *conatu Chronico-Historico Pontificum Romanorum* observat, Baronium fidem adhibere non debuisse fabulæ a *Sigiberto* in Chronico relatæ, Sabinianum scilicet Romanum Pontificem propter avaritiam & duritiem suam in pauperes, a suo decessore S. Gregorio Magno per noctem apparente increpitum, percussumque in capite paulo post excessisse ex hac vita. Hæc siquidem narratiuncula nullo antiquitatis monumento nititur, nihilque tale habet quisquam antiquorum, qui de Vita & Miraculis S. Gregorii Papæ scripserunt, ne quidem *Joannes Diaconus*, qui tamen data opera finem libri quarti Vitæ Sancti Gregorii Magni ejusmodi exemplis per duodecim capita deductis implevit: Apage ergo hanc fabulam. (*a*) Post mortem Sabiniani cessavit Episcopatus menses XI. dies XXVI. ut ait Anastasius, & die decima nona mensis Februarii anni DCVII. *Bonifacius III.* Patria Romanus renunciatus est Pontifex Romanus, qui Edictum a *Phoca*, improbissimo licet Imperatore, obtinuit, quo sanciebatur, nomen Episcopi *Oecumenici*, seu *Universalis*, unum decere Romanum Pontificem, non autem Episcopum Constantinopolitanum, qui antehac illud temere usurpaverat. Vetuit hic Summus Pontifex in Synodo Romæ habita sub Anathematis pœna, ne Romano Pontifice, vel alio quovis Episcopo adhuc vitam agente, de illius successoris electione tractaretur, nisi post tertium ejus mortis ac depositionis diem. Obiit Bonifacius III. die decima mensis Novembris anni DCVII. post illius mortem fuit Interpontificium novem mensium & quindecim dierum. Quapropter Bonifacius IV. ex Valeria Civitate Marsorum oriundus, die vicesima quinta mensis Augusti, anni sexcentesimi octavi fuit Pontifex Romanus consecratus. Petiit a *Phoca* Imperatore Templum, quod appellatur *Pantheon*, in quo, teste Anastasio, fecit Ecclesiam Sanctæ Mariæ semper Virginis & omnium Martyrum. Cujus Ecclesiæ, quæ etiamnum Romæ extat, dedicatio inscripta est in antiquis Martyrologiis ad *diem* III. *Idus mensis Maji*, seu ad diem XIII. Maji, ut videre est in Martyrologiis *Bedæ*, *Usuardi*, *Adonis*, *Notkeri*, & in Martyrologio Romano hodierno, ubi appellatur: *Dedicatio Sanctæ Mariæ ad Martyres*. Sedit Bonifacius IV. annos sex, menses octo, dies tredecim, & ad Deum migravit die septima mensis Maji anni DCXV. Vacavit sedes post mortem Bonifacii IV. quinque menses, & dies undecim, ac subinde *Deusdedit* Patria Romanus, die decima nona mensis Octobris ad Pontificatum fuit evectus. Sedit annos tres, dies viginti, obiitque die VIII. mensis Novembris anni DCXVIII. Hujus Sancti Pontificis nomen in Martyrologio Romano *Galenisii*, & in antiquioribus non legitur, sed *Baronius* ob præclaras ejus virtutes Martyrologio Romano, a se auctoritate Apostolica emendato, illius nomen inscripsit ad diem VIII. Novembris. Refert etiam *Baronius*, Epistolam Sancti illius Pontificis ad *Gordianum* Episcopum Hispalensem. Verum, hanc Epistolam supposititiam esse, ex eo maxime probant periti hujus temporis Critici, quod nullus in Ecclesia Hispalensi *Gordianus* sederit sub Pontificatu *Deusdedit*. Constat enim, Sanctum *Isidorum* Hispalensem rexisse Ecclesiam ab anno Christi sexcentesimo usque ad annum sexcentesimum tricesimum sextum, ut ex *Ildephonso* Episcopo Toletano colligitur, ex quo sequitur, *Isidorum* Hispalensem Episcopum superstitem

tem fuisse non solum Summo Pontifici *Deus dedit*, sed etiam ejus successori Bonifacio V. Mortuo Summo Pontifice *Deus dedit*, fuit Interpontificium non *mensis unius*, *& dierum sexdecim*, uti perperam habent quidam Catalogi, sed *anni* unius, mensis unius, & dierum sexdecim, ut videre est apud *Cl. Pagium* ad annum Christi DCXVII. Unde Bonifacius V. natione Campanus, die vicesima tertia mensis Decembris, anni sexcentesimi decimi noni, ordinatus est Pontifex Romanus. Sub illius Pontificatu *Edvinus* Northumbrorum in Anglia Rex Gentilis accepit in uxorem *Edilbergam* fœminam Christianam. Quod conjugium ubi accepit Bonifacius Papa, litteras ad Edvinum Regem misit, quibus eum ad fidem Christianam hortatus est, aliasque direxit ad conjugem ejus *Edilbergam* piissimam fœminam, quibus illam monuit, ut salutis *Edvini* Regis sedulam ageret curam. Has Epistolas refert Baronius, easque descripsit ex Venerabili *Beda* lib. 2. Hist. Eccl. Gentis Anglorum. Sedit Bonifacius V. non ann. septem, menses decem, & diem unum, ut visum est Baronio, Natali Alexandro & aliis, sed sedit annos quinque, menses decem, sine ulla dierum appendice, ut videre est apud jam citatum Cl. Pagium, cujus, in consignandis Romanorum Pontificum annis, Chronotaxim, utpote cæteris accuratiorem, sequor. Bonifacius itaque V. qui Pontifex Romanus consecratus fuerat die XXIII. mensis Decembris anni DCXIX. obiit die XXII. mensis Octobris, anni DCXXV. Mortuo Bonifacio V. post Interpontificium quinque dierum, *Honorius* I. consecratus est Pontifex Romanus die XXVII. mensis Octobris ejusdem anni DCXXV. sedit Honorius I. annos duodecim, menses undecim, dies sexdecim, & sepultus est in Basilica B. Petri Apostoli die XII. mensis Octobris anni DCXXXVIII.

„ (*a*) Nihil ineptius excogitari unquam potuit, quam fabella de Sabiniani avaritia; nam præter ea, quæ animadvertit hic Gravesonius, author Pontificalis Roman. Pontif. narrat ejusdem Sabiniani cura triticum Ecclesiæ venditioni expositum ab eo fuisse solido uno in modios xxx. quod sane ex diametro opponitur fabellæ de Sabiniani avaritia sparsæ.

„ Fateor tamen esse Codices nonnullos, qui plane oppositum hac de re exprimunt; ita enim legunt verba Pontificalis: *jussit venundari frumentum populo, pro solidis triginta modium unum*. Hanc lectionem antiquam extitisse fateor, sed ab antiquis etiam aliis saniotibus codicibus reprobatam, ex eo infero, quod in codice nostro Lucensi, seculo VIII. scripto, nonnulla hic perturbara repererim, ita enim vetustus scriba expressit: *venundari frumenta per solidum* x. *unum modios* xxx. Sed ibi nota numeralis x. transversa linea ab antiqua manu deleta est; ex quo indicari censeo codicis hujus scriptorem geminas diversas lectiones in variis codicibus præ oculis habuisse, & cum unam cepisset exprimere, quasi facti pœnitens, ea relicta aliam prætulisse, ac si saniorem codicem judicasset, qui Sabiniano magis favebat.

„ De Bonifacio III. Sabiniani successore adnotare hic juvat variare paulisper codicem nostrum ab editis quoad dies Sedis, & interpontificii; sic enim legit: *Sedit Menses* VIII. *dies* XXII. *& cessavit Episcopatus menses* X. *dies* VII. quamvis postremus numerus unitatis deletus manu antiqua videtur.

„ De Bonifacio IV. hanc habes ex eo Codice variantem lectionem: *depositus die* XXV. *mensis Maji*, *& cessavit Episcopatus Menses* VI. *dies* XXV.

„ Deus dedit sedisse ibi legitur annis III. diebus XXIII. Interpontificium vero definit *ad mensem unum* depositusque scribitur die VIII. mensis Novembris.

„ Bonifacius V. sedisse hic habetur annis V. ac depositus *die* XXV. *Octobris*, cessatio Episcopatus prorogatur *ad dies* XIII.

D. Sine, quæso, ut te de Honorio I. Summo Pontifice loquentem paulisper interpellem. Erant nuperrime nonnulli viri eruditi, qui pertendebant, Honorium I. Romanum Pontificem in Monothelitarum Hæresim impegisse, eoque nomine in sexta Synodo Generali fuisse damnatum. Quid de illius Pontificis doctrina sentiant alii viri eruditi, lubenti animo auscultabo.

M. Duæ Epistolæ, quas *Honorius* I. Summus Pontifex ad *Sergium* Hæreticum Monothelitam Episcopum Constantinopolitanum scripsit, uberem insigni controversiæ de illius Orthodoxia, vel Monothelismo, suppeditarunt materiam, & præsertim quod Summus ille Pontifex Anathemate cum aliis Monothelitis implicatus reperiatur in Actis sextæ Synodi Generalis, qualia nunc extant. Omnes ad unum Hæretici, ut Sedi Apostolicæ, quam cane pejus & angue odio prosequuntur, infamiæ labem inurant, non dubitant asserere, *Honorium* I. Romanum Pontificem in Monothelismi luto hæsisse, quod etiam visum est quibusdam Catholicis, dictitantibus, standum esse judicio sextæ Synodi Generalis, quæ Honorium Papam Hæreticorum Monothelitarum Classi accensuit. Quod quidem Catholicorum argumentum ut eliderct Baronius existimavit, Acta sextæ Synodi Generalis non haberi sinceta, sed interpolatrice manu fuisse adulterata. Verum, hanc Eminentissimi Annalium Parentis conjecturam ab omni veri specie abhorrere judicant Classici Scriptores, ut opportunius ostendemus in quarto Colloquio, ubi de Conciliis contra Monothelitarum Hæresim celebratis, & præsertim de sexta Synodo Generali, deque illius Actorum integritate, sermonem instituemus. Hic ad Honorium I. Romanum Pontificem vindicandum a Monothelitarum Hæresi, breviter observasse sufficiat, Summum illum Pontificem a Monotheliticis deliramentis penitus alienum quidem fuisse, graviter tamen peccasse, tum quia consultationem *Sergii* Patriarchæ Constantinopolitani, & *Cyri* Patriarchæ Alexandrini, qui Monothelitica Hæresi erant infecti, ambiguis responsis elusit; neque statim emergentem hanc Hæresim damnavit, sicut ei ex officio incumbebat, ut testatur *Leo II.* Pontifex Romanus in Epistola *ad Hispanos Episcopos* his verbis: *Qui*, scilicet Honorius Papa, *flammam*

nam heretici dogmatis non , ut decuit auctoritatem Apostolicam, incipientem extinxit, sed negligendo confovit. Secundo, *Honorius* non solum silentio & dissimulatione peccavit, permittendo, ut Monothelitarum hæresis latius grassaretur, sed etiam quia præposteram servavit œconomiam, qua voluit, ut de una, vel gemina in Christo servatore nostro voluntate & operatione, altum silentium haberetur, cum tamen debuisset geminam in Christo voluntatem & operationem, quam negabant Monothelitæ, aperte defendere, confirmare, & propalare tanquam fidei Catholicæ dogma. Tertio, *Honorius* in suis Epistolis asserit, voces geminæ voluntatis & operationis esse *novas*, *Patribus ignotas*, *recenter inductas*, ac proinde inter fideles non introducendas; ait etiam; *ineptum*, *otiosum*, & *grammaticale* esse, duas in Christo post unionem voluntates, & operationes mansisse, eosque, qui de una, vel gemina in Christo voluntate veritatem indagare volunt, *Vanos* appellat *Naturarum ponderatores*, *otiosos negotiatores*; quibus certe loquendi modis Monothelitarum hæresi patrocinari visus est. Quarto, *Honorius* nimia facilitate assensus est Consiliis *Sergii* Patriarchæ Constantinopolitani Hæretici Monothelitæ, ac plus æquo fidem adhibuit calumniis, quas ille Monothelita in suis Epistolis contra *Sophronium* Episcopum Hierosolymitanum Monothelitarum hæresis insectatorem acerrimum, confinxerat. Ob has & consimiles rationes Patres sextæ Synodi Generalis *Honorium* tanquam Hæreseos fautorem & dissimulationis reum damnarunt, non tamen ut Hæreticum sententia, ac electione prava & pertinacia infestis Monothelitarum dogmatibus consentientem. Hinc jure ac merito viri sanctitate & doctrina toto in Orbe Christiano conspicui ab Honorio I. Romano Pontifice Hæreseos labem abstersserunt, quos inter sunt *Joannes IV.* Pontifex Maximus in Apologia pro *Honorio* ad Constantinum Imperatorem filium Heraclii, *S. Maximus Martyr* in Dialogo cum Pyrrho Monothelita, & in Epistola ad *Marinum*, quæ extat Anastasii collectanea; *Anastasius Bibliothecarius* in suis ad *Joannem Diconum* Collectaneis. Prætermitto Scriptores modernos, *Combefisium* in sua *Historia Monothelitarum*, *Natalem Alexandrum*, *Antonium Pagium*; aliosque Scriptores Ecclesiasticos, qui præclaris dissertationibus Monothelitarum hæresim ab Honorio I. Summo Pontifice amoliuntur. Sed in sequentibus nostris Colloquiis de Honorii hujus nominis primi Pontificis Maximi Orthodoxia, iterum redibit sermo.

D. Redeamus ad seriem Pontificum, qui sæculo septimo Sede Romanam tenuerunt?

M. Post interjectum unius anni, septem mensium, & quindecim dierum ab obitu Honorii hujus nominis primi interpontificium, *Severinus* Patria Romanus consecratus est Pontifex Maximus die XXVIII. mensis Maii anni sexcentesimi quadragesimi (*a*). Hujus tamdiu dilatæ ordinationis causam, merito rejicit Baronius in negatam confirmationem ab Exarcha Ravennatensi, ab Imperatore, donec *Ecthesim* Imperatoris Heraclii electus Pontifex Romanus approbasset, sed cum *Severinus* nullo pacto sua approbatione munire voluisset, & potius illam una cum Monothelitarum Hæresi damnasset, *Isaacius* Exarcha Ravennatensis, Romam venit, & Patriarchicum Lateranense expilavit. Sedit *Severinus* menses duos, & dies quatuor, obiitque die prima mensis Augusti ejusdem anni sexcentesimi quadragesimi. Mortuo Severino, vacavit Sedes Apostolica menses quatuor, & dies viginti quatuor; quare *Joannes IV.* natione Dalmata ordinatus est Pontifex Romanus die XXIV. mensis Decembris ejusdem anni sexcentesimi quadragesimi. Quo anno Romæ indixit Synodum contra Monothelitas, quorum Hæresim confixit, illiusque Synodi exemplar misit ad *Heraclium* Imperatorem. Sedit annum unum, menses novem, dies octodecim, ac fato functus est die undecima mensis Octobris anni sexcentesimi quadragesimi secundi. Post illius obitum cessavit Episcopatus mensem unum, & dies tredecim, ideoque *Theodorus* natione Græcus ordinatus est Pontifex Romanus die vigesima quarta mensis Novembris ejusdem anni sexcentesimi quadragesimi secundi. *Pyrrhum*, & *Paulum* Patriarchas Constantinopolitanos Hæreticos Monothelitas damnavit hic Summus Pontifex, seditque annos sex, menses quinque, & dies novemdecim, atque humanis ereptus est die decima tertia mensis Maji anni DCXLIX. Post mortem Theodori fuit interpontificium dierum quinquaginta duorum, sicque *Sanctus Martinus* oriundus e Civitate Tudertina in Provincia Tusciæ ordinatus est Pontifex Romanus die quinta Julii anni DCXLIX. Nihil prætermisit Imperator *Constans* ut a Summo illo Pontifice extorqueret confirmationem *Typi* a se promulgati, seu perfidæ fidei formulæ, planeque Orthodoxæ doctrinæ oppositæ Edicto propositæ. Verum, Martinus hujus nominis primus Pontifex Maximus sibi semper constans, Dei furorem ac minas magis veritus, quam Imperatoris, ei morem gerere noluit, sed Romæ convocata Lateranensi Synodo *Typum* Imperatoris *Constantis*, & Monothelitarum Hæresim, ejusque Coryphæos *Cyrum* Patriarcham Alexandrinum, *Sergium*, *Paulum*, & *Pyrrhum* Constantinopolitanos successione Patriarchas damnavit. Hæc Monothelitarum damnatio, nec non Anathema *Typo* Constantis Imperatoris in hac Synodo dictum, maximam apud eumdem Imperatorem *Martini* Sanctissimo Pontifici conflarunt invidiam. Id enim, ubi accepisset Hæreticus ille Imperator, multa in eum confinxit crimina, propter quæ *Calliopam* Exarcham Ravennatensem Romam anno DCLIII. misit, qui militari manu armatus Sanctum Pontificem die XIX. mensis Junii apprehensum noctu imposuit navi, & ad Insulam *Naxon* (quæ una est ex Insulis Cycladibus in Mari Ægæo positis) deportavit, in qua insula Sanctus ille Confessor anno integro moratus est continuis morbis afflictus & laboribus plurimis oppressus. Inde, ad diriora subeunda tormenta Constantinopolim

perductus, post interrogationes sibi a Sacellario Ecclesiæ Constantinopolitanæ factas, catenis ferreis toto corpore vinctus per Urbem tractus est. Dein, in carcerem conjectus, pressura vinculorum, frigore & inedia maceratus fuit, jamque de vita Sancti illius Pontificis plane actum erat, nisi ejus cædem *Paulus* Patriarcha Constantinopolitanus, Hæreticus licet Monothelita, moriens Imperatori dissuasisset. Morti itaque ereptus est S. Pontifex, ut mortem diuturniorem in exilio pateretur. *Chersonam* quippe relegatus omnium rerum inopia, morbis & ærumnis confectus ad cælestem patriam Martyrum coronam percepturus migravit die XVI. mensis Septembris anni DCLV. Hic autem obiter observandum est, Ecclesiam Romanam a die decima nona mensis Junii anni sexcentesimi quinquagesimi tertii, quo die Sanctus Martinus Papa, ut jam diximus, captivus ductus est, usque ad diem octavam mensis Septembris anni sexcentesimi quinquagesimi quarti, quo ordinatus est *Eugenius* Pontifex Romanus, fuisse gubernatam ab Archidiacono, Archipresbytero, & Primicerio, ut testatur idem S. Martinus in Epist. XV. ad *Theodorum*. Sed cum timeret Clerus Romanus, ne a *Constante* Imperatore daretur Romanus Pontifex, qui ejusdem cum ipso Monothelitarum hæresis esset propagator, alium Pontificem Romanum, *Eugenium* scilicet, superstite adhuc S. Martino, die octava Septembris anni sexcentesimi quinquagesimi quarti eligendum, ordinandumque necessario duxit. *Baronius* existimat, *Eugenium* electum Pontificem Romanum usque ad S. Martini Papæ mortem, quæ, ut diximus, accidit die XVI. mensis Septembris anni DCLV. per imaginem dumtaxat sedisse, & Vicaria solum potestate gregem gubernasse, quem postea, S. Martino defuncto, doctrina & exemplo pavit. At Cl. *Pagius* in sua Critica Baronii ad annum DCLII. & DCLIV. asserit, *Eugenium* electum Pontificem Romanum, vivente licet adhuc S. Martino, vere Pontificia auctoritate Romanam rexisse Ecclesiam, quia etsi hæc Eugenii electio facta fuerit inscio S. Martino, attamen postquam illam electionem a Clero Romano ad præcavendas *Constantis* Imperatoris Monothelitæ insidias factam esse accepisset Sanctus ille Pontifex pro fide Catholica exul, eam sibi gratam fuisse testatus est in Epistola Chersona ad quemdam sibi Charissimum scripta, quam recitat Baronius. Præterquam quod, a sæculis plane inauditum est, mortuo, vel absente Romano Pontifice, fuisse aliquem Vicarium Romanæ Ecclesiæ Præfectum (*a*). A die itaque octava mensis Septembris anni DCLIV. numerari debet tempus Pontificatus *Eugenii* hujus nominis primi, cumque, teste Anastasio, sederit Eugenius annos duos, menses octo, dies viginti quatuor, sequitur, Eugenium Papam mortuum esse die prima mensis Junii anni sexcentesimi quinquagesimi septimi. Post mortem Eugenii vacavit Sedes Pontificia mensem unum, dies viginti novem, ut scribit Anastasius. Quare die trigesima mensis Julii anni sexcentesimi quinquagesimi septimi *Vitalianus* patria Signiensis Provinciæ Campaniæ ordinatus est Pontifex Romanus, cujus & in propaganda Religione Catholica studium, & animi magnitudo variis exercita casibus sæpe sæpius eluxit. *Constantem* Imperatorem Hæreticum Monothelitam ad Catholicas partes traducere totis viribus conatus est; eumque Romam venientem amanter & perhonorifice excepit. Sedit *Vitalianus*, teste Anastasio, annos quatuordecim, menses sex; & obiit die XXVII. mensis Januarii anni DCLXXII. ad quam diem *Bollandus* in Actis Sanctorum Vitam ejus descripsit. Post mortem *Vitaliani* fuit Interpontificium duorum mensium, & dierum viginti quinque, unde die vicesima secunda mensis Aprilis ejusdem anni DCLXXII. *Adeodatus* consecratus est Pontifex Romanus. Sedit annos quatuor, menses duos, & dies quinque, ac subinde mortuus est die vicesima sexta mensis Junii anni DCLXXVI. Post illius obitum cessavit Sedes menses quatuor & dies quinque, & *Donus* illius successor ordinatus est Pontifex Romanus die I. mensis Novembris ejusdem anni DCLXXVI. Sedit annum unum, menses quinque, dies decem, & decessit e vita die XI. mensis Aprilis Anni DCLXXVIII. Post *Doni* mortem cessavit Pontificatus menses duos, dies quindecim, adeoque S. *Agatho* natione Siculus die vicesima septima mensis Junii ejusdem an. DCLXXVIII. inauguratus est Pontifex Romanus, qui habita Romæ Synodo Monothelitas damnavit, præfuit per suos legatos sextæ Synodo Œcumenicæ contra eosdem Hæreticos Monothelitas anno DCLXXX. coactæ, seditque annos tres, menses sex, dies quindecim, obiitque die decima mensis Januarii anni DCLXXXII. Mortuo Agathone, fuit Interpontificium septem mensium & septem dierum, atque in ejus locum *Sanctus Leo* hujus nominis secundus die XVII. mensis Augusti ejusdem anni DCLXXXII. suffectus est & ordinatus Pontifex Romanus. Is sextam Synodum Generalem auctoritate sua confirmavit, seditque menses decem, dies septemdecim, & ad Deum migravit die III. mensis Julii anni DCLXXXIII. Post mortem *Leonis II.* cessavit Episcopatus menses undecim, dies viginti duos, quo fit ut *Benedictus* hujus nominis secundus, Patria Romanus, consecratus fuerit Pontifex Romanus die XXVI. mensis Junii DCLXXXIV. sedit menses decem, dies duodecim, & abiit e vivis die VII. mensis Maji anni DCLXXXV. Duæ Epistolæ, quæ *Benedicti* secundi nomine inscribuntur, quarum prima directa est ad *Petrum* Notarium Regionarium, altera data est ad *Ervigium* Hispaniarum Regem, jure merito tanquam spuriæ a Cardinali Baronio rejiciuntur. Post *Benedicti* hujus nominis secundi obitum, cessavit Pontificatus menses duos, & dies quindecim, ut habet Anastasius, ac subinde Joannes hujus nominis V. natione Syrus ordinatus est Pontifex Romanus die vicesima tertia mensis Julii anni DCLXXXV. sedit annum unum, menses decem, & mortuus est die secunda mensis Augusti anni DCLXXXVI. Post mortem Joannis V. fuit Interpontificium mensium duorum, & dierum octodecim, quam ob rem *Conon* genere Thrax ordinatus est Pontifex Romanus die

vice-

vicesima prima mensis octobris ejusdem anni DCLXXXVI. Sedit menses undecim, & e vita migravit die XXI. mensis Septemb. anni DCLXXXVII. Mortuo *Conone* Summo Pontifice, extitit Schisma *Theodorum* Archipresbyterum inter & *Paschalem* Archidiaconum, ut ex Anastasio narrat Cardinalis Baronius, ad quod duorum Pontificatui inhiantium Schisma consopiendum, Clerici, Magistratus, & exercitus Duces, post interpontificium duorum mensium, dierum viginti duorum, tertium elegerunt, videlicet *Sergium* hujus nominis Primum, qui Pontifex Romanus consecratus est die XV. mensis Decemb. an. DCLXXXVII. Sedit annos tredecim, menses octo, dies viginti tres, & fato functus est die VII. mensis Septembris anni DCCI.

„ (*a*) Interpontificium ab Honorii obitu usque „ ad Severinum definitur in nostro Codice Lucensi anno I. mensibus VII. diebus XVIII. „ Tempus sedis mensibus II. diebus IIII. Depositio ejus signatur IV. Nonas Augusti. Cessatio „ Episcopatus mensibus IV. diebus XXIX.

„ Joannis IV. Episcopatus producitur ad annum I. menses IX. de diebus nihil. Depositio „ fertur die IV. Idus (sed *Idus* transversa linea „ deletum est manu antiqua) Octobris. In cessatione Episcopatus cum editis congruit.

„ Theodorus sedit annis VI. mensibus V. diebus XVIII. Depositio ejus notatur sub die pridie Idus Majas; in interpontificio cum editis „ congruit.

„ (*b*) Inter dissidentes Eruditorum sententias, „ num Eugenius electus fuerit verus Pontifex, „ agente adhuc in vivis S. Martino, mihi quidem præferenda judicaretur Cl. Pagii sententia, „ quæ ejus electioni in Romanum Pontificem favet, eidemque opinioni suffragari Pontificalis „ liber authorem arbitror, ex eo scilicet, quod „ nullum interpontificium inter Martinum & Eugenium statuit. Vix enim fieri potest, quin „ inter obitum S. Martini, & electionem Eugenii dies aliqua intercesserit, siquidem Eugenius nova alia electione post obitum decessoris „ sui opus habuisset. In meo vero Pontificali depositus S. Martinus scribitur die XVII. septembris. Tempus sedis Eugenii in MS. Pontificali „ Lucensi est annorum II. mens. IX. dier. XXIV. „ Depositio ejus est IV. Idus Junias. Interpontificium mens. I. dier. XXVIII. In ceteris nihil „ ab editis discrepat.

„ In Vitaliano omnia cum editis conveniunt, „ nisi quod cessatio Episcopatus est mens. II. dierum XIII. Adeodati interpontificium est mensium IV. dierum XV.

„ In Dono nihil differt ab editis.

„ Agatho sedit an. II. mens. VI. diebus IV. „ Interpontificium est an. I. mens. VII. diebus V.

„ Leo II. depositus notatur V. nona: Jul.

„ Benedicti II. depositio est VIII. Id. Majas.

„ Joannes V. sedit ann. I. diebus IX.

D. Descripsisti hactenus seriem Summorum Pontificum, qui septimo Ecclesiæ sæculo Sedem Romanam tennerunt: nunc, quæso te, recense eodem ordine Chronologico alios Pontifices, qui octavo Ecclesiæ sæculo eidem Sedi Romanæ, atque universali Ecclesiæ præfuerunt.

M. Mortuo *Sergio* hujus nominis primo, die VII. mensis Septembris anni DCCI. post Interpontificium unius mensis & dierum viginti, *Joannes VI.* natione Græcus ordinatus est Pontifex Romanus die vicesima octava mensis Octobris festo Apostolorum *Simonis* & *Judæ* sacra ejusdem anni DCCI. Sedit annos tres, menses duos, & dies duodecim, obiitque die XI. mensis Januarii anni DCCV. Eodem anno, post unius mensis, & dierum decem & octo Interpontificium, *Joannes VII.* natione Græcus die prima mensis Martii creatus est Pontifex Romanus. Hic Sanctum *Wilfridum* Eboracensem Episcopum ab *Alfrido* Northumbriæ in Anglia Rege, multis calumniis oppressum, habita Romæ Synodo absolvit, & in sedem, e qua injuste pulsus fuerat, restituit. Pontificatum gessit per duos annos, menses septem, dies septemdecim, atque supremum diem obiit die XVII. mensis Octobris anni DCCVII. Defuncto Joanne VII. cessavit Pontificatus menses tres, ideoque *Sisinnius* natione Syrus die decima octava mensis Januarii anni DCCVIII. Pontificatum iniit, seditque dumtaxat dies viginti, & vitam cum morte commutavit die sexta mensis Februarii ejusdem anni DCCVIII. Post mortem Sisinnii fuit Interpontificium unius mensis, & dierum undeviginti (*a*): quapropter *Constantinus* natione Syrus ordinatus est Pontifex Romanus die vicesima quarta mensis Martii ejusdem anni DCCVIII. Constantinopolim ab Imperatore Justiniano vocatus Summus ille Pontifex, magno cum honore, anno DCCX. ab illo exceptus est, rexitque Ecclesiam Romanam usque ad diem VIII. mensis Aprilis anni DCCXV. quo ex hac vita discessit. Constantino e vivis sublato, vacavit Sedes Pontificia dies quadraginta, quare *Gregorius* hujus nominis *Secundus*, Patria Romanus die XIX. mensis Maji anni DCCXV. consecratus est Pontifex Romanus. Ille est, qui Joannis Episcopi Constantinopolitani Epistolam Synodicam recepit, *Sanctum Bonifacium* Presbyterum Anglum, Virum Sanctissimum, conversionis Infidelium & prædicandi Evangelii causa, in Germaniam misit, Episcopum ordinavit, & ad omnia Capita, de quibus fuerat ab ipso consultus, respondit perdocta Epistola, quæ incipit: *Desiderabilem mihi*; quam *Gratianus* perperam adscribit Gregorio III. *Caroli Martelli* opem adversus Longobardos Italiam infestantes imploravit idem Summus Pontifex, Iconoclastarum Hæresim confixit in Synodo Romæ habita, & ad Imperatorem *Leonem Isaurum* illius Hæresis promotorem duas gravissimas scripsit Epistolas, ut illum ad veram fidem adducere posset. Sed surdo cecinit. Immo, pessimus hic Imperator in rabiem actus vitæ Sancti istius Pontificis sæpius per suos Exarchas, duces, aliosque suæ impietatis ministros insidiatus est, ac omnino de vita Sancti hujusce Pontificis fuisset conclamatum, nisi Romani, & Longobardi *desiderantes*, ut inquit Anastasius, *mortem pro defensione Pontificis sustinere gloriosam*, ipsum conjunctis viribus ab hostium dolis, & insultibus incolumem servassent. Quapropter, ut scribit idem Anastasius in Vita illius Pontificis, *gratias voluntati Populi referens* (Gregorius II.) *blando omnes sermone*,

ut bonis in Deum proficerent actibus, & fide persisterent, rogabat; *& ne desisterent ab amore, & fide Romani Imperii admonebat*. Tanta Summus ille Pontifex moderatione usus est, ut, teste *Paulo Diacono*, lib. 6. de Gestis Longobardorum cap. 49. Ravennæ, & Venetiarum exercitus ad rebellionem contra Imperatorem paratos in officio continuerit. Idemque confirmat Anastasius in Vita Gregorii II. ubi hæc habet, *Cognita Imperatoris* (seu Leonis Isauri) *nequitia, omnis Italia consilium iniit, ut sibi eligeret Imperatorem, & Constantinopolim duceret. Sed compescuit tale consilium Pontifex, sperans conversionem Principis*. Aliter se gessit idem summus Pontifex Gregorius II. erga *Anastasium* Pseudo-Episcopum Constantinopolitanum. Hunc siquidem Anastasium, quem Imperator *Leo Isaurus* in locum Sancti Germani legitimi Episcopi Constantinopolitani injuste depositi subrogaverat, Anathemate confixit Gregorius II. eumque tanquam hæreticum Iconoclastam execratus est. Sedit Gregorius II. annos quindecim, dies viginti tres, & mortuus est die vicesima mensis Februarii anni DCCXXXI. Ablato e vivis Gregorio II. post breve interpontificium *Gregorius* III. natione Syrus consecratus est Pontifex Romanus die decima octava mensis Martii anni DCCXXXI. fuit Pontifex doctrina, & pietate insignis. Pallium Archiepiscopatus Sancto Bonifacio Germaniæ Apostolo, ob præclaros in conversione Infidelium exantlatos labores concessit, & ad novem Capita, de quibus ab ipso consultus fuerat, respondit. Ad profligandam invalescentem in dies Iconoclastarum Hæresim totus incubuit, & ut Italiam a Longobardis misere vexatam liberaret, ad *Carolum Martellum* Majorem domus Regiæ Francorum duas Legationes una cum clavibus Sancti Sepulchri, & vinculis Sancti Petri misit, eumque, postquam Longobardos valido in Italiam ducto exercitu in ordinem redegisset, *Patricium* dixit. Sedit Gregorius III. ann. decem, menses octo, dies decem, & die undecima, quæ fuit vicesima octava mensis Nov. ann. DCCXLI. sepulturæ mandatus est. Post breve ab ejus obitu Interpontificium, die tricesima mensis Nov. ejusdem anni, S. Andreæ Apostolo sacra, *Zacharias* natione Græcus consecratus est Pontifex Romanus, qui pacem cum *Luitprando* Longobardorum Rege sanxit, ejusque in Longobardorum Regno successori *Rachi* dicto suasit, ut Monachum indueret, & Regulam S. Benedicti in Cœnobio Cassinensi profiteretur. Plures ad Sanctum Bonifacium Germaniæ Apostolum scripsit Epistolas, ei Synodum celebrandi facultatem impertivit, tres Episcopatus ab eo institutos confirmavit, & ad novarum sedium Episcopos communem direxit Epistolam. Eidem Bonifacio ipsum consulenti, an baptizatus *in nomine Patria, & Filia, & Spiritua Sancta*, esset rebaptizandus? Respondit, non esse rebaptizandum. *Adalbertum*, & *Clementem* Episcopos Hæreticos, de quibus ad ejus sanctitatem retulerat Bonifacius, damnavit in Synodo Romæ habita. Coloniam, & postea Moguntiam in Metropolim erexit; ad varia Capitula, quæ Bonifacius per *Burchardum* Wirtziburgensem Episcopum in litteris proposuerat, respondit, eidemque Bonifacio Archiepiscopatui Moguntino renunciare cupienti, assensum præbere noluit. Plerique Scriptores, tum veteres, tum recentiores *Zachariam* Romanum Pontificem Auctorem faciunt translationis Regni Francorum a Childerico Tertio postremo Merovingiorum stirpis Rege, ad Pipinum Majorem domus Regiæ. Alii vero Scriptores id negant. Certum est, Galliarum Optimates, quando de *Childerico* III. Rege ob ignaviam deponendo, & *Pipino* in ejus locum substituendo actum est, Zachariam Pontificem Maximum anno DCCLI. per Legatos in re tanti momenti consuluisse, eique exposuisse, Regiam potestatem residere apud vacuum Regii nominis simulacrum, Pipinum vero Majorem domus Regiæ, & Caroli Martelli filium, virum esse acerrimum bello, & pacis artibus solertem, atque de tota fere Europa optime meritum, quippe qui Franciam intestinis seditionibus agitatam, a finitimis populis lacessitam potentissime tueretur, ac Religionem Christianam in Italia periclitantem ob Longobardorum bella, & Græcorum Hæresim; in Hispaniis oppressam Mahometicæ sectæ peste, & in plerisque Germaniæ locis extinctam ob Idololatriam; in libertatem, pristinumque decus assereret. Ad hanc Optimatum Galliæ Consultationem respondit Zacharias Papa, Regio nomine ornandum esse Pipinum, penes quem erat libera totius Galliarum Regni administratio. Hujus Sancti Pontificis momentis & consulentis auctoritatem secuti Galliarum Proceres, Childericum III. Regem, cujus socordia Reipublicæ Christianæ & Regno exitialis erat, deposuerunt, & *Pipinum* anno DCCLII. in Urbe Suessionensi Regem acclamarunt. Sedit *Zacharias* annos decem, menses tres, dies quatuordecim, & mortuus est die decima quarta mensis Martii anni DCCLII. Mortuo Zacharia Summo Pontifice, *Stephanus* Presbyter ad Pontificatum electus est, & in Lateranense Patriarchicum immissus, *ubi biduo manens, tertio die postquam a suo surgeret somno, subito obmutuit, & sequenti die defunctus est*, inquit Anastasius. Hunc Stephanum Presbyterum inter Pontifices Romanos numerari haud debere, existimant nonnulli Viri eruditi, eo quod nunquam fuerit ordinatus Pontifex Romanus. Quæ ratio licet plausibilis sit, quia tamen multi Scriptores Ecclesiastici, post Baronium, hunc Stephanum affirmant verum esse Pontificem, eumque *Stephanum Secundum* appellant, ideo nos a communi opinione, quam pervulgata Romanorum Pontificum series in Tabulis Chronologicis approbare videtur, recedendum non esse autumamus. Huic Stephano II. successit *Stephanus III.* natione Romanus, qui fuit ordinatus die vicesima sexta mensis Martii an. DCCLII. Hic est, qui ab *Aistulpho* Longobardorum Rege vexatus, Legatos Constantinopolim misit, ut ab Imperatore *Constantino Copronymo* auxilium peteret; sed postquam frustra illud implorasset, in Franciam iter suscepit, a Pipino Rege honorificentissime

tissime

tissime exceptus est, eumque, & illius filios *Carolum*, & *Carolomannum* Reges inauguravit. Romam reversus, cum nollet *Aistulphus* Longobardorum Rex pactis conventis stare, denuo Pipini Francorum Regis auxilium poposcit, eumque monuit, ab Aistulpho Romam esse obsessam. Tunc Pipinus, abjecta omni cunctatione, Romam venit, Longobardos profligavit, eripuitque ex eorum Tyrannide Ravennam, totumque Exarchatum, Pentapolimque, ac viginti Civitates his Provinciis comprehensas, atque illarum dominio Ecclesiam Romanam sua munificentia & regali liberalitate adauxit. Sedit Stephanus Tertius annos quinque & dies viginti novem, & mortuus est vicesima quarta Aprilis anni DCCLVII. Mortuo Stephano Tertio, vacavit Sedes Pontificia triginta quinque diebus, & *Paulus* hujus nominis Primus ejus frater consecratus est Pontifex Romanus, die vicesima nona mensis Maji ejusdem anni DCCLVII. Ad Pipinum Regem confestim scripsit Summus ille Pontifex, se fœdus, quod Pipinus cum Stephano III. illius decessore pepigerat, servaturum. Scripsit etiam Epistolam ad omnes Francos, quæ in Codice Carolino legitur num. XXII. in qua gratiarum actiones uberrime continentur. Fuit Paulus I. Pater lustralis, seu, ut vocant, Patrinus *Gislanæ* filiæ Regis Pipini, quicum arctissima necessitudine devinctus erat, & in quo magnam spem, ob illius singulare in Apostolicam Sedem studium, posuerat. Contra *Desiderium*, qui in Regno Longobardorum Aistulpho successerat, quique Ditionem Pontificiam vexabat, & igne ferroque Provinciam Pentapoleos cum Ducatibus Spoletano, & Beneventano vastabat, legationem misit *Paulus* I. ad Pipinum Regem, a quo auxilium petiit ad recuperandas Civitates, quas *Desiderius* Longobardorum Rex Apostolicæ Sedi necdum restituerat. Ab eodem Pipino sæpius Summus ille Pontifex auxilium postulavit tum contra Græcos, qui classem in Italiam transmittere decreverant, & Ecclesiæ Ditiones, Romamque invadere in animo habebant; tum contra Longobardorum Regem *Desiderium*, qui in Sedis Apostolicæ subditos impune grassabatur, nec restituebat Civitates, Pipiniana donatione Sedis Apostolicæ dominio assertas, ac vindicatas, ut constat ex frequentibus litteris a Paulo I. Pontifice Maximo ad Pipinum datis, quas Codex Carolinus exhibet. Tentavit etiam idem Summus Pontifex *Thassilonem* Bajoariæ Ducem cum Pipino in concordiam reducere, eamque ob rem Legatos misit, qui Ticinum cum venissent, a *Desiderio* Longobardorum Rege ulterius progredi prohibiti sunt. Construxit Paulus I. Monasterium in paterna domo in honorem Sanctorum *Stephani* & *Sylvestri*. Erga Pauperes & carcere vinctos mansuetudinis & charitatis laude excelluit, seditque annos decem, mensem unum, & Spiritum Deo reddidit die XXVIII. mensis Junii anni DCCLXVII. Eodem die, quo mortuus est Paulus I. *Toto* Dux Nepesinæ Civitatis curavit subito eligi in Romanum Pontificem *Constantinum* fratrem suum laicum, & a Georgio Episcopo Prænestino die V. mensis Julii ejusdem anni consecrari. Sedem Apostolicam, quam invaserat Constantinus, tenuit per anni spatium, & mensem unum, nempe die V. mensis Julii anni DCCLXVII. quo fuit consecratus, usque ad diem quintum mensis Augusti anni DCCLXVIII. quo die *Constantinus* Sedis Apostolicæ invasor depositus est, & in Monasterium *Cellas novas* deportatus. Circa idem tempus *Waldipertus* Presbyter extraxit e Monasterio Sancti Viti *Philippum* Presbyterum, eumque ad Summum Pontificatum evexit. At utroque ejecto Pseudo-Pontifice, *Stephanus* hujus nominis IV. natione Siculus, summo omnium ordinum consensu die VII. mensis Augusti Pontifex Romanus creatus est. Romæ Synodum habuit, in qua *Constantinus* Antipapa damnatus est, & omnia ab illo Pseudo-Pontifice peracta, nulla, & irrita fuere declarata. *Carolum*, & *Carolomannum* Francorum Reges monuit, *Desiderium* Longobardorum Regem non restituisse Civitates Ecclesiæ Romanæ ablatas, & ad illos etiam vehementissimam exhortationem misit, ne *Desiderii* Longobardorum Regis filiam in uxorem acciperent, neve suam purissimam stirpem de Sede Apostolica optime meritam, impuro stirpis Longobardorum sanguine, qui in Sanctam Sedem male affecti erant, turpiter fœdarent. Sedit Stephanus IV. annos tres, menses quinque, dies viginti septem, & obiit die secunda mensis Februarii anni DCCLXXII. Mortuo Stephano IV. *Hadrianus* hujus nominis I. Civis Romanus, post Interpontificium aliquot dierum consecratus est Pontifex Romanus die IX. mensis Februarii ejusdem anni DCCLXXII. Carolomanni Regis filios noluit Francorum Reges inaugurare, ob idque a *Desiderio* Longobardorum Rege vexatus imploravit auxilium Caroli Magni Francorum Regis, ad quem plures scripsit Epistolas, & Vexillum Sancti Petri misit initio Pontificatus sui. His Sanctissimi Pontificis litteris excitatus Carolus, & magno, ut par erat, defendendæ Sedis Apostolicæ zelo accensus bellum contra *Desiderium* suscepit, eumque Ticini obsessum, in suam redegit potestatem, Romano vero Pontifici non solum omnia, quæ a Pipino Patre donata erant, rata esse voluit, verum etiam adjecit alia quamplurima, Sabinense videlicet territorium, Spoletinum Ducatum, & Beneventanum, quæ accurate ab Anastasio in Vita Hadriani I. referuntur. *Felicis* Episcopi Urgellitani errorem de Filiatione adoptiva Christi, damnavit Hadrianus I. suosque Legatos misit ad Septimam Synodum Nicææ congregandam, & ad Synodum Francofordiensem, de quibus Synodis disseremus in Colloquio quarto. Carolum Magnum Romam venientem idem Summus Pontifex magnificentissimo suscepit apparatu, eique obtulit, sicut optime observat *Sirmondus* Tomo secundo Conc. Gallic. non Epitomen, sed integram Collectionem tum Canonum Conciliorum ad usum Ecclesiarum Occidentalium, ex qua deinceps illa Epitome conflata est; tum etiam Epistolarum Decretalium a Siricio Papa ad Gre-

gorium usque hujus nominis II. Addit insuper *Sirmondus*, illum ipsum Carolo Magno datum esse librum, qui *Codex Canonum* a Nicolao Papa appellatur distinct. 19. Cap. *Si Romana Ecclesia* &c. quique Moguntiæ primum excusus est anno MDXXV. & in Editione postea Parisiensi sic inscriptus est: *Codex vetus Ecclesiæ Romanæ*: In hac Epitome continentur Canones Apostolici XLV. Ancyrani XXIV. Neocæsarienses XV. Gangrenses XX. Antiocheni XXV. Laodicenses LVIII. Sardicenses XXI. Carthaginenses XXXIII. Africani CV. Integra vero Collectio Canonum complectitur viginti Canones Nicænos, & alios Canones Constantinopolitanos, Ephesinos, & Chalcedonenses, qui in Epitome desiderantur. Jus eligendi Romanum Pontificem, & Investituram Episcopis conferendi Carolo Magno Hadrianum I. Summum Pontificem concessisse scribit *Sigebertus* ad annum Christi DCCLXXIII. ex quo idem pene ad verbum exscripsit *Gratianus* distinctione 63. Cap. *Hadrianus*. Sed hanc concessionem plane fictitiam esse, probat Anastasii Bibliothecarii, Eginhardi, & antiquorum Scriptorum, qui res a Carolo Magno gestas memoriæ prodiderunt, silentium. Præterquamquod, nullibi legitur, Carolum Magnum ejusque filios illo jure in Romani Pontificis electione unquam fuisse usos, quo tamen omni procul dubio usi fuissent, si revera illis esset concessum. Obiit *Hadrianus I.* die XXV. mensis Decembris anni DCCXCV. Postridie mortis illius Leo III. Patria Romanus, & die insequenti consecratus est Summus Pontifex, cujus vitam summatim perstringemus in Colloquiis nostris in Historiam noni Ecclesiæ sæculi, quo ad Deum migravit, hoc est anno DCCCXVI. (*a*)

„ (*a*) Sisinnii Interpontificium est in Cod. „ Luc. mens. I. dierum XXVIII.
„ Constantinus sedit an. VII. dies XV. In fine „ vitæ hujus Constantini in MS. Cod. Luc. nota „ hæc legitur rubricatis literis: *Huc usque* CXXVIIII. „ *anni sunt, quod Longobardi venerunt*, & VII. „ *menses*.
„ Gregorii II. Sedes circumscribitur annis XV. „ mens. VIII. diebus XXII. Depositio sub die XI. „ Februarii indictione XIV. cessatio Episcopatus „ diebus XXXV.
„ Gregorius III. sedit annis X. mensibus VIII. „ diebus XXIV.
„ Stephani III. depositio signatur VI. Kal. „ Maji. Interpontificium vero diebus XXIT.
„ Stephanus IV. sedit annos III. mens. V. dies „ non signantur. Interpontificium est dierum IX.
„ Adrianus, cum quo Lucensis Codex concluditur, sedit an. XXIII. mensibus X. diebus XVII. „ Ejus depositio signatur die VI. Kal. Januar. „ Ind. IV.

D. Seriem Summorum Pontificum, qui sæculis septimo & octavo Sedem Romanam tenuerunt, in præclaro ordine collocasti; superest modo, ut juxta eumdem ordinem Chronologicum attexas seriem Episcoporum, qui iisdem sæculis septimo, & octavo sedibus Alexandrinæ, Antiochenæ, Hierosolymitanæ, & Constantinopolitanæ præfuerunt.

M. Rem sane perdifficilem postulas, quam tot in tenebris, quibus successio Patriarcharum Alexandrinorum, Antiochenorum, & Hierosolymitanorum in septimo, & aliis sequentibus sæculis obsita est, enucleare velle, hoc opus, hic labor est. At enim, ex quo Barbari, seu Saraceni in septimo Ecclesiæ seculo, seu anno DCXV. Alexandriam subegerunt, Antiochiam, & Hierosolymam anno DCXXXVII. expugnaverunt, deploratissimus fuit illarum Ecclesiarum status. Hæretici siquidem, & præsertim *Jacobitæ* sedes Patriarchales Alexandrinam, & Antiochenam invaserunt, eorumque duntaxat Patriarcharum Alexandrinorum Jacobitarum seriem, & historiam habemus ex Elmacino, Eutychio, Chronico Orientali, & ex aliis Scriptoribus Orientalibus descriptam. *Nicephorus* etiam suum Episcoporum Hierosolymitanorum Catalogum claudit in *Sophronio*, qui mortuus est anno DCXXXVII. Successionem Patriarcharum Jacobitarum, qui a septimo sæculo Sedem Alexandrinam tenuerunt, accurate exhibent doctissimi Continuatores Bollandi in Historia Chronologica, quam præmiserunt ad Tom. V. mensis Junii, & Cl. *Eusebius Renaudotius* in Historia Patriarcharum Alexandrinorum, quos Scriptores, si per otium liceat, consulere poteris, nec enim illa Patriarcharum in Sede Alexandrina successio tanti, mea quidem sententia, in rem Ecclesiæ esse debet, ut in ea texenda diutius hic immoremur.

D. Quid sibi vult istud Jacobitarum nomen, & quinam sunt eorum errores?

M. Nihil in Chronico Orientali, & apud eos, qui de Coptis, vel de Orientalibus medii ævi meminerunt, recurrit frequentius, quam *Jacobitarum*, & *Melchitarum* appellatio, quam hic breviter explicabimus. A quodam *Jacobo* Monacho Syro, Severi discipulo, Dioscoritani, seu Eutychiani erroris defensore acerrimo, *Jacobitis* nomen inditum est. Hic *Jacobus* cognominatus *Zanzalus*, & *Baradæus*, plerosque Syros dementavit. Quo factum est, ut Monophysitæ, idest, Eutychiani, deinceps *Jacobitæ* fuerint vulgo appellati. Catholici, qui Jacobitarum errores respuebant, *Melchitarum* cognomen acceperunt, a voce *Melchi*, quæ Siriace *Regem* significat, ut videre est apud Nicephorum Callixtum lib. 18. Histor. Ecclesiast. cap. 52. Catholici itaque appellabantur *Melchitæ*, quia adhærebant Imperatoribus, qui Concilii Chalcedonensis, in quo Hæresiarcha *Eutyches* damnatus fuerat, auctoritatem tuebantur. De Jacobitarum origine disputant inter se Critices disciplinæ periti. Alii eam referunt ad initium sexti sæculi, alii ad exordium septimi, qua de re legesis *Appendicem ad Patriarchas Alexandrinos de Coptis*, & *Jacobitis*, quam doctissimi Bollandi Continuatores ad Tom. V. mensis Junii subjecerunt. (*a*) Verum, prætermissa illa quæstione, quæ non est magni momenti, breviter hic duntaxat observare debes, Jacobitas, præter Eutychianam Hæresim de una tantum in Christo natura, quam etiamnum acerrime tuentur, aliis erroribus implicitos esse. Primo, Baptismum simul cum Circumcisione requi-

quirunt. Secundo, fronti, aut genis insisto cauterio, affirmant Peccatum Originale remitti. Tertio, Confessionis Sacramentalis usum ac necessitatem inficiantur. Quarto, Purgatorium dari negant, ac proinde Animas corporibus exutas, fidelium precibus juvari. Quinto, Primatum Romani Pontificis non agnoscunt. Postremo, hunc palmarem cum Græcis errorem propugnant, quod Spiritus Sanctus non procedat a Filio, sed tantum a Patre. Sed, quamvis hisce erroribus infecti sint Hæretici Jacobitæ, invicte tamen contra Hæreticos nostri temporis Lutheranos, Calvinistas &c. evincunt Polemici Scriptores Catholici, plura fidei dogmata, quæ modo ab illis pervicaciter negantur, constanter fuisse a Jacobitis semper propugnata. At enim Crucis signum, ejus Imagines, alias quoque Beatissimæ Virginis & Sanctorum orationes, ad eorum auxilia postulanda, cereos, suffitus, cultum Reliquiarum, peregrinationes ad loca sancta, & jejunia cum abstinentia a certis eduliis, carnis macerationes, vitam Monasticam, Castitatis vota, Vasa sacra, Festa, publicas supplicationes statis temporibus, ac multa alia, quæ nos Catholici a majoribus tradita religiose observamus, per mille & ducentos annos a Jacobitis custodita & credita fuisse, liquido demonstrat jam citatus *Eusebius Renaudotius* in sua Historia Patriarcharum Alexandrinorum, quam tibi Auctor sum ut aliquando legas. Bollandiani operis Continuatores loco mox laudato existimant, Patriarchas Jacobitas, qui octavo Ecclesiæ sæculo Sedem Alexandrinam tenuerunt, a suis erroribus resipuisse, & cum Ecclesia Romana Communionem redintegrasse. Sed hanc Jacobitarum Ecclesiæ Alexandrinæ cum Ecclesia Romana concordiam, optimo jure negat *Eusebius Renaudotius*, tum quia constat, Jacobitas Ecclesiæ Alexandrinæ Patriarchas Monophysiticam, seu Eutychianam Hæresim, qua ab initio fuerunt infecti, sæculo octavo non deposuisse, nec ad Catholicam Fidem rediisse, cum altum sit ea de re Scriptorum Latinorum, Græcorum, Arabumque silentium, qui tamen insignis hujusce eventus, & Patriarcharum Jacobitarum Ecclesiæ Alexandrinæ ad Ecclesiam Romanam aditus memoriam posteris non invidissent; maxime cum Maronitarum ad Ecclesiam Catholicam reversio a Latinis, & a Scriptoribus Orientalibus non fuerit prætermissa, & *Gajanitarum*, *Barsanufianorum*, & obscuriorum quorumdam Hæreticorum cum Jacobitis conversio, in Historia Alexandrina consignata reperiatur. Tum quia etiam non solum ex Authorum silentio, sed ex indubitatis Coptarum, & Antiochenorum Jacobitarum monumentis certum ac exploratum est, Jacobitas cum Ecclesia Romana nullam prorsus Communionem habuisse. In illorum quippe Historia abjuratæ aliquando ab ipsis Eutychianæ Hæreseos ne vola quidem, vel minimum extat vestigium, sed potius idem error de una tantum in Christo natura semper ab eis retentus legitur, Anathemata adversus Generale Concilium Chalcedonense similia habentur, necnon cultus religiosus *Dioscori*, ejusque successorum Hæreticorum, videlicet *Severi*, *Petri Gnaphei*, & *Benjamini*, quos omnes damnavit Ecclesia Catholica. Demum, nullam Latini, vel Græci Orthodoxi cum Jacobitis communionem habuerunt. Immo, cum Latini Hierosolymis regnarent, capitalis & Apostasiæ loco habebatur nimia cum ipsis familiaritas. Nulla itaque fuit Jacobitarum Patriarcharum Ecclesiæ Alexandrinæ cum Ecclesia Romana Communio, usque ad Legationem *Gabrielis* Patriarchæ Alexandrini ad Clementem VIII. Pont. Max. qui per suas litteras Romanæ Sedis Primatum agnovit, & Orthodoxam Fidem professus est. Cæterum, an sincero, vel ementito animo Orthodoxam fidem Gabriel ille Patriarcha Alexandrinus amplexus fuerit? Deus novit. Sed quidquid habuerit in animo, experientia docuit, decantatam illam & nimium celebratam unionem nullum tulisse fructum, non magis quam tot alias cum Græcis in Conciliis Lateranensi, Lugdunensi, & Florentino factas uniones.

„ (*a*) De Jacobitarum authore unde nomen „ hæretici illi traxerunt, differit accurate suo mo„ re Cl. Assemanus Biblioth. Oriental. tom. 2. „ cap. VIII. pag. 62. & ex Syriacis Scriptoribus „ evincit nomen istud hæsisse ex Jacobo quodam „ Baradæo Syro, qui ex Monacho Sedem Edessenam invasit anno 541; simulque Eutychianorum errores, quibus erat imbutus, longe lateque „ spargere cepit. Sanctimoniæ, quam affectabat, „ favore addita dignitate Metropolitæ totius Mesopotamiæ, qua Edessena Ecclesia præstabat, id effecit, ut totius sectæ columen & decus haberetur. Obiit anno Christi 568. teste „ Dionysio fere æquali scriptore, in Chronico apud Assemanum tom. 1. pag. 424. ejusque memoria a Jacobitis ter recolitur die scilicet 28. „ Nov. 21. Mart. & 31. Jul. Inditum ab eo Jacobitarum nomen in totum Antiochenum Patriarchatum & Alexandrinum pariter propagatum est. Ejus sectæ Patriarcharum series, ab „ Assemano diligenter deducta, legenda est apud „ illum tom. II. pag. 321.

„ Melchitarum nomen olim ab initio non fuisse sectæ religiosæ, sed factionis civilis, idem Assemanus tom. 1. pag. 508. existimat; & quidem sub Constantino Pogonato quo tempore Syri adversus Imperatorem rebellarunt aliis in fide manentibus. Hinc nata nomina, rebellium „ quidem Mardaitarum, quod idem sonat Syriace ac Rebelles; fidelium vero Melchitarum; „ Melchi enim Syris est *Rex* seu *Imperator*. Id „ colligit Assemanus ex silentio scriptorum omnium usque ad IX. seculum, apud quos ne „ vestigium eorum nominum apparet. Fatetur tamen idem Assemanus apud recentiores scriptores Melchitas audire illos, qui recta in fide „ sentiunt; & apud Nestorianos Melchitæ sunt „ omnes, qui contra geminas in Christo personas „ pugnant, sive illi Monophysitæ sint, sive Maronitæ, sive Catholici. Vide eundem Assemanum tom. 3. part. 1. pag. 305.

D. Post mortem itaque S. Eulogii, qui, sicut memini te observasse in quarto Colloquio in Historiam sexti Ecclesiæ sæculi, Sedem Alexandrinam tenuit usque ad exordium septimi sæculi,

hoc est, usque ad annum DCVII. Cæteri, qui in Sede Alexandrina sæculis septimo & octavo S. Eulogio successerunt, fuerunt Hæretici Jacobitæ.

M. Omnes Patriarchæ Alexandrini, qui Sancto Eulogio successerunt, fuerunt Hæretici Jacobitæ, paucis tamen exceptis, quos hic breviter indicabo. Mortuo Sancto Eulogio Patriarcha Alexandrino anno DCVII. successit *Theodorus Scribo* Patriarcha itidem Orthodoxus, cui annos duos tribuunt Nicephorus in Chronico, & Tabulæ Theophani insertæ, obiitque anno DCIX. Theodoro Scriboni in Sede Alexandrina eodem anno suffectus est *Sanctus Joannes Eleemosynarius*, qui Ecclesiam Alexandrinam rexit usque ad annum, quo Alexandria in Barbarorum, seu Saracenorum potestatem redacta est, hoc est, usque ad annum sexcentesimum decimum sextum, a quo anno mors Sancti Joannis Eleemosynarii removeri haud potest, ut recte observant *Rosweidus* in Notationibus ad Vitam Sancti Joannis Eleemosynarii, *Petavius* in Notis ad Breviarium Nicephori, *Bollandus* ad diem XXIII. Januarii in Commentario prævio ad hujus Sancti Vitam, & *Antonius Pagius* in Critica Baronii ad annum DCXX. Vita Sancti Joannis Eleemosynarii Patriarchæ Alexandr. primum scripta fuit a Joanne Moscho, & a Sophronio Episcopo Hierosolymitano, qui a Metaphraste, & *a Leontio* Neapoleos in Cypro Episcopo, in Vita ejusdem Sancti Joannis Eleemosynarii, quam descripsit, *Viri Excellentissimi* appellantur. Hic autem obiter observes velim, hunc Joannem Moschum, a quo dicimus scriptam fuisse Vitam Sancti Joannis Eleemosynarii, in Editione *Aloysii Lippomani* cognominari *Eviratum*, sed perperam. Cognomento siquidem dicebatur *Eucrates*, ut optime advertit eruditus noster *Michael Lequien* in suis Notis in I. tom. Editionis Operum Sancti Damasceni pag. 328. quod quidem mendum corrigi debet ex titulo libri, quem edidit *Joannes Moschus*, qui inscribitur: *Pratum Spirituale*, quem titulum publicavit *Cotelerius* tom. 2. Monumentorum Ecclesiæ Græcæ, & sic habet: *Joannis Eucratæ liber, qui inscribitur, Pratum Spirituale, quod floridam ferat Vitarum narrationem Cælestis Roseti*. Mortuo Sancto Joanne Eleemosynario Patriarcha Alexandrino anno DCXVI. *Georgius* Monachus in ejus locum subrogatus est. Hic est, qui scripsit Vitam Sancti Joannis Chrysostomi, ex qua Photius in Bibliotheca capit. XCVI. excerpta quædam dedit, & de Auctore judicium tulit. Habetur hæc Vita inter varia ad Sanctum Chrysostomum spectantia in Editione Græca Operum illius adornata ab *Henrico Savillo*. Ecclesiam Alexandrinam gubernavit Patriarcha *Georgius* usque ad annum DCXXX. & uno, aut altero post ejus mortem anno Hæretici Monothelitæ Sedem Alexandrinam occuparunt. *Cyrus* quippe Phasidis Episcopus, de quo multa in sequentibus Colloquiis dicenda nobis occurrent, postquam Sedem Alexandrinam fuisset adeptus, unionem fecit cum Theodosianis Acephalis, quorum ea in Urbe ingens erat numerus, &, ad Monothelitarum Hæresim de una tantum in Christo voluntate & operatione stabiliendam, convocavit Alexandriæ Conciliabulum anno DCXXXIII. in quo novem edidit Capitula, quorum ultimo asseruit: *eumdem unum Christum & filium operari Deo decibilia & humana una & virili operatione secundum Sanctum Dionysium*. Qua in re observa, si placet, frontem perfidi illius hæretici, quem non puduit textum *Sancti Dionysii* interpolare, & pro *nova Dei-virili operatione*, substituere *una & virili operatione*, quam fraudem Pseudo-Magistri sui postea alii Monothelitæ secuti sunt. Post peractum istud Conciliabulum *Cyrus* scripsit ad *Sergium* Constantinopolitanum, suæque Epistolæ novem illa Capitula Alexandriæ fabricata & promulgata adtexuit. *Sergius* gratulatoriam Epistolam ad Cyrum scripsit, insertam Synodo Lateranensi, Secretario tertio, in qua novem illius Capitula, quæ purum putumque olebant Monothelismum, palam approbavit, summisque laudibus prosecutus est. Verum Cyrus anno DCXL. accusatus quod omnem Ægyptum Saracenis prodidisset, Patriarchali dignitate ab Imperatore Heraclio exutus est, in quam tamen anno DCXLI. ab Imperatore *Heracleona* post patris Heraclii, & Constantini fratris obitum restitutus est, Sedemque Alexandrinam tenuit usque ad annum DCXLIII. quo successorem habuit *Petrum* ejusdem farinæ hominem, seu Hæreticum Monothelitam, qui ex hac vita decessit anno DCL. Post Petri mortem, cæteri, qui ad hæc usque tempora secuti sunt Patriarchæ Alexandrini, & quorum Catalogum, atque Historiam habemus, fuerunt Hæretici Jacobitæ. Testatur tamen Theophanes, *Cosmam* Alexandrinum Patriarcham anno DCCXLII. *cum ipsa Civitate Monothelitarum pravitate a Cyri, qui sub Heraclio vixit, temporibus eam Civitatem obtinente, abjurata, & errore cognito, ad Orthodoxam Ecclesiam rediisse*. At fidem hac in re Theophani non esse adhibendam recte monet Cl. *Eusebius Renaudotius* hac ratione permotus, quod *Eutychius* Patriarcha Alexandrinus Annalium Alexandrinorum Auctor, quique Monothelitarum Hæresim acriter ubique confectatus est, nunquam tamen *Cosmam* Patriarcham Alexandrinum Monothelitarum hæresis insimulavit, immo omnes Catholici Alexandrini illum tanquam Orthodoxum semper habuerunt. Quapropter, verosimilius putat *Renaudotius*, quod, Ægypto a Romano Imperio avulsa, cum *Melchitæ*, seu Orthodoxi, ob Religionis conformitatem cum Græcis Constantinopolitanis suspecti essent apud Mahumedanos, non potuerunt per plures annos ad Patriarchæ Catholici electionem conventum Episcoporum facere, atque ita, dum non haberent Patriarcham, ex summa necessitate tenebantur confugere ad vicinum Tyri Metropolitam eo facilius, quod Syria erat tum in Arabum potestate. Contigit autem, ut anno DCCXLII. Orthodoxi pleniorem consecuti libertatem, *Cosmam* virum Orthodoxum elegerint ac consecratint Patriarcham Alexandrinum, quamvis eodem tempore alter

alter esset Patriarcha Jacobita, qui Jacobiticæ Ecclesiæ Alexandrinæ præerat.

D. Nullus igitur omnino in præsentia superest Catalogus, ex quo nobis innotescere possit series Patriarcharum Alexandrinorum?

M. Seriem Patriarcharum Alexandrinorum descriptam habemus in Chronico Orientali, & a *Severo*, *Elmacino*, *Abulfaragio*, & ab aliis Scriptoribus Arabibus sectæ Jacobiticæ addictis, qui consulto in texenda serie Patriarcharum Alexandrinorum, post *Dioscorum* Hæreticum Eutychianum, qui in Patriarchatu Alexandrino successit S. Cyrillo anno CCCCXLIV. meminere dumtaxat Patriarcharum Eutychianorum, & Jacobitarum, qui Sedem Alexandrinam occuparunt, prætermissis tam Orthodoxis, quam Hæreticis, qui, licet fuerint Patriarchæ Alexandrini, Jacobiticam tamen sectam non sunt professi. Hanc autem seriem Patriarcharum Alexandrinorum a tempore S. Marci Evangelistæ, qui fuit primus Episcopus Alexandrinus, usque ad annum MDCCIII. Cl. *Renaudotius* ex laudatis mox Scriptoribus Arabibus contexuit, eamque eodem ordine in rem tuam hic describere haud pigebit.]

Series Patriarcharum Alexandrinorum.

Seriem, vitam, & gesta horumce centum & trium Patriarcharum Alexandrinorum, quorum multi ne nomine quidem antehac noti erant, accurate prosequitur Cl. Eusebius Renaudotius *in sua Historia Patriarcharum Alexandrinorum.*

Doctissimi etiam Operis Bollandiani continuatores dissertationem Chronologicam in centum, & tres illos Patriarchas Alexandrinos ad Tom. V. mensis Junii præmiserunt, in qua multa tradunt Monumenta, quæ ad Historiæ Coptitarum, & Jacobitarum notitiam apprime necessaria sunt. Hos itaque Scriptores, qui data opera perdocte, & eleganter ea de re pertractarunt, consule, si plura scire aveas.

1. S. Marcus.
2. Anianus.
3. Melianus, seu Abilius.
4. Cerdo.
5. Primus.
6. Justus.
7. Eumenius.
8. Marcianus.
9. Celadion.
10. Agrippinus.
11. Julianus.
12. Demetrius.
13. Heraclas.
14. Dionysius.
15. Maximus.
16. Theonas.
17. Petrus Martyr.
18. Achillas.
19. Alexander.
20. Athanasius.
21. Petrus II.
22. Timotheus.
23. Teophilus.
24. Cyrillus.
25. Dioscorus.
26. Timotheus II.
27. Petrus III.
28. Athanasius II.
29. Joannes I.
30. Joannes II. dictus Reclusus.
31. Dioscorus junior.
32. Timotheus III.
33. Theodosius.
34. Petrus IV.
35. Damianus.
36. Anastasius.
37. Andronicus.
38. Beniamin.
39. Agatho.
40. Joannes III. dictus Semnudæus.
41. Isaac.
42. Simon.
43. Alexander II.
44. Cosmas I.
45. Theodorus.
46. Chail.
47. Mennas.
48. Joannes IV.
49. Marcus II.
50. Jacobus.
51. Simon II.
52. Yucab.
53. Chail II.
54. Cosmas II.
55. Sanutius.
56. Chail III.
57. Gabriel I.
58. Cosmas III.
59. Macarius.
60. Teophanius.

61. Men-

61. Mennas II.
62. Ephræm
63. Philotheus.
64. Zacharias.
65. Sanutius II.
66. Christodulus.
67. Cyrillus II.
68. Michael I.
69. Macarius II.
70. Gabriel II.
71. Michael II.
72. Joannes IV.
73. Matthæus I.
74. Joannes V.
75. Cyrillus III.
76. Athanasius III.
77. Gabriel III.
78. Joannes VI.
79. Theodosius II.
80. Joannes VII.
81. Joannes VIII.
82. Beniamin II.
83. Petrus IV.
84. Marcus III.
85. Joannes IX.
86. Gabriel IV.
87. Matthæus II.
88. Gabriel V.
89. Joannes X.
90. Matthæus III.
91. Gabriel VI.
92. Michael III.
93. Joannes XI.
94. Joannes XII.
95. Gabriel VII.
96. Joannes XIII.
97. Gabriel VIII. hic est, qui, ut superius diximus, ad Clementem VIII. litteras direxit, & Romani Pontificis agnovit Primatum.
98. Marcus IV.
99. Joannes XIV.
100. Matthæus IV.
101. Marcus V.
102. Matthæus V.
103. Joannes XV. hic est, qui, ut referunt Bollandiani Operis continuatores ex Epistolis a Patre *Bernardo* Societatis JESU scriptis, Chrisma, quod ducentis abhinc annis factum non fuerat, magno apparatu confecravit, anno millesimo septingentesimo tertio.

D. Habuitne Ecclesia Antiochena, quæ, ut mox observasti, sæculo septimo in Saracenorum potestatem venit, eamdem infaustam in serie suorum Patriarcharum sortem, quam sub illorum Barbarorum jugo passa est Ecclesia Alexandrina?

M. Immo deploratior quadantenus fuit sæculis septimo & octavo, aliisque sequentibus Ecclesiæ Antiochenæ status, quam Alexandrinæ. Id siquidem habuit Ecclesia Alexandrina præ Antiochena Sede, quam Eutychianæ, & Jacobiticæ secta homines occuparunt, quod Ecclesia Alexandrina Hæreticos quidem & per vim intrusos, Episcopos tamen, semper habuit aut in ipsa Urbe, aut in Monasteriis, quia statim ac Ægyptus in Arabum potestatem venit, integram Patriarchæ sectæ Jacobiticæ in Christianos ejusdem sectæ auctoritatem recuperarunt, eamque jugiter conservarunt. Contra vero Jacobitæ Antiocheni, cum ab Imperatoribus Christianis Urbe pulsi fuissent, eaque sæpe illorum armis recepta fuerit, vix unquam conquieverunt, & pauci admodum inter illos aliqua doctrinæ laude floruerunt. Quocirca mirum nemini videri debet, quod de illorum rebus vix quidquam occurrat, adeo, ut successio Patriarcharum Antiochenorum a septimo Ecclesiæ sæculo ex certis Monumentis, nulla ratione texi possit, ne Græcorum quidem, cum hiulci sint multis in locis eorum Catalogi. *Nicephorus* in Anastasio II. seu juniore, Patriarcha Antiocheno, qui, ut observavimus in Colloquio quarto in Historiam sexti Ecclesiæ sæculi, postquam sedisset annos duodecim, Martyrio sub *Phoca* Imperatore coronatus est anno DCIX. vel, ut alii volunt DCX. in hoc, inquam, Anastasio II. Nicephorus claudit Catalogum Patriarcharum Antiochensium, eo potissimum nomine, quod ab eo tempore Episcopi plerumque Hæretici eam Sedem occuparint, quorum nulla ad nos notitia pervenit. Vehementer itaque optandum esset, ut hi, qui nunc rerum Ecclesiasticarum Monumentis investigandis, atque illustrandis tanta diligentia & summo Reipublicæ literariæ emolumento incumbunt, eamdem in rexenda & in præclaro ordine collocanda Patriarcharum Antiochenorum serie Provinciam in se suscíperent, qua Cl. *Eusebius Renaudotius* in serie digerenda & Historia Patriarcharum Alexandrinorum concinnanda tam egregie, tamque laudabiliter defunctus est. (*a*)

(*a*) „ Quod hic summis votis exoptat V. Cl. „ nostra tandem ætate completum est, & quidem plusquam desideraverat abundantius; nam „ Assemanus Biblior. Orient. Tom. 2. pag. 321. &c. „ ex Chronico inedito Abulpharagii aliisque Syriacis Arabicisque Scriptoribus seriem texit Patriarcharum Antiochenorum usque ad Ignatium XII. Libaniotam, qui eam dignitatem „ anno Christi 1493. obtinuit. Cæteros vero adjecit in brevi Catalogo in fine ejusdem voluminis apposito, ad usque Ignatium XXVI. qui „ & Isaac anno 1721 superstitem quo tempore „ hæc scribebat. Eandem telam Bollandi continuatores, seu potius ex eorum cœtu P. Petrus „ Boschius retexit, qui tamen profecisse se ex „ Assemano ultro fatetur. Vide Prolegomena ad „ Tom. IV. Julii.

D. Extat ne adhuc Catalogus Episcoporum, qui Ecclesiæ sæculis septimo & octavo Sedem Hierosolymitanam tenuerunt?

M. Hierosolymitanos Patriarchas usque ad S. *Sophronium*, qui, ut mox dicemus, decessisse ex hac vita anno DCXXXVII. nominatos quidem certa serie habemus; cæterorum vero post Sophronium Patriarcharum Hierosolymitanorum nomina,

na, usque ad Latinorum in terram sanctam sæculo undecimo adventum, vix quidem cognita sunt. Id autem accidit, quia gementibus sub duro & barbarico Saracenorum jugo Ecclesiis Syriæ & Ægypti, atque cum primis Hierosolymitana, quæ a Saracenis capta est anno DCXXXVII. nemo fuit, qui Patriarcharum Hierosolymitanorum successionem investigaret, nisi postquam undecimo sæculo victricibus latinorum armis, Duce *Godefrido Bullonio*, liberata Urbs sancta est, & Christianorum cultus tamdiu hic intermissus cœpit caput attollere. Seriem dedimus in præcedentibus nostris Colloquiis Patriarcharum, qui Sedem Hierosolymitanam tenuerunt usque ad Patriarcham, qui appellabatur *Amos*, quique obiit anno DCI. Patriarchæ Amos in Sede Hierosolymitana successit *Isichius*, vel, ut alii dicunt, *Isaacius*, cui Nicephorus in Chronico, & Tabulæ Theophani insertæ octo annos assignant, ac proinde mortuus est anno DCIX. Isichio, seu Isaacio successit *Zacharias*, qui anno DCXIV. capta a Persis Hierosolyma captivus ductus est, eoque in captivitatem abducto, *Modestus* Presbyter tanquam Zachariæ Vicarius Ecclesiam Hierosolymitanam rexit, ut probat Baronius ex antiquo Monacho in Epistola ad Eustathium, idque etiam liquido colligitur ex Auctore Anonymo coævo, qui Vitam Sancti Anastasii Persæ scripsit; ibi enim, juxta versionem Bollandi ad diem XXII. mensis Januarii de *Modesto* Presbytero dicitur: *qui eo tempore Vicarius erat Apostolici Throni*, scilicet Hierosolymitani. *Modestus* itaque Ecclesiam Hierosolymitanam tanquam Zachariæ Vicarius rexit usque ad annum DCXXIX. quo anno Zacharias e captivitate redux, Sedi suæ Hierosolymitanæ restitutus est. Verum Zacharia mortuo anno DCXXXI. *Modestus* ejus antea Vicarius in Sedem Hierosolymitanam subrogatus est, eamque tenuit usque ad annum DCXXXXIII. In Menæis Græcorum colitur *Modestus* ad diem XVI. mensis Decembris. Duæ adhuc supersunt orationes a Modesto scriptæ, una *in unguentum ferentes Mulieres*; altera, *in occursum*, quæ referuntur a Photio in Bibliotheca, Codice CCLXXV. Modesto in Sede Hierosolymitana successit *Sophronius*, qui Monothelitarum Hæresis fuit acerrimus insectator, eamque in Synodo a se Hierosolymis convocata damnavit. Mortuus est anno DCXXXVII. quo a Saracenis Hierosolymorum Urbs capta est. Illius Vitam ex variis Scriptoribus collectam Bollandus recitat ad diem XI. Martii, qua die celebris est ejus cultus tam apud Græcos, quam apud Latinos. De Operibus S. Sophronii Patriarchæ Hierosolymitani commodius agemus in Colloquio quinto. Nicephorus in suo Chronico nomen tantum Sophronii memorat, & in eo Patriarcharum Hierosolymorum Catalogum claudit; quo fit, ut modo seriem Patriarcharum Hierosolymitanorum, qui hanc Sedem post S. Sophronium tenuerunt, usque ad Latinorum in terram sanctam sæculo undecimo adventum ignotam pene habeamus. Legendus tamen est *Tractatus Præliminaris*, quem *Papebrochius* præmisit ad tom. III. Mensis Maji, in quo Catalogum texuit Patriarcharum Hierosolymitanorum a S. Jacobo fratre Domini Primo Hierosolymorum Episcopo usque ad *Dositheum*, qui anno MDCLXXII. Synodum Hierosolymis celebravit pro asserenda reali præsentia Corporis Christi in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, cujus Acta Parisiis typis excusa Græco-latine habentur.

D. Fuitne etiam interrupta series Patriarcharum, qui sæculis Ecclesiæ septimo & octavo Sedem Constantinopolitanam tenuerunt?

M. Sedes Constantinopolitana sæculis Ecclesiæ septimo & octavo continuam & citra ullam interruptionem habuit Patriarcharum seriem, quamvis in eam intrusi interdum ab Imperatoribus fuerint Hæretici Monothelitæ, & Iconoclastæ. Texuimus in præcedentibus Colloquiis seriem Patriarcharum Constantinopolitanorum usque ad *Cyriacum*, qui *Joanni Jejunatori* in Sede Patriarchali Constantinopolitana successit anno DXCV. eamque tenuit, teste Nicephoro in Chronico, annos undecim, & obiit anno DCVI. Cyriaco successit *Thomas* I. qui e vivis excessit anno DCVIII. successorem habuit *Sergium*, qui, ut Monothelitarum Heresim, qua erat infectus, latius divulgaret; non solum Pseudo-Synodum Constantinopoli coegit, sed etiam composuit *Ecthesim*, seu fidei formulam, & expositionem, in qua dici in posterum prohibebatur tam una, quam duplex in Christo operatio, licet interim in hac fidei expositione diserte asseratur una tantum in Christo voluntas, ceu doctrina omnium Sanctorum Patrum. Hanc tamen fidei formulam, quam proprio marte fabricavit *Sergius*, non suo, sed Heraclii Imperatoris nomine vulgandam curavit, ut hoc pacto majores in Ecclesia tragœdias excitare posset. Aliquanto post publicatam Echtesim, seu illam formulam fidei & Pseudo-Synodum Constantinopolitanam ad *Echtesis* confirmationem celebratam, mortuus est *Sergius* anno DCXXXVIII. postquam annis viginti octo Ecclesiam Constantinopolitanam pessime administrasset. Post Interpontificium unius circiter anni a morte Sergii, *Pyrrhus* thronum Constantinopolitanum conscendit, qui statim Constantinopoli collegit Conciliabulum, in quo omnia, quæ a Sergio decessore suo, & a Cyro Patriarcha Alexandrino in favorem Monothelitarum decreta fuerant, corroboravit. Ast Pyrrho hæretico Monothelita Sede Constantinopolitana anno DCXLI. dejecto, suffectus est *Paulus* hæreticus itidem Monothelita, qui sedit annos tredecim & menses aliquot, vitaque functus est anno DCLV. Demortuo *Paulo*, Imperator *Constans* in Sedem Constantinopolitanam restituit Pyrrhum, qui tamen eodem anno sexcentesimo quinquagesimo quinto extinctus est. Sublato e vivis Pyrrho successit *Petrus* pariter Monothelita, qui omnium *Sancti Maximi* tribulationum ac persecutionum auctor fuit ac fautor. Sedit ad annum usque sexcentesimum sexagesimum sextum, quo anno defunctus est, & in ejus locum substitutus *Thomas* hujus nominis II. qui Patriarchatum gessit usque ad annum sexcentesimum

mum sexagesimum octavum, quo anno ei successit *Joannes*, qui, postquam sedisset annos quinque, menses novem juxta Nicephorum in Chronico, obiit anno DCLXXIV. Utrumque Patriarcham *Thomam*, & *Joannem* Orthodoxos fuisse, liquet ex Actis sextæ Synodi. At Baronius Acta sextæ Synodi Generalis depravata esse existimans, sibi perperam persuasit, utrumque Patriarcham in Actis sextæ Synodi Catholicum male prædicari. Hæc Eminentissimi Annalium Parentis hac in re allucinatio magis patebit ex his, quæ in quarto Colloquio dicturus sum, ubi ostendam, Acta sextæ Synodi Generalis esse indubitatæ fidei, eaque nunquam fuisse interpolata. Joanni Patriarchæ Constantinopolitano Orthodoxo mortuo anno DCLXXIV. successit *Constantinus* Patriarcha etiam Catholicus, qui ut Nicephorus in Chronico docet, sedit anno uno, mensibus octo, diebus septem, & obiit an. DCLXXVI. Ei in throno Constantinopolitano successit *Theodorus* Presbyter Ecclesiæ Constantinopolitanæ Syncellus, & Vasorum custos, sed pessimus Hæreticus Monothelita, qui post duos annos, hoc est, anno DCLXXVIII. e Sede Constantinopolitana ab Imperatore *Constantino Pogonato* dejectus est (*a*), & in ejus locum subrogatus *Georgius*, qui in Ecclesiæ Constantinopolitanæ præfuit usque ad annum DCLXXXIII. quo anno mortuus est, & Theodorus antehac depositus in Sedem Constantinopolitanam restitutus est, seditque post suam restitutionem, ut scribit Theophanes, annos tres, & pervenit usque ad annum DCLXXXVI. In Theodori locum electus est Patriarcha Constantinopolitanus *Paulus* Laicus, & Imperatori a secretis, cui Theophanes septem annos tribuit, quod etiam in Tabulis ejus Chronico insertis legitur. Quapropter obiit anno DCXCIII. præfuit hic Patriarcha Synodo Trullanæ, quæ dicitur *Quinisexta* celebrata anno DCXCII. Post mortem Pauli, Sedi Constantinopolitanæ præfectus est *Callinicus*, qui, ut legitur tam in Chronico Nicephori, quam in Chronico Theophanis, sedit annos XII. hoc est, ab anno DCXCIII. usque ad annum DCCV. quo anno a Justiniano in Imperium restituto oculis orbatus Gallinicus Romam in exilium missus est, eo quod adhæsisset *Leontio*, qui Justinianum Imperatorem e solio dejecerat, & Chersonam relegaverat. Amoto Callinico, Sedem Constantinopolitanam obtinuit *Cyrus*, qui sedit annos sex, idest, ab anno DCCV. usque ad annum DCCXI. quo anno ab Imperatore *Philippico* e Patriarchatu Constantinopolitano dejectus ad suum Monasterium redire compulsus est. Cyrum in throno Constantinopolitano excepit *Joannes*, quem alii cum Baronio Monothelitarum antesignanum appellant, alii vero, cum *Combefisio* in Historia Monothelitarum, & *Pagio* in Critica Baronii eum a Monothelitarum Hæresi vindicant. Sedit Joannes annos tres, & mortuus est ann. DCCXV. eodem anno Sanctus *Germanus* Cyzici antea Episcopus ad thronum Constantinopolitanum evectus est. Synodum Constantinopoli coegit contra Monothelitas. Sacrarum Imaginum cultus fuit acerrimus propugnator. Unde Theophanes, & alii Historiæ Bizantinæ Scriptores, Græcorumque Menæa narrant, hunc eximium Patriarcham, cum *Leonis* Imperatoris sacrarum imaginum eversoris pertinaciam frangere haud posset, deposito in Altari superhumerali, idest, Pallio, Episcopatu sponte cessisse, atque in Monasterium se recepisse. Rem tamen aliter narrat S. Damascenus in *Oratione secunda de Imaginibus*, ubi aperte innuit, S. Germanum non sponte cessisse Episcopatu, sed a *Leone* Imperatore Sede pulsum, & in exilium missum fuisse. Sic enim loquitur S. Damascenus juxta versionem doctissimi nostri *Lequien*: *Nunc quoque B. Germanus tum vita, tum dicendi gratia resplendens, plagis affectus exulat, cum pluribus aliis Episcopis, quorum nomina ignota nobis sunt: non ne hoc prædatorium est?* Sancto Damasceno favet Scriptor Vitæ Sancti Stephani junioris Martyris, ubi testatur S. Germanum a *Leonis* Imperatoris Satellitibus *pugnis, & conviciis throno fuisse deturbatum*. Huic auctori jungunt eruditi Bollandi continuatores *Constantinum Pium* in Paphlagonia Episcopum, qui inventionis reliquiarum S. Euphemiæ Historiam texens, de S. Germano ait: *Quamobrem Sanctissimum Patrem nostrum vita, & sermone coruscantem, Sede ejecit*. Sede itaque dejecto, & in exilium ablegato S. Germano Episcopo Constantinopolitano, *Leo* Imperator hominem suæ sectæ, *Anastasium* videlicet Hæreticum Iconoclastam in Sedem Constantinopolitanam intrusit anno ineunte DCCXXX. Huic Anastasio Nicephorus tribuit annos XXI. sed verius auctor Tabularum, quæ Theophani insertæ sunt, ei tribuit ann. XXIV. quapropter, cum Anastasius, ut mox diximus, Sedem Constantinopolitanam anno ineunte DCCXXX. invaserit, necesse est, eum in vivis esse desiisse anno DCCLIII. Anastasio successit *Constantinus* antea Monachus, & Episcopus Syllæi, ut Nicephorus, & Theophanes habent. Sedit annos tredecim, & obiit ann. DCCLXIII. post illius obitum *Nicetas* a Sclavis originem ducens Eunuchus suffragio Constantini Copronymi Imperatoris consecratus est Patriarcha Constantinopolitanus, seditque usque ad annum DCCLXXX. in ejus locum *Paulus* Venerabilis lector, natione Cyprius, doctrina, & virtute præstans creatus est Patriarcha Constantinopolitanus, seditque usque ad annum DCCLXXXIV. quo anno ad thronum Constantinopolitanum sublimatus est *Tharasius*, Vir Sanctissimus, qui professionem fidei suæ misit ad Hadrianum hujus nominis I. Pontificem Maximum, & statim sacrarum Imaginum cultus restaurandi zelo accensus appulit animum ad celebrationem Concilii Generalis, cujus sola auctoritate profligari poterat Iconoclastarum Hæresis tot annorum diuturnitate roborata, tot locis longe lateque diffusa. Sedit Tharasius annos viginti duos, ut testatur *Ignatius* Diaconus Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & dein Nicææ Metropolitanus in ejus Vita cap. XI. ubi etiam narrat varia miracula ad illius Sepulchrum peracta. Quare, Tharasius Ecclesiam Constantinopolitanam rexit usque ad annum DCCCVI. quo ad Deum migravit. Sub hoc Patriarcha Constantinopolitano,

Impe-

Imperantibus in Oriente *Irene*, & *Constantino* ejus filio, habita est anno DCCLXXXVII. Synodus septima Generalis, quæ dicitur *Nicæna secunda* contra Iconoclastas Hæreticos, qui sacris Imaginibus bellum indicebant, easque penitus exterminare satagebant. De qua Synodo, sicut & de aliis Conciliis tam Generalibus, quam Nationalibus, quæ in sæculis septimo, & octavo fuerunt in Ecclesia celebrata, late in quarto Colloquio differemus.

„ (*a*) Theodorum Constantinopolitanum episcopum monothelitis favisse nemo negat; sed „ & nemo etiam, præter Baronium, asserit hæ„ resis hujus odio e sede Constantinopolitana fuis„ se dejectum; quare non desunt viri docti cum „ Pagio opinantes sponte illum ex episcopatu ces„ sisse, nullo, nec Imperatore ipso Constantino, „ cogente. Secessionis hujus causa fortasse fuerit, „ quod cum faveret Monothelitis, si veluti Pa„ triarcha Synodo tunc imminenti assidere coge„ retur, vel damnasse Monothelitas una cum ce„ teris opus fuisset, vel se periculo vitæ exposuis„ set. Ut igitur imminentem procellam evaderet, „ dignitatem abjecit.

COLLOQUIUM III.

De Sectis, & Hæresibus, quæ sæculis septimo, & octavo Ecclesiæ emerserunt.

D. Cum in isto Colloquio de ortu, progressu, atque interitu Sectarum, & Hæresum, quæ in sæculis septimo, & octavo Ecclesiæ prodierunt, sermonem instituere debeamus, ordo doctrinæ postulat, ut ab his Sectis, & Hæresibus, quæ seculum septimum infestarunt, initium ducamus; deiu, ad illas progrediamur hæreses, quæ octavo Ecclesiæ sæculo eruperant. Mox itaque, si placet, recense & expone Sectas, & Hæreses, quæ obortæ sunt septimo Ecclesiæ sæculo.

M. Septimo Ecclesiæ sæculo ex inferno prodierunt impia Secta, quam procudit *Mahometes* impostor post homines natos maximus, & duæ Hæreses, quarum una dicitur *Paulicianorum*, altera *Monothelitarum*, quæ latissime propagata, & Imperatorum patrocinio fulta, diu multumque afflixit Ecclesiam.

D. Quænam est origo, & doctrina sectæ Mahometanæ.

M. Secta Mahometana incepit anno sexcentesimo vicesimo secundo, Auctore *Mahomete*, seu *Mahumede*, qui hoc anno impiam suam cœpit spargere doctrinam, indeque crevit, ac magnopere amplificatum est ipsius Regnum in Oriente; quodque magis deplorandum est, ejus Sectarii, seu Saraceni, ipsas quoque Hispanias anno septingentesimo decimo quarto ingressi sunt, & ibi fuerunt appellati *Mauri* a proximo portu, e quo solverunt, cum in Hispanias venirent, quod Regnum diu occuparunt, & in ea suam tyrannidem exercuerunt. Hierosolymam etiam, ut jam observavimus, iidem Saraceni Mahometis Sectarii expugnarunt, anno sexcentesimo tricesimo septimo, eamque tenuerunt usque ad finem undecimi sæculi, hoc est, usque ad adventum Latinorum in Orientem, a quibus expulsi sunt Saraceni, & Christiana in his plagis reflorere cœpit Religio. At, Latinis sub finem duodecimi sæculi a *Saladino* Ægypti Sultano debellatis, & ab Oriente secedere coactis, iterum hæc pestis, Mahometana dico, totum Orientem longe lateque corripuit, & etiamnum (proh dolor) misere devastat. Enim vero, ut obiter dicam, tametsi in Oriente superstites adhuc sint aliquæ Christianorum Ecclesiæ, quam misera tamen sit illarum conditio, & quam depravata sit avitæ doctrinæ Confessio, ex eo vel maxime intelligi potest, quod decem sunt genera Christianorum, qui hac illac dissipati Orientem incolunt. Quorum *Primi* sunt Latini, qui Romano Pontifici Christi in terris Vicario, ut par est, obediunt, & Catholicæ Ecclesiæ dogmata amplectuntur. *Secundi*, sunt Græci Schismatici, qui Patriarcham Constantinopolitanum pro suo Capite agnoscunt. *Tertii*, sunt Indi, seu Æthiopes, qui parent *Presbytero Joanni*, qui vulgo dicitur *Prete Jean*. *Quarti*, sunt Jacobitæ, qui & Coptitæ, qui una cum Baptismo circumciduntur, & unam tantum in Christo naturam admittunt. *Quinti*, sunt Nestoriani in Tartaria, & India, qui duas in Christo personas reponunt. *Sexti*, sunt Maronitæ in Syria, & Phœnicia, qui sunt Monothelitæ, seu, unam in Christo voluntatem, divinam videlicet, profitentur. *Septimi*, sunt *Armenii*, qui suum habent Præsidem, cui obtemperant, & quem *Catholicum* appellant. Sunt tamen alii Armenii, qui a Religiosis Ordinis Sancti Dominici ad Fidem Catholicam adducti, subduntur auctoritati Romani Pontificis, & ab Archiepiscopo ex eodem Ordine assumpto hactenus reguntur. *Octavi*, sunt Georgiani, qui Mediam, Persidem, & Mare Caspium habitant, atque Græcorum lingua & ritibus utuntur. *Noni*, sunt Suriani, sic dicti a *Sur* Civitate Assyriæ, qui in plerisque sequuntur Græcorum Religionem, & alias appellantur Samaritani. *Decimi*, sunt *Mozarabes* in Arabia, qui in multis consentiunt cum Ecclesia Romana. Ex his tot sectis, in quas in præsentia miserum in modum Christiani in Oriente distracti sunt, facile, inquam, colligitur, quam deplorabilis sit illorum in his locis conditio, quam late dominetur impia secta Mahometana, & quam denique funestam cladem Christianismo intulerit *Mahometes* scelestus impostor, dum novam invexit Religionem, suamque detestabilem publicavit doctrinam, quam congessit in peculiarem librum, quem arabice nuncupavit *Alcoranum*, idest, *Volumen Præceptorum*, cujus compositioni tredecim annos impendisse dicitur, & quem tamen Cœlo tanquam sibi delapsum ubique venditavit. In nova sua Religione struenda *Mahometes* consortes habuit Judæum, & Monachum, quem Sanctus Damascenus in libro de Hæresibus *Arianum* fuisse scribit, *Nestorianum* alii, *Ricoldus* ex Saracenorum utique scriptis, *Jacobitam* esse affirmat. Ut ut sit, constat Judæum in cu-

in cudendo Alcorano potiores partes habuisse. Nam præter pauca, quæ ex sputiis Gnosticorum Evangeliis excerpta sunt, totus hic liber Talmudistarum, & Medrashitarum nugis refertus est. Auctor istius male consarcinati libri ait, cæremonias legis Mosaicæ, puta Circumcisionem, delectum ciborum, lotiones varias corporis, & alia id genus similia, ad salutem esse necessaria, licitamque esse Polygamiam. Præterea negat, tres esse in Deo Personas, & Christianos non secus ac Gentiles passim *Sociatores* appellat, ac si Trinitatis Fide Deo consortes attribuant. Christum negat esse Deum, quamvis Sur. 3. & alibi Jesum Christum nuncupet *Verbum Dei*, *Spiritum Dei*, *Prophetarum eximium*, ex Maria Virgine, quam putido anachronismo Aaronis, Moysisque sororem esse asserit, natum; qui miracula a tenera ætate ediderit (illa utique quæ in libro Apocrypho *de Infantia Salvatoris* leguntur) quique minime sit passus, sed altero in ejus locum subjecto, illæsus ad Cælos evaserit Sur. 22. Fanum Mecchanum, *Caabam* dictum, ad quod Arabes undique quotannis conveniebant, ab exordio rerum fuisse extructum fingit, uni Deo Optimo Maximo consecratum, instauratum ab Abrahamo, & Ismaele post diluvium, atque deinde Idolorum superstitione pollutum. Lapidem illum quadratum, quem uti Numen hactenus Arabes coluerant, Cælo dimissum esse dictitat, lapidem vero alterum, qui in *Caabæ*, seu Templi atrio jacet, ait esse illum lapidem, in quo sunt divinitus impressa vestigia Abrahami, quando ex Agare Ismaelem genuit. Vini potum, porcinæ, & morticinæ carnis esum suis Sectariis interdixit *Mahometes*, totusque libidini deditus eis post hanc vitam pollicetur beatitudinem, quæ consistit in fœdis voluptatibus corporis, quibus affatim potientur in Paradiso omnibus deliciis carnalibus affluente. Sunt, qui voluptates istas, quas post hanc vitam promittit Mahometes, ad sensum allegoricum trahunt, at ejusmodi voluptates in nativo, & litterali sensu a suo Pseudo-Propheta intellectas fuisse affirmant Alcorani Commentatores, quos *Maraccius* in annotationibus suis ad Sur. 2. & in prodromis citat. Verbo dicam, hic liber dictus *Alcoranus*, qui sectæ Mahometanæ legem complectitur, totus quantus est, a capite ad calcem scatet nænuis, fabulis, antilogiis, & erroribus: quidquid vero habet rectum, & puriori rationis lumini consonum, id totum Mahumetes hausit ex historia veteris, & novi Testamenti, quam tamen multis gerris, ineptissimis Rabbinorum nugis, & Arianorum, Sabellianorum, Manichæorum, aliorumque hujus furfuris Hæreticorum crassis erroribus turpiter fœdavit atque interpolavit. Plura legesis apud *Hottingerum in Historia Orientali*, ubi de Mahometis ortu, Pseudo-Prophetia, Dogmatibus, Hegira, præliis, morte, deque toto Orientalium cultu & Religione fuso calamo tractat.

D. Cum vera Religio ad bene beateque vivendum, & ad cordis puritatem, veritatisque contemplationem ordinetur, facile admodum intelligo, veram esse haud posse Religionem Mahometanam, quæ terrenam dumtaxat promittit felicitatem in expletione libidinis & gulæ, atque in obscena voluptate sensuum positam. At me, hercle, nullo pacto capere possum, qui fieri potuit, ut lex Mahometana in tam brevi temporis spatio orbis parte maxima dominaretur, & a tot diversis nationibus susciperetur. Hoc enim, ut sæpius a te audivi, inter cætera motiva, seu credibilitatis argumenta, quibus Christianæ Religionis contra Ethnicos, & Hebræos adstruitur veritas, non ultimum esse videtur, quod Christiana Religio, mortuo Christo Servatore nostro & in Cælos recepto, fuerit maxima celeritate & Romæ, & in toto, qua late patet, orbe non sine miraculo suscepta. Quod tamen nemini admiratione dignum, vel miraculose factum videbitur, cum idem in propagatione falsæ Religionis Mahometanæ contigerit.

M. Longum certe latumque intercedit discrimen inter propagationem Christianæ Religionis & Mahometanæ sectæ. Crevit quippe Mahometana secta armorum vi & licentia vitiorum. Nec mirum est, quod innumeri pene homines hanc Mahometis legem amplexi fuerint, quæ nullam habet difficultatem sive in credendis, sive in agendis, & quæ multum indulget sensibus & cupiditati, secundum quam, ut satis experientia notum est, longe major pars hominum vivit, potiusquam secundum rationem. At versa vice, Religio Christiana, ut optime ait Sanctus Augustinus, non armis fuit inducta & per orbem diffusa, *sed fide inchoata*, *spe nutrita*, *charitate aucta*, *miraculis confirmata est* in nomine Christi patratis ab Apostolis, quibus, utpote hominibus ignobilibus, pauperibus, rudibus, & imperitis sermone, neque natalium splendor, nec divitiæ, nec potestas, nec Philosophia aut eloquentia auctoritatem conciliabant. Id profecto maximi miraculi loco habendum est. Nec minus singulare prodigium est, quod Religio Christiana, quæ credenda proponit Mysteria humanæ impervia rationi, quæque sensibus sanctissimis suis præceptis juge bellum indicit, potuerit tam cito toto orbe disseminari & stabiliri a duodecim Piscatoribus, qui atroces persecutiones, diræque mortis supplicia pro tuenda veritate fidei, quam annunciabant, invicta patientia sustinuerunt. Cui enim, sodes, si micam, aut scintillam rationis habuerit, credibile unquam videbitur, Apostolos adeo insaniisse, ut probrosam mortem oppetere voluerint pro defensione doctrinæ Christi, quam falsam esse sibi conscii fuissent? Credat hoc Judæus Apella. Mors itaque Apostolorum, qui fuerunt sators ac propagatores Christianæ Religionis, miracula ab ipsis frequentissime patrata in confirmationem doctrinæ, quam prædicabant, Oracula Prophetarum, quæ in Christo vero Messia esse completa diserte probarunt, hæc, inquam, & alia bene multa, quæ brevitaris ergo silentio prætermitto, Sole clarius ostendunt, Christianam Religionem omnibus veræ Religionis characteribus esse insignitam. Sed his veræ Religionis Notis omnino destituta est Mahometa-

metana secta. Nec enim ullis miraculis fuit confirmata, cum ipsemet *Mahometes* in suo Alcorano ullam se miraculorum patrandorum habuisse potestatem ultro fateatur. Nullus unquam Propheta Mahometo, ejusque legi testimonium perhibuit. Et sane, quo pacto Prophetæ potuissent Mahometo & ejus legi perhibere testimonium, cum ex ipsomet Alcorano facile evincatur, Mahometum fuisse hominem flagitiosissimum, cædibus, rapinis, perjuriis, & libidine duntaxat insignem, ejusque legem non novam exhibere revelationem, sed potius tam veteris, quam novæ revelationis divinæ utriusque fœderis paginis contentæ, corruptelam esse, vel, ut melius dicam, errorum, mendaciorum, & fabularum centonem, uti tibi, si per otium liceat, Alcoranum legenti liquido patebit.

D. Eccur igitur permisit Deus summe bonus & summe verax, ut ferox ista Mahometana gens multis felicibus bellorum eventibus, ac victoriis Christianos superaverit, & sancta Palæstinæ loca, quæ Christus Dominus vita, doctrina, & morte sua consecravit, in suam redegerit potestatem?

M. Quod Mahometani de Christianis aliquando victorias retulerint, quod sanctissima Palæstinæ loca invaserint, id totum, volente Deo, & plerumque nos ob peccata nostra castigante, ut pater filios, evenisse persuasum habere debes, eumque nihilominus adorare par est, qui, ut dicitur in Scriptura Sacra, *mutat tempora, & ætates, & transfert Regna atque constituit*. Cæterum, felicibus bellorum eventibus atque victoriis non demonstrarur Religionis veritas; alioqui vera fuisset Græcorum, Romanorumque, dum Idola colebant, Religio; rerum siquidem tum temporis potiebantur, multisque victoriis toto orbe inclyti erant. Quis etiam nescit, Hebræos, qui Deum unum verum colebant, ab Infidelibus, Deo illis ob peccata irato, sæpe fusos fuisse? Præterquamquod Mahometanos non semel a Christianis cum exigua manu, Deo exercituum pro ipsis pugnante, terra marique cæsos ac profligatos fuisse & legimus in Historiis, & nostris temporibus vidimus, hoc præsertim anno millesimo septingentesimo decimo sexto, quo hæc scribo. Vidimus, inquam, Mahometanos, seu Turcas, qui victoriis elati, jam nullo labore Peloponneso potiti, impudenti fiducia Christianis insultabant, eisque terra ac mari ineluctabilem cladem, in Italia, & in Imperio Romano minabantur, ab exercitu Imperatoris Caroli VI. quamvis numero longe inferiori, terrestri commisso prælio, fuisse fugatos, dissipatos, ac tantum non omnes ad unum internecione deletos. Nec secundam magis fortunam Mahometani mari sunt experti. Etsi enim classem haberent ex omni memoria maximam, sicque instructam annona, commeatu, armis, nauta, milite, machinis & tormentis, ut Christianis ultimum exitium allatura videretur; nihilosecius Venetorum, & aliorum Principum Christianorum fœderatorum classe deterriti, & quasi panico terrore perculsi, jam inceptam Corcyræ urbis, vulgo *Corfù*, obsidionem turpiter relinquere, atque maturare fugam coacti sunt. Sic supremo favente Numine, & pro Christianis Cælo pugnante, abierunt in ventos, desierunt in strepitum fumumque tot ferales, tamque numerosi Mahometanorum exercitus in Christianos immissi, nullusque dubito, quin propediem de toto Imperio Othomano actum penitus ac conclamatum sit, si Augustissimus Imperator, quem Deus sospitem diu ac incolumem servet, victricia sua arma in illud pari felicitate deinceps inferre non desistat. Sed hactenus satis de Mahometana secta, quam egregie confutavit *Natalis Alexander* Dissertatione sexta sæculi septimi Historiæ Ecclesiasticæ.

D. Quisnam fuit Auctor Hæresis *Paulicianorum*, quam sæculo Ecclesiæ septimo obortam esse in exordio nostri Colloquii observasti?

M. Refert *Cedrenus* extitisse anno decimo tertio Imperii *Constantis*, hoc est, anno Christi DCLIII. *Constantinum* quemdam, qui & *Sylvani* nomen usurpabat, *Paulicianorum* sectæ Principem, qui Manichæorum hæresim renovavit. Constat tamen Paulicianorum Hæresim esse illo Constantino antiquiorem; nam Manichæi Paulicianorum. nomen sibi sumpserunt a *Paulo* quodam *Samosateno*, qui diu ante prædictum Constantinum hanc Hæresim promulgaverat. De illis Paulicianis, eorumque erroribus hæc habet Cedrenus: *Servant Manichæorum Hæresim, duo principia cum illis affirmantes. Unum tantum esse ajunt, quod illos a Romana Ecclesia disjungat. Se enim sentire alium esse Deum Patrem cælestem, qui in hoc mundo nihil habeat potestatis, habeat autem in futuro: alium Deum Mundi, cui in præsentem mundum jus sit. Romanos autem profiteri, esse unum Deum, eumdemque Patrem Cælestem & universi Factorem. Se Christianos, nos Romanos appellant.* Præter hunc errorem de duobus principiis, quem Pauliciani Hæretici cum Manichæis communem habebant, alios errores disseminabant, negantes divinam Mariæ Virginis Maternitatem, præsentiam realem Corporis & Sanguinis Christi in augustissimo Eucharistiæ Sacramento. Præterea, omnem Cruci Christi Domini venerationem adimebant, Prophetas, & Sanctos explodebant, mendacium & Religionis simulationem licitam esse affirmabant, sacras litteras suis accommodabant erroribus, & in omne spurcitiæ genus effusi impotenti suæ libidini, deposito omni pudore, fræna laxabant. Verum, de Paulicianorum erroribus legendi sunt jam citatus Cedrenus in *Compendio Historiarum*, ubi illos fuse prosequitur, & *Euthymius* in Panoplia titulo vicesimo, ubi eosdem errores accurate refellit. Hæc Paulicianorum hæresis late per Orientem adhuc nono Ecclesiæ sæculo grassabatur, ut nos docet *Porphyrogenneta* in Vita *Michaelis* Imperatoris filii Theophili, ubi hæc habet: *Paulicianos per Orientem conatur* (Theodora Augusta mater Michaelis Imperatoris) *ad veram fidem transferre, sin minus extirpare, ac de medio tollere: quæ res ingentibus malis Romanum Orbem implevit. Mittit itaque in eam rem Pro-*

cerum quosdam ac Magistratuum. Hi alios in Crucem agebant, alios gladio cædebant, alios profundo mari mergebant. Sublati ad centum millia ejusce generis suppliciis: publicata substantia, ac fisco illata. Subdit idem *Porphyrogenneta*, Manichæum dictum *Carbeam* cum quinque millibus ejusdem Religionis *ad Melitinæ Amerem*, idest, Præfectum, profugisse, indeque ad *Amerammunem*, seu Calypham Saracenorum, profectum, communibus studiis Romanam Ditionem invasisse, Urbes tres condidisse, & multas clades Romanis intulisse, quod fusius Baronius Eminentissimus Annalium Ecclesiæ parens ad annum Christi octingentesimum quadragesimum quintum ex *Curopalate* narrat.

D. Describe nunc, quæso, ortum & progressum Monothelitarum Hæresis, & in primis expone, in quo situs esset palmaris istorum Hæreticorum error?

M. Palmaris Monothelitarum error in eo positus fuit, quod unicam in Christo Domino operationem, adeoque unicam voluntatem, divinam videlicet, propugnarent. Quod quidem ut clarius intelligas, obiter observare debes, ineunte septimo Ecclesiæ sæculo omnes tam Orientis, quam Occidentis Patriarchas, & Episcopos, juxta definitiones Conciliorum Ephesini, & Chalcedonensis, quæ contra Nestorium, & Eutychetem celebrata fuerunt, duas in Christo naturas, divinam scilicet, & humanam in unitate Personæ divinæ admisisse; ex quo fidei dogmate ab universa Ecclesia recepto, necessario consequi videbatur, duas itidem in Christo agnosci debere voluntates & operationes, divinam nimirum & humanam. Ast, circa Annum DCXXII. insurrexerunt Hæretici, qui hanc consecutionem negarunt, asserentes, naturam humanam in Christo ita esse unitam Verbo Divino, ut licet mente, aliisque facultatibus, quæ naturæ humanæ sunt appendices, prædita esset, ipsa tamen natura humana in Christo propriam non exerceret operationem, sed unica in Christo esset Operatio, profecta quidem a Verbo Divino, ut a principe causa, ab humanitate vero, ut a causa pure instrumentaria. Quamobrem isti Hæretici, qui ex infecta Eutychianorum stirpe, tanquam mali surculi pullularunt, dicti sunt *Monothelitæ*, quod, exclusa operatione, & voluntate humana, unicam in Christo operationem & voluntatem divinam profiterentur. In hoc errore proram puppimque, ut ajunt, suæ hæreseos Monothelitas constituisse, patet ex Coriphæis illius sectæ, videlicet ex Epistola *Cyri* Alexandrini Monothelitarum Patriarchæ ad *Sergium* Patriarcham Constantinopolitanum Monothelitarum primipilum; ex Epistola *Sergii* ad *Honorium I.* Romanum Pontificem, & denique, ex *Machario* Patriarcha Antiocheno, Monothelita insigni, qui in sexta Synodo generali contra Monothelitas coacta, hæc palam effutire non erubuit: *Si membratim incidar*, inquit, *& jacter in mare, neque duas voluntates, neque duas operationes dico in Domino nostro Jesu Christo, uno Sanctæ Trinitatis*. Hunc Monothelitarum errorem aperte damnant concors SS. Patrum doctrina, & locupletissima Scripturæ Sacræ testimonia, in quibus Christus Dominus sic alloquitur Patrem suum: *Pater, si possibile est, transeat a me Calix iste: Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis*. Matth. cap. 26. item Lucæ cap. 22. *Pater, si possibile est, transeat a me Calix iste: Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat*. Et Joannis cap. 6. *Descendi de Cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me, Patris*. His similibus, quæ passim in sacris litteris occurrunt, referendis testimoniis, consulto supersedeo, quia *Sanctus Maximus* in disputatione, quam habuit cum *Pyrrho* Hæretico Monothelita, ea accurate collegit, hisque ad confutandum illum Hæreticum apposite usus est. Consulendus est etiam *Natalis Alexander*, qui Monothelitarum errores perdocte refellit in Dissertatione quinta, quæ extat in Panoplia adversus Hæreses septimi Ecclesiæ sæculi.

D. Quo pacto propagata est Monothelitarum Hæresis, & quinam præcipui fuerunt illius Auctores, atque Fautores?

M. Propagationi Monothelitarum Hæresis ansam, & occasionem dedit imprudens *Heraclius* Imperator, qui deceptus est in congressu, quem anno DCXXII. habuit cum *Paulo Monoculo* hæretici *Severi* Discipulo ac Sectatore, qui Monothelitarum hæresim se tum primum profiteri testatus est. Hujus congressus meminit *Sergius* Constantinopolitanus Episcopus Monothelita in Epistola ad Honorium I. Summum Pontificem, quæ habetur Actione XIII. sextæ Synodi Generalis. Scribit etiam *Theophanes*, eundem Heraclium Imperatorem fuisse pariter deceptum in altero congressu, quem anno DCXXIX. habuit cum *Athanasio* Jacobitarum Patriarcha, Viro vafro, & pernicioso, qui Monothelitarum errore erat infectus. (*a*) Verum, doctissimus noster *Combefisius* in Historia Hæresis Monothelitarum, Disputatione prima cap. 6. observat, fictitium plane, & fabulosum esse hunc congressum Imperatoris Heraclii cum Athanasio, & recta fronte pugnare cum iis, quæ a Scriptoribus narrantur de congressu *Pauli Monoculi* sectæ Severianæ cum Imperatore Heraclio, adducitque nonnulla argumenta, quibus hanc Athanasii cum Heraclio congressionem oppugnat. Non ausim tamen ipse omnino cum *Combefisio* congressum illum Imperatoris Heraclii cum Athanasio tanquam confictum penitus explodere, tum quia *Theophanes* in sua Historia illius congressus Heraclii cum Athanasio apertam mentionem facit; tum quia etiam noster eruditissimus *Jacobus Goarus* in suis Notis ad Theophanem ostendit leviora esse Combefisii tela, quam ut Historiæ a Theophane scriptæ veritas lædatur, idemque cum Jacobo Goaro sentit doctissimus noster *Michael Lequien* in suis Annotationibus in Opera S. Damasceni. Quapropter hanc secundam congressionem Imperatoris Heraclii cum Athanasio Jacobitarum Patriarcha, utpote necdum satis compertam, in medio relinquo. Hoc unum certissime apud omnes constat, Heraclium Imperatorem jam ab anno sexcentesimo vicesimo secundo a *Paulo Monoculo* Severi Hæretici discipulo deceptum,

con-

consuluisse *Sergium* Constantinopolitanum Episcopum, & *Cyrum* Phasidis Episcopum, sed postea ad Patriarchicum thronum Antiochenum translatum, an scilicet in Christo duplex esset voluntas? a quibus istud habuit responsum: unam tantum in Christo dicendam esse voluntatem, & operationem. Neque admodum Sergio Monothelitarum sectæ patrono ac parenti laborandum fuit, ut Imperatori Heraclio suum virus afflaret, tum quia Sergio tanta cum Heraclio intercedebat necessitudo, ut adversus Persas profecturus hic Imperator, suos filios ejus curæ ac fidei commiserit; tum quia etiam, Oriente tum temporis varias in sectas misere distracto, Imperator Heraclius facile sibi persuasit, fore, ut hac unius in Christo voluntatis, & operationis assertione, cujus par non animadvertebat periculum, unionem Acephalorum, aliorumque Orientis Hæreticorum cum Catholicis facile procurare posset. Sic imprudentissimus ille Imperator hæreticum dogma de una in Christo voluntate, & operatione, tanquam novum pro antidoto venenum a Sergio accepit, atque inductus specioso illo hæreticorum cum Catholicis unionis titulo, magnum in Ecclesia excitavit incendium, quod postea difficile extingui potuit. Interea, Cyrus Patriatcha Alexandrinus, ut jam in superiori Colloquio observavimus, coegit anno DCXXXIII. Conciliabulum, in quo novem edidit Capitula, in quorum septimo purum, putumque Monothelismum de una in Christo voluntate, & operatione stabiliebat. Hæc novem Cyri Capitula in hac Pseudo-Synodo Alexandrina fabricata, obviis ulnis excepit, & suo calculo confestim approbavit *Sergius* Constantinopolitanus, sed ea strenue rejecit *Sophronius* Monachus, intrepidus fidei Catholicæ defensor, qui, cum de una, vel duplici voluntate, & operatione in Christo convenire haud posset cum Cyro, ad Sergium Constantinopolitanum perrexit apud eum coram acturus causam, & ad sollicitandam eadem opera Capituli septimi in Conciliabulo Alexandrino conditi abrogationem, in quo una tantum Dei virilis voluntas decernebatur. Invenit Sophronius Sergium in eodem erroris luto hærentem cum Cyro, quare, re infecta, Constantinopoli profectus, in Palæstinam reversus est, ubi post mortem *Modesti* Hierosolymorum Patriarchæ, in ejus locum ipsemet suffectus est, Conciliumque habuit Antistitum Palæstinæ, in quo composuit Epistolam illam Encyclicam de more ad Patriarchas mittendam, & recitatam in sexta Synodo Actione undecima, in qua disertissimis Sanctorum Patrum auctoritatibus abunde evincit, dari in Christo duplicem voluntatem, & operationem, Actaque sua Synodica *Honorio* hujus nominis primo Summo Pontifici, & *Sergio* Constantinopolitano transmisit, ut legitur in libello Synodico. Hujus Sophronii Synodi, in qua Monothelitarum Hæresis confixa est, meminit *Theophanes* ad annum vicesimum Imperatoris Heraclii, ubi, quæ ad originem, & progressum Monothelismi spectant, uno tenore refert. Accepta Synodica Sophronii Epistola, *Sergius* Constantinopolitanus Episcopus scripsit ad Honorium Romanum Pontificem litteras decimæ Actioni Synodi sextæ insertas, quibus Sophronium atris coloribus depingit, & ad consulendum Ecclesiasticæ paci proponit, tanquam omnino necessariam silentii œconomiam, qua videlicet neque una, neque gemina in Christo operatio, vel voluntas deinceps diceretur, ob emergens, ut inquiebat, ex intempestivo illarum vocum usu scandalum, sed unus idemque filius Unigenitus verus Deus Dominus noster Jesus Christus dicatur, operatus tam divinam, quam humanam operationem. Hanc silendi dispensationem, quam frustra conatus erat Sergius persuadere Sophronio, facile Honorio I. Romano Pontifici persuasit. *Honorius* quippe duas ad Sergium scripsit Epistolas, in quibus non tantum eum laudat, quod novitatem vocabuli *unius*, vel *geminæ* in Christo operationis, *quod possit simplicibus scandalum generare*, prudenter sustulerit, sed etiam fatetur unam voluntatem Domini Nostri Jesu Christi, *quia*, inquit, *a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa; illa profectò quæ ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitiata*. Ex eo loquendi modo, quem suis ad Sergium Epistolis usurpavit Honorius I. Romanus Pontifex, Hæretici, & quidam etiam Catholici Scriptores existimarunt, hunc Summum Pontificem in hæresim Monothelitarum impegisse, & unam tantum in Christo voluntatem & operationem admisisse. Verum, non est dubium, quin oppido fallantur. Honorius siquidem Papa dum unam voluntatem in Christo asserit, id dumtaxat intellexit de Christo secundum naturam humanam considerato, cujus duas esse voluntates contrarias, mentis nimirum, & carnis, Orthodoxo sensu jure merito negavit, quia illa pugna voluntatum in homine peccati originalis fructus est, cujus omnino expers fuit Christus Dominus, a quo, ut observat Summus ille Pontifex, *assumpta est nostra natura, non culpa*. Sic germanam Honorii mentem explicant, & a Monothelitarum Hæresi vindicant Joannes IV. Summus Pontifex in *Apologia pro Honorio ad Constantinum Imperatorem Heraclii filium*, S. Maximus in *Dialogo cum Pyrrho*, Anastasius Bibliothecarius præfatione *in sua ad Joannem Diaconum Collectanea*. Unde, quemadmodum S. Cyrillus Alexandrinus disputando contra Nestorium, hanc propositionem: *Una est natura Verbi incarnata*, asserit in sensu Catholico, & a sensu Eutychianorum, qui eamdem loquendi formam postea usurparunt, penitus alieno; ita Honorius mente Catholica dixit, & in sensu Monothelitarum errori prorsus opposito, unam esse in Christo voluntatem. Duas siquidem voluntates Christi divinam scilicet, & humanam absolute non negavit, sed tantummodo duas voluntates in humana Christi natura pugnantes, sibique contrarias exclusit, propter rationem superius allatam. Cæterum, lubens fateor, Honorium graviter peccasse, dum de una, vel gemina in Christo voluntate, & operatione silendi invexit œconomiam. Quod, ut facilius intelligas, distinguendum est duplex œconomiæ

 genus.

genus. Vel enim silendi œconomia cadit supra personas, quæ hæreseos insimulantur, vel supra fidei doctrinas. Et quidem si de personis sit quæstio, prudentissime Ecclesia aliquando dispensationem adhibuit, & silendi œconomiam, qua protraheretur illarum damnatio, donec intimius res elucesceret. At quando de fidei doctrinis suboritur aliqua dissensio, & veritas aliqua impugnatur, quæ in SS. Patribus, in Scripturis Sacris, & in Conciliorum definitionibus haud obscure continetur, nulla tunc opus est œconomia, aut silendi dispensatione, sed statim ab iis, ad quos spectat, aperte est definienda, ut liquet pluribus exemplis Veterum Patrum, qui in hostes Ecclesiæ primo adhuc impetu acriter insurrexerunt, eorumque errores in ipsis cunis præfocarunt, parum curantes quod homines impii, ac novitatum amatores scandala inde paterentur, dummodo veritas Catholica usque ad sanguinis effusionem vindicaretur. In hoc itaque culpandus est Honorius Papa, quod in hac doctrina fidei de duabus in Christo voluntatibus, & operationibus præposteram indixerit silendi œconomiam, & quod Monothelitarum Hæresim latius grassari permiserit, quam tamen actutum auctoritate sua reprimere debuisset. Sed quamvis Honorius Papa a peccato excusari haud possit, a Monothelitarum tamen Hæresi, qua nunquam fuit infuscatus, facile purgari potest, quidquid contra obstrepant hæretici, quos inter *Guillelmus Cave* in Historia litterali sæculo Monothelitico hæc scribit: *Laterem lavant, operam oleumque perdunt, quotquot Honorium ob Hæresim Monotheliticam a Synodo Generali sexta damnatum hac labe eximere allaborant*. Quod quidem quam falsum sit, & Sancti illius Pontificis doctrinæ injurium, facile intelliges, si præter ea, quæ hactenus in ejus defensionem diximus, consulas nostrum *Combefisium* in Historia, quam edidit, Monothelitarum Hæresis, & nostrum *Natalem Alexandrum* in Dissertatione secunda septimi Ecclesiæ sæculi, ubi late probat, tam vere, quam pie Honorium I. a Monothelitarum Hæresi excusari posse.

„ (*a*) Quamquam Monothelitarum hæresis sæ-
„ culo demum VII. emersit, ejus tamen semi-
„ na integro ante sæculo germinare ceperunt sub
„ Zenone, opera Monophysitarum, quorum prin-
„ ceps Xenaias qui & Philoxenus Hieranus E-
„ piscopus Monophysita, *qui in sua professione Fi-*
„ *dei* Syriace scripta hæc in rem præsentem ha-
„ bet: *Si quis in uno Unigenito duas crediderit*
„ *personas, aut duas voluntates, aut personarum dif-*
„ *ferentiam statuerit post unitionem in utero factam,*
„ *anathema sit*. Vid. Asseman. Bibl. Orient. tom.
„ II. pag. 34. Porro Philoxenus anno 518. exula-
„ re coactus, Theophane teste, demum Gangris
„ Paphlagoniæ urbe fumo suffocatus interiit pau-
„ lo post annum 522. ut ex Anonymo Syro vi-
„ tæ ejus scriptore Assemanus ibidem pag. 20.
„ deducit.

Mortuo Honorio I. Romano Pontifice, *Sergius* Episcopus Constantinopolitanus Hæreticus Monothelita, sub specioso obtentu consopiendi tumultus, quibus tota perstrepebat Ecclesia, Auctor fuit Imperatori Heraclio ut promulgaret *Ecthesim*, seu fidei expositionem, quam ipsemet Sergius proprio marte cuderat, in qua deinceps dici prohibebatur cum una tum gemina in Christo voluntas, & operatio. Hac *Ecthesis* nomine Heraclii Imperatoris vulgata, & a Romanis Pontificibus *Severiano*, *Joanne IV.* & *Theodoro* Honorii primi successoribus damnata, extat Secretario III. Concilii Lateranensis *sub Martino I.* Summo Pontifice celebrata. Necdum tamen hac Ecthesis Heraclii proscriptione Monotheliticæ Hæresi finis impositus est, ob pervicaciam *Pyrrhi* & *Pauli*, qui Sergio in Sede Constantinopolitana successerunt, & duo illius sectæ præcipua columina fuerunt. Hic siquidem *Paulus* Constantinopolitanus Episcopus, qui diu Catholicam fidem ementitus fuerat, detracta tandem larva induxit *Constantem* Imperatorem nepotem Heraclii, ut promulgaret anno DCXLVIII. *Typum*, seu Edictum, quo silentium indicebatur unius, vel duarum in Christo voluntatum & operationum, quod Edictum habetur in Concilio Lateranensi sub Martino I. indicto, Secretario IV. Postremo, hæc Monothelitarum hæresis attrita, & profligata fuit in sexta Synodo Œcumenica sub *Agathone* Papa, & *Constantino Pogonato* optimo Imperatore Catholico anno DCLXXX. habita. Tentavit quidem *Philippicus Bardanes*, qui anno Christi DCCXI. Imperium invasit, hanc jacentem Hæresim, qua a puero imbutus fuerat, utcumque erigere, sed illo Tyranno in ordinem redacto, & *Anastasio* Catholico Principe ad Imperii fastigium evecto, extincta ad Monothelitarum Hæresis, & Catholica fides de duabus in Christo voluntatibus, & operationibus in sexta Synodo Generali definita toto Orbe Christiano suscepta est; exceptis tamen, ut observant Historiæ Ecclesiasticæ periti, Chaldæis, Armenis, & Maronitis, apud quos etiam post Concilium sextum Generale diu viguit Monothelitarum Hæresis. Sed de sectis, & Hæresibus, quæ septimo sæculo Ecclesiæ gremium dilacerarunt, hactenus satis dictum sit.

D. Gestio nunc scire ortum ac progressum Hæresum, quæ in octavo Ecclesiæ sæculo prorupterunt.

M. Duæ potissimum Hæreses octavo Ecclesiæ sæculo emerserunt, videlicet Hæresis *Iconomachorum*, seu *Iconoclastarum*, & Hæresis *Felicis* Urgellitani Episcopi, & *Elipandi* Toletani Antistitis.

D. Ab origine, & progressu Iconoclastarum Hæresis exordium, si placet, ducamus.

M. Iconoclastarum Hæresis anno septingentesimo vicesimo tertio hoc pacto exorta est (*b*). Tiberiade vir quidam haud obscurus erat Judæorum superstitionibus addictus, qui cognominabatur *Sarantapechus*, infensissimus Christianorum hostis, & invidiæ livore in Ecclesiam æstuans. Hic itaque male feriatus homo illius, qui Saracenis tum temporis imperitabat (*Jezidus* ille vocabatur) nimiam facilitatem cum perspectam habuisset, conciliata sibi illius benevolentia, & studium erga ipsum obtendens, quædam ei grata ac jucunda vaticinabatur, tumque pollicitus est, si

fug-

suggestionibus ejus morem gereret, Imperii diuturnitatem, ita ut triginta annos Imperii integros ageret, modo ex Christianorum templis, totiusque Imperii sui finibus, Christi, & Sanctorum Imagines deturbaret. Hamum devoravit imprudentissimus Princeps, illiusque præstigiatoris consiliis auscultans sacrilegum promulgavit Edictum, quo sacra Christianorum templa expilari, Sanctas Imagines dejici, lacerari, & comburi jussit. Quod idem impium Edictum prophanis, & impuris manibus e vestigio executioni mandatum est; nam qui ad id missi fuerant, inimicos Christi Judæos, Saracenosque ad jussa perficienda acriter urgebant; Christiani vero, quantumvis minis impellerentur, tam violentum facinus aggredi detrectabant. Verum, hanc impietatem non diu inultam reliquit Deus præpotens scelerum vindex. At enim *Jezidus* ille Saracenorum Princeps, qui impiis hujus præstigiatoris Judæi consiliis per summam imprudentiam assensum præbuerat, cum sua spe delusus brevi tempore superstes fuisset, male periit. Ejus autem filius, cui nomen *Ulido* erat, in paternum Regnum succedens, hunc præstigiatorem Judæum tanquam Patris seductorem, ac insignem impostorem acerbissima, & crudelissima morte multari præcepit, quo nequitiæ condigna præmia reportaret. Quo semel facto, mox per Orientem ornatum suum resumpsit Ecclesia, & Sanctarum Imaginum instaurationem accepit. Hæc constant ex relatione, quam *Joannes* Hierosolymitanus Monachus Actione v. septimæ Synodi Generalis coram Patribus recitavit, quæque seorsim edita est cum continuatoribus Historiæ Byzantinæ post Theophanem.

„ (*a*) Iconoclastarum quidem hæresis nonnisi „ seculo exoriente VIII. paruit, diu tamen ante „ primæ ejus lineæ ductæ sunt auctore Philoxeno „ Monothelitarum assertore, qui anno 522. obiit. „ Ita enim de illo habuit Joannes Dacrinomenus „ Monophysita in act. v. Nicæni II. *Non enim* „ *licitum asserebat Xenajas* (alio nomine Philo- „ xenus) *Angelorum cum incorporei sint, corpora* „ *facere. Sed nec illud existimare, honorem aut gloriam* „ *impendere Christo imaginem ejus per picturæ artem* „ *efficere; esse autem illi solam acceptabilem nosse* „ *in spiritu & veritate adorationem. Hæc Philoxe-* „ *nus docens una cum doctrina etiam opus patra-* „ *bat. Crebro namque Angelorum imagines quidem* „ *deponens delebat; eas vero quæ Christum fi-* „ *gurant in abditis locis occultabat.* Plura in eam- „ dem rem ex Philoxeni scriptis deprompta adji- „ cit Assemanus Biblioth. Orient. tom. II. pag. 20.

D. Certe mirari non subit, quod Judæi, & Saraceni Christianorum infensissimi hostes Sanctis Imaginibus bellum indixerint. At scire vellem, an hæc impietas ab Hebræis ad Christianos derivata sit?

M. Hanc impietatem *Leo* hujus nominis III. dictus *Isaurus*, qui tum temporis Imperium Romanum regebat, ab Hebræis accepit, eamque apud Christianos inducere tentavit, instigante præsertim *Constantino* Nacoliæ in Phrygia Episcopo, qui ob suam hæresim, a suis Diœcesanis expulsus, in Aulam Imperatoris irrepsit, eumque contra cultum Sanctarum Imaginum vehementer accendit. *Leo* itaque anno decimo Imperii sui, sicut testantur *Theophanes*, & *Stephanus* Diaconus Ecclesiæ Constantinopolitanæ in Vita Stephani junioris, ut gratificaretur Judæis, quibus jure jurando sese obstrinxerat, concessurum se illis quidquid postulassent, cum ad Imperium, quod ariolando ei fuerant vaticinati, provectus esset; sacras Imagines persequi cœpit, ad quas penitus evertendas publicum postea promulgavit Edictum, cui tum in Oriente strenue intercessit Sanctus *Germanus* Patriarcha Constantinopolitanus, tum in Occidente Gregorius II. Summus Pontifex, qui perfidum illum Imperatorem ab hac impietate litteris ad eum datis avocare conatus est, sed frustra; Barbarus quippe ille Imperator nomine & moribus *Leo* erga Ecclesiam furore percitus a nefario proposito semel in animo infixo sacrorum Templorum Imagines destruendi divelli nequaquam potuit. Immo in dies crudelior factus Venerabile Collegium *Studitarum* ejus impietatem aversantium, una cum instructissima Bibliotheca injectis flammis concremavit. Dein, S. Germanum Constantinopolitanum Episcopum, qui ejus de abolendis Imaginibus decreto subscribere renuebat, Sede expulit, & in ejus locum subrogavit *Anastasium* fatalem Imperatoris in hac disseminanda Iconoclastarum hæresi administrum, sicut testatur jam citatus *Stephanus* in Vita Stephani junioris his verbis, quæ hic integra recensere operæ pretium est: *His auditis*, nempe quæ de Venerandis Imaginibus dicebat S. Germanus, *improbus Imperator*, *more Leonis*, *cujus nomen ferebat*, *frendens*, *Satrapas ensibus armatos in Patriarchicam domum misit*, *quibus præcepit*, *ut cum pugnis*, *& conviciis Sanctum Virum inde deturbarent*. *Eo autem ejecto*, *& Monasticæ vitæ participe facto*, *videre erat universam Civitatem melliflua Patris doctrina orbatam*, *fletum*, *& ejulatum non parvum edere*, *ita ut dies illa*, *non dies*, *sed tenebræ*, *& fletus super fletum*, *& væ super væ esset*, *ut loquitur Propheta*. *Iisdem miseris diebus impius Anastasius impietatis manu Pontificatum occupavit vi militum*, *non suffragio divinæ pietatis*, *qui quidem omnia ad Ecclesiam pertinentia Imperatoris ædibus tradidit*. *Tum Tyrannus libera potestate prodendæ hæresis accepta*, *illico Sanctam*, *& Dominicam Christi Dei nostri imaginem*, *quæ super Imperatoria atria collocata ob effigiem Sancta Ænea dicebatur*, *dejicere*, *& igni tradi tentavit*. *Quod quidem peregit*. *Interim vero dum tollebatur*, *divino zelo roboratæ bonorabiles mulieres fortiter irruerunt*, *arreptaque scala*, *Spatharium*, *qui imaginem amovebat*, *in terram projecerunt*, *distractumque morti tradiderunt*. *Post hæc ad Patriarchicam domum statim properantes*, *impium Anastasium lapidibus petunt*, *ajentes*: impiissimum Caput, & veritatis hostis, ergo ne, idcirco Sacerdotium invasisti, ut sancta, & sacra anathemata, sive donaria evertantur. *Hanc de se victoriam non ferens prophanus*, *a conspectu piarum mulierum aufugit*, *& ad tyrannum confugiens*, *ei author fuit*, *ut functas illas mulieres ferro interimeret*. *Quod quidem factum est*, *illæque pro Christi imagine inito certamine*, *victoriæ præmium ab ipso Christo receperunt*, *cum omnibus Sanctis victricibus in* Regno

Regno Cælorum latantes. Hactenus Stephanus Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus in Vita Stephani junioris, quæ græce ac latine publicata est tomo I. Analectorum Græcorum a *Jacobo Loppino* Monacho Benedictino. Sed in Germanum Sanctissimum Antistitem, & in pias mulieres, quæ ab ejus impietate abhorrebant, atrociter sæviisse non contentus *Leo* Imperator, furere adhuc cœpit adversus Gregorium II. Summum Pontificem, cujus vitæ non solum per suos Ministros sæpius insidiatus est, sed etiam in odium vindicatarum a Summo illo Pontifice imaginum, patrimonia Ecclesiæ Romanæ in Calabria, & Sicilia in Fiscum redegit, & Diœceses Illyrici intus, Calabriam, & Siciliam, reliquasque Provincias usque Thraciam a Romano Pontificatu distraxit; de qua summa tyrannide, & injustitia conqueruntur jure optimo Summi Pontifices Adrianus I. in Epistola ad Carolum Magnum, & Nicolaus I. in Epistola ad *Michaelem* Imperatorem, in qua earumdem Provinciarum, quas Ecclesiæ Romanæ jam injuste *Leo* Imperator abstulerat, restitutionem postulat. Tot malis, quæ scelestus ille Imperator *Leo* Sedi Apostolicæ intulerat, deterritus tamen non est Gregorius II. qui tum temporis universæ Ecclesiæ clavum feliciter regebat, sed in defensione avitæ fidei sibi semper constans, postquam *Leonem* ab hac impietate consiliis, ac litteris suis abducere haud potuisset, Concilium coegit Romæ, in quo tam illum, quam alios eadem hæresi infectos diris Christiano ritu devovit, ut narrant Adrianus I. in Epistola ad Carolum Magnum, *Cedrenus*, & *Zonaras* Scriptores Græci. Idem præstitit Gregorius III. decessori suo virtutibus, & pietatis zelo par. Is quippe Summus Pontifex, postquam per litteras & legationes animum *Leonis* Imperatoris emollire, atque ad meliorem frugem revocare incassum tentasset, Romæ Concilium habuit trium supra nonaginta Episcoporum, in quo *extorris ab Ecclesia declaratur, qui antiquæ consuetudinis, & Apostolicæ Ecclesiæ fidelem usum contemnens, adversus venerationem sacrarum Imaginum depositor atque destructor, & prophanator, vel blasphemus existit.* Defensoribus sacrarum Imaginum adjunxit sese Sanctus *Joannes Damascenus*, qui in Aula Caliphæ Saracenorum dignitate, & gratia eminens, & Damasci Præfectus fidem adversus nascentem Iconoclastarum hæresim impigro labore propugnavit, missis in Provincias Imperii Epistolis, & Orationibus egregiis de Sanctarum Imaginum cultu. Quod ubi *Leoni Isauro* Imperatori innotuissent, eum malis artibus perdere in animum suum induxit, nactusque ejus manu scriptam Epistolam, aliam per Notarios peritos characteribus persimilem exarari jussit, ut proditoria Epistola ejus manu scripta videretur. Hanc suppositítiam, & proditoriam Epistolam misit Imperator *Leo* ad Caliphàm Saracenorum, qui actutum Sancto Damasceno jussit truncari manum, quæ tamen die sequenti a Beata Virgine ei miraculose reddita est. Quo insigni prodigio perculsus Saracenus Princeps eum pristinæ dignitati restituere voluit, quod Sanctus Damascenus recusavit, & ab eo, ægre licet, facultatem obtinuit secedendi in Monasterium. Hæc constant ex Vita ejusdem Sancti Damasceni, scripta a *Joanne* Patriarcha Hierosolymitano, quam græce & latine exhibet doctissimus noster *Michael Lequien* in fronte primi tomi recentis Editionis, quam adornavit Operum S. Damasceni. Sed de Constantia S. *Joannis* Damasceni in vindicando Sanctarum Imaginum cultu, & de Operibus ab eo lucubratis opportunior disserendi sese dabit occasio in Colloquio quinto, ubi de Viris illustribus, qui sæculis Ecclesiæ septimo, & octavo floruerunt sermonem instituemus.

D. Resipuitne tandem *Leo* Imperator ab impietate sua?

M. Leoni Isauro Imperatori Sanctarum Imaginum eversori frustra obstitit S. *Germanus* Constantinopolitanus, nec furentem hominem Gregorii Secundi, tertiive admonitio, dirarumque imprecatio a proposito revocare unquam potuerunt. In sua ergo impietate mortuus est *Leo* Imperator, ac filium reliquit *Constantinum*, dictum *Copronymum*, qui paternæ impietatis non minus quam Imperii hæres coegit anno DCCLIV. trecentorum triginta, & octo suæ farinæ Episcoporum Conciliabulum, in quo Imaginum cultum damnari curavit, persecutionem gravem in Catholicos excitavit, & maxime in Monachos, quos *Idolorum cultores* per contemptum appellitabat, Monasteria omnia militibus Iconomachis tradidit, Ordinem Monasticum penitus extinguere sategit, Præfectos Iconomachos selegit Catholicis infensissimos, Sanctas Imagines disjecit, abolevitque, promiscue in omnes viros sanctos ac Deo dicatos crudelissime sæviit eo solo nomine, quod Iconoclastarum Hæresim detestarentur. Verum, hic scelestus Imperator, verbo Christianus, sed re Judæus, Manichæus, & Nestorianus divinam ultionem in morte expertus fœtidam animam expuit, eique successit *Leo* hujus nominis IV. ejus filius, qui paulo minus in sacras Imagines debacchatus est, & a Catholicorum persecutione aliquamdiu abstinuit; Hæresis tamen nihilominus dominata est, nec Imagines in templis restitui permisit, immo, postquam in pulvinari *Irenes* Imperatricis uxoris suæ duas Imagines repetisset, furorem suum prodidit adversus Imaginum Cultores, quorum multos e medio sustulit. At Leone IV. Imperatore demortuo, cum summa rerum esset penes *Irenem* ejusque filium *Constantinum*, cumque Sedem Constantinopolitanam occuparet Patriarcha *Tarasius*, vir pietate non minus quam eruditione conspicuus, habita est Synodus septima Generalis, quæ Constantinopoli primum incepta, dein Nicææ celebrata fuit anno DCCLXXXVII. in qua Synodo proscripta est Iconoclastarum Hæresis, & decretum fuit, sacras Imagines esse colendas, atque anathemate perculsi sunt ii omnes, qui sacras Imagines frangerent. De hac Synodo Generali, uti & de aliis Conciliis, quæ tum Romæ, tum in Galliis octavo Ecclesiæ sæculo pro cultu Sanctarum Imaginum habita sunt, fuse disseremus in sequenti Colloquio. Hic tantum duo breviter observare sufficiat, primo, hanc Iconocla-

noclastarum Hæresim, quæ in septima Synodo generali, quæ dicitur *Nicæna secunda*, fuit confixa, nono Ecclesiæ sæculo instar hydræ, suis redivivam cladibus sub Imperatoribus *Leone Armeno*, *Michaele Balbo*, & *Theophilo* graves iterum turbas, & persecutiones in Catholicos excitasse, sicut data opera commonstrabimus in nostris Colloquiis in Historiam noni Ecclesiæ sæculi. Præterea observare debes, eamdem Iconomachorum impietatem secutis etiam temporibus revixisse, puta in *Joanne Wiclefo*, qui in Concilio Constantiensi sess. XV. fuit damnatus; ac postmodum, sæculo decimo sexto in *Luthero, & Calvino*, eorumque sequacibus, quos inter famosus fuit unus e Calvinianæ sectæ Pseudo-Ministris, *Dallæus* videlicet, qui librum natalitiis tenebris damnandum edidit, quem solide confutavit noster *Natalis Alexander* sæculo Histor. Eccles. octavo, Dissertatione sexta, ubi usum, cultumque Imaginum Christi ac Sanctorum non solum cum lege Dei non pugnare, sed Religioni consentaneum esse, & fidelium excitandæ pietati perutilem omni argumentorum genere demonstrat.

D. Fuitne perantiquus in Ecclesia Sanctarum Imaginum usus?

M. Observat doctissimus *Petavius* lib. XV. Theologicorum Dogmatum de Incarnatione, capite decimo tertio, Imagines ex eorum per se genere esse, quæ juris positivi, vel disciplinæ dicuntur. Hinc est, quod primis ab ortu Christianæ Religionis temporibus, cum adhuc in eam gentilis grassaretur furor, & in hominum mentibus hæreret Idolorum superstitio, non tam frequens esset Sanctarum Imaginum usus. Ex quo nata est illa Gentilium Christianis facta exprobratio, quæ apud *Minucium Felicem* his verbis exprimitur: *Cur nullas aras habent* (Christiani), *templa nulla, nulla nota simulachra?* idem Christianis crimini vertebat *Celsus* Ethnicus apud Origenem lib. 8. *Post hæc*, inquit Origenes, *Celsus ait, nos Ararum, Statuarum, Templorumque dedicationes fugere*. Idem testatur *Arnobius* libro sexto contra Gentiles. Quod certe Christianis Ethnici objicere haud potuissent, si in tribus prioribus Ecclesiæ sæculis frequens fuisset apud Christianos Imaginum usus (a). Errant tamen Hæretici, dum infrunito ore asserunt, nullum penitus in tribus prioribus Ecclesiæ sæculis fuisse Imaginum usum. *Theodorus* siquidem Lector lib. 1. Hist. memorat, *Eudociam* ab Urbe Hierosolymitana misisse ad *Pulcheriam* Imaginem Matris Christi Domini, quam S. Lucas Evangelista depinxisse ferebatur. *Eusebius* etiam Cæsariensis de statua Christi per Syrophænissam, ut fama erat, confecta, agens cap. 18. lib. 7. Hist. Eccl. ait, non mirum esse, si Gentiles a Salvatore nostro beneficiis affecti hæc præstiterint, *cum Petri, & Pauli, Christique ipsius pictas Imagines ad nostram usque memoriam servatas in tabulis viderimus*. Fuit igitur aliquis in tribus prioribus Ecclesiæ sæculis Imaginum usus, quamvis non ita frequens, quia id ætatis, vigente adhuc multis in locis Idololatria, consultius visum est Ecclesiarum Pastoribus ab Imaginum usu temperare, quam, eo admisso, occasionem dare colendi imagines cum Gentilium scandalo, & offensione. At in quarto Ecclesiæ sæculo, cum jam nullum subesset Idololatriæ periculum, frequentior fuit Imaginum usus, etsi alibi citius, alibi tardius introductus fuerit, prout Nationum captus, & indoles erat, & qui illis præerant, expedire judicabant. Sequentibus deinde sæculis, postquam plena adepta libertate lacertos quodammodo suos explicare cœpit Ecclesia, in omnibus locis ad magis fidelium promovendam pietatem Imagines palam haberi cœptæ, atque in Templis, & Oratoriis propositæ sunt, quæ tamen antehac in omnibus Ecclesiis promiscue, & frequenter non adhibebantur, sed tantum in quibusdam Ecclesiis jam usu essent receptæ atque approbatæ.

„ (a) Usum aliquem extitisse Imaginum prioribus Ecclesiæ Seculis ex eo etiam deduxerim, quod Elberitanum Concilium, Seculo ineunte IV. celebratum edito canone vetuerit, ne Sacræ Imagines in Ecclesiis depingerentur. Hujus enim sanctionis causam utique dedisse oportet inductus ab aliquibus mos eas pictis coloribus in sacris templis exprimendi, & quidem ad cultum, alioqui non in Ecclesiis tantummodo, sed & alibi ubicumque id a Concilio interdictum fuisset, cum alibi profecto pingi illas consuevisse eruant Eruditi ex illo Tertulliani: *Pastor, quem in Calice depingitis*, & ex Eusebio testante, Imagines SS. Petri & Pauli antiquitus expressas sua adhuc ætate, seculo scilicet IV. nondum adulto, servatas sese vidisse. Id quidem ne fiat cavent Patres Elberitani, sed disciplinæ tantum causa; neque enim sive anathemate percellunt sanctioni huic refragrantes, neque ullibi legimus hæreseos nota damnatum quemquam qui Imagines per ea tempora sive coluerit, sive huic conciliari mandato parere recusaverit.

D. Usus Statuarum, seu Figurarum extantium, qui nunc toto Orbe Christiano percrebuit, fuitne in omnibus Ecclesiis æque antiquus, ac usus picturarum?

M. Non fuit in Ecclesia perinde antiquus usus Statuarum, ac Picturarum. Septima quippe Synodus generalis, seu Nicæna secunda, in ea, quam condidit, fidei confessione, meminit tantum picturarum, admittit dumtaxat in Religionis usum solas coloribus depictas tabulas, non vero Statuas, seu Figuras extantes. Crediderim ipse, ideo tardius Statuas a Christianis fuisse usurpatas, quod de Statuis, seu Figuris extantibus intelligi potissimum debeat ea Dei lex, qua vetitum fuit omne sculptile, & quod etiam ea, quæ super Imaginum usu scripserunt antiqui Patres in concertationibus cum Ethnicis, cadant præsertim in Statuas. Sed post septimam Synodum generalem sensim sine sensu venerationi fidelium expositæ sunt Statuæ, maxime cum nullum amplius suboriri posset Idololatriæ periculum, & fideles de cultu, quem Imaginibus, & Statuis exhibere debebant, satis superque a Pastoribus essent edocti.

D. Estne licitum depingere Deum, & Angelos, qui puri sunt spiritus?

M. Multi antiqui Patres usum Imaginum Dei expedire negarunt. Hinc S. Augustinus lib. *de fide & symbolo* cap. 7. ait, *nefas esse Christiano simulacrum Deo collocare in templo*. Alii tamen Sancti Patres, & omnes modo Theologi existimant, Deum depingi posse, quia jam frequens, & ab antiquissimo tempore receptissimus in Ecclesia ubique viget usus pingendi tres Sanctissimæ Trinitatis personas, *Patrem* videlicet sub effigie senis; *Filium* sub specie hominis, cuius naturam in Incarnatione assumpsit; & *Spiritum Sanctum* sub figura Columbæ, in qua, dum baptizaretur Christus Dominus, sese oculis hominum objecit. Quam consuetudinem Sanctissimæ Triadis depingendi personas consecravit Concilium Tridentinum sess. 25. cum in suo decreto supponat, Deum depingi solere. Quantum attinet ad Angelos, dubium non est, quin possint depingi, non quod sint corporei, ut perperam visum est quibusdam vetustis Scriptoribus, sed quia sese sub figura humana, teste Scriptura Sacra, identidem conspiciendos exhibuerunt. Ita definitum est in septima Synodo generali, immo, testatur S. Gregorius Nazianzenus Oratione vicesima tertia, jam usitatum fuisse quarto Ecclesiæ sæculo morem pingendi Angelos cum forma corporea sub candidis vestibus.

D. Legebam nuperrime in quodam libro gallice edito, nonnullas Ecclesias, præsertim Gallicanam, diu multumque restitisse definitioni de cultu Sanctarum Imaginum factæ in septima Synodo generali. Id an verum sit, & quo pacto acciderit, rogo te, ut paucis exponere non graveris?

M. Cultum aliquem, seu venerationem Sanctis Imaginibus exhiberi posse nunquam negarunt Galliarum Præsules, sed tantum admittere renuerunt disciplinam, seu modum illius Imaginum cultus, quem sanxerat septima Synodus generalis, seu Nicæna secunda, tot signis exterioribus insignitum, pura deosculationibus, thymiamatibus, incensis, luminaribus coram accensis, adgeniculationibus, capitis inflexionibus, &c. Hæc enim Imaginum cultus disciplina, seu iste Imagines colendi modus Gallis insuetatus plane, & inauditus erat, solique Deo ritus hi externi honorarii apud eos tum temporis impendi solebant. Cum igitur Galliarum Antistites pertimescerent, ne cultus interior Deo exhibitus promiscue cum cultu interiori Imaginibus delato confunderetur, & ne hæc Imaginibus exhibita honorificentiora signa imperitis saltem & rudibus errandi darent occasionem, huic modo colendi Imagines reclamarunt. At in ejusmodi altercatione quæstio minime versabatur de ipso Imaginum cultu, sed tantum de modo Imaginibus deferendi cultum, qui ad meram disciplinam pertinet. Quocirca, quantum ad ipsum fidei dogma de cultu Imaginum, Episcopi Gallicani cum Græcis non pugnabant, sed dumtaxat cultum superstitiosum & in disciplina solum, seu in modo colendi Imagines a Græcis dissentiebant. Verum, ut ut sit de hac altercatione, quam occasione cultus Imaginum octavo & nono Ecclesiæ sæculis Galliarum Episcopi cum Græcis habuerunt, de qua in sequenti Colloquio plura, auxiliante Deo, dicemus, certissimum est, finem huic controversiæ tandem impositum fuisse, totumque Orbem Christianum definitioni septimæ Synodi generalis subscripsisse, & diu quidem antequam impiam illam & laudabilem de cultu Imaginum praxim insurgerent redivivi Iconomachi, Calvinistæ scilicet & Lutherani, quorum impietatem merito confixit Synodus Tridentina sessione vigesima quinta his verbis: *Imagines porro Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in Templis præsertim habendas & retinendas, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam: non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus propter quam sint colendæ, vel quod ab iis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in Imaginibus sit figenda, velut olim fiebat a gentibus, quæ in Idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa quæ illæ repræsentant, ita ut per Imagines, quas osculamus, & coram quibus caput aperimus, procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur: id quod Conciliorum, præsertim vero secundæ Nicænæ decretis contra Imaginum oppugnatores est sancitum. Illud vero diligenter doceant Episcopi, per Historias Mysteriorum nostræ Redemptionis, picturis, vel aliis similitudinibus expressas erudiri & confirmari populum in articulis fidei commemorandis & assidue recolendis; cum vero ex omnibus sacris Imaginibus magnum fructum percipi, non solum quia admonetur populus beneficiorum & munerum, quæ a Christo sibi collata sunt, sed etiam quia Dei per Sanctos miracula & salutaria exempla, oculis fidelium subjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem vitam, moresque suos componant, excitentque ad adorandum & ad diligendum Deum & pietatem colendam. Si quis autem his decretis contraria docuerit, Anathema sit. In has autem sanctas & salutares observationes si qui abusus irrepserint, eos prorsus aboleri Sancta Synodus vehementer cupit, ita ut nullæ falsi dogmatis imagines & rudibus periculosi erroris occasionem præbentes, statuantur.* Hoc, longiusculum licet, Sacrosanctæ Synodi Tridentinæ Decretum hic consulto descripsi, quia in eo tota continetur Ecclesiæ super Sanctarum Imaginum cultu, doctrina, & omnes damnantur abusus, qui in eum quoquo modo irrepere possunt (*a*).

„ (*a*) Quæ fuerit Ecclesiæ Gallicanæ mens in cul-
„ tu sacrarum imaginum non ex alio melius,
„ quam ex Auctore librorum Carolinorum eruere
„ licet. Ille igitur lib. 3. Cap. 14. versandum
„ sibi proponens argumentum a Græcis allatum,
„ licere scilicet imaginibus principum idem obse-
„ quium præstare, quod ipsis principibus coram
„ impenditur. Huic ergo reponit author *incaute*
„ id equidem imaginibus principum exhiberi,
„ *quamquam divinus in ea re non deprehendatur*
„ *cultus........illis enim obsequiis illatis non ap-*
„ *paret eos tunc regum imagines adorare censuisse*.
„ Ex his verbis elucet rem hic esse de disciplina,
„ non vero de dogmate. Abstinendum ab eo cultu

„ edi-

„ edicunt, metu ne forte discrimen aliquod rudi„ bus paretur. Licere illud quidem agno„ scunt, sed impendendum negant, ne *indoctis* „ *quibusque scandalum generetur, qui nihil aliud* „ *in his præter id quod vident venerantur & ado-* „ *rant*; quæ verba sunt ejusdem authoris cap. 16. „ Demum capite supremo ejusdem operis ultro „ admittitur adoratio religiosa erga imaginem „ crucis Christi, eo quod is cultus ab Ecclesia „ sancitus est; de imaginibus vero ait Scriptor: „ *Quid tale huic simile ab Ecclesia Catholica san-* „ *citum est*? Nonne cernis hic cultum ipsum er„ ga Imagines mandari ab Ecclesia posse, sicut „ reipsa erga Crucem sancitum fatentur? Mandet „ Ecclesia, & salva res est.

D. De Iconoclastarum hæresi multa paucis complexus es, ac lubentissime subscribo Concilii Tridentini Decreto, quod ad stabiliendum Sanctarum Imaginum cultum, & ad præcavendos quoscumque abusus, qui vel ex plebis ignorantia, vel ex Pastorum incuria in eum irrepere possunt, sapientissime conditum est. Veniamus nunc ad alteram hæresim, quam octavo Ecclesiæ sæculo a *Felice* Urgellitano Episcopo, & ab *Elipando* Toletano Antistite procusam fuisse, me antea præmonuisti.

M. Circa annum DCCLXXX. *Elipandus*, qui Toletanæ Ecclesiæ in Hispania præerat, *Felicem* Episcopum *Urgellæ*, quæ Civitas est in Pyrenæi Montis jugo sita, præceptorem quemdam suum consuluit, quo pacto Christum agnosceret Dei filium, naturalem an adoptivum? respondit *Felix*, Christum secundum naturam assumptam filium Dei esse non naturalem, sed adoptivum, hoc est, Christum, qua parte homo est, filium Dei esse adoptione, non natura. Unde, licet unam personam in Christo confiteretur *Felix*, per consequentiam tamen quamdam credebat in Hæresim Nestorii, duas in Christo personas constituentis. Natura siquidem, & adoptione unius Patris filius unus esse non potest, nisi gemina persona admittatur, quod erat Nestorii delirium. Hic fuit palmaris error, quem docuit *Felix*, editisque libris acriter propugnavit, ut refert *Jonas* Aurelianensis Episcopus, idemque testantur *Etherius*, & *Beatus* lib. I. adversus Elipandum. Hoc *Felicis* responsum ubi accepisset *Elipandus*, istud pestiferum dogma per Asturias, & Gallæciam disseminavit, *Felix* vero Septimaniam eodem errore infecit, sed Gallis, ac Germanis eum afflare frustra conatus est, Carolo Magno Imperatore Antistites, & Viros Galliarum eruditos ad novam hæresim oppugnandam excitante, atque auctoritate sua Hæreticos comprimente, ut scribit jam citatus *Jonas* Aurelianensis initio lib. I. *de cultu Imaginum* contra Claudium Taurinensem. Id ubi rescivit *Hadrianus* hujus nominis primus Summus Pontifex, ad universos Hispaniarum Episcopos scripsit Epistolam, quæ est nonagesima septima Codicis Carolini, qua eos monet, ut Elipandi Nestorianam in Christum Dominum blasphemiam, convocato Episcoporum cœtu, quamprimum coercerent. Non destitit tamen Elipandus errorem, quem a *Felice* acceperat, publicare, multosque in suas partes adducere, inter quos fuerunt *Ascarius* Bracarensis Episcopus, & *Fidelis* Abbas, cui primo Elipandus suæ sectæ arcana revelavit, scripta ad eum Epistola anno Christi DCCLXXXV. ut docet *Beatus* Abbas initio libri primi adversus *Elipandum*. Accessere etiam ad eamdem sectam Cordubenses nonnulli, ut liquet ex Elipando in Epistola ad *Felicem* nuper conversum, & ex Alcuino. In gliscentem hanc hæresim stylum acuerunt mox citati *Etherius* Uxamensis Episcopus, *Beatus* Abbas, nec non *Paulinus* Aquilejensis, sed in primis *Alcuinus*, qui contra *Felicem* Urgellitanum septem edidit libros, & quatuor alios composuit adversus *Elipandum* Toletanum. *Felix* Urgellitanus damnatus est Narbonæ primum anno DCCLXXXVIII. Dein Ratisponæ anno DCCXCII. tum Francofurti ad Mænum anno DCCXCIV. mox sub *Hadriano* Summo Pontifice Romæ, ibidemque sub *Leone III.* anno DCCXCIX. ad hæc, eodem anno in Synodo Urgellitana, ac demum eodem itidem anno in Synodo Aquisgranensi confutatus convictusque est ab Alcuino. Post obitum tamen *Felicis*, qui in Synodo Aquisgranensi palinodiam decantasse, & ad saniorem mentem rediisse visus fuerat, & quem Lugduni in Galliis ex hac vita migrasse ex fama refert *Ado* in Chronico; invenit *Agobardus* Lugdunensis Archiepiscopus quemdam illius *Felicis* Dialogum, eoque perlecto, animadvertit *hominem diligenter, fraudulenter instaurasse, quantum in se fuit, omnem pravitatem dogmatis sui, in quo dudum fuerat detectus, & propter quem ab honore Episcopatus depositus*. Agobardi hoc de libello censuram *quidam ex fratribus indigne tulerunt*, arbitrati, eam non procedere ex *zelo fidei, sed invidentiæ*. Hinc est, quod tum judicii sui æquitate, tum fidei integritate ac religione impulsus, hanc *Felicis* Urgellitani *Schedulam* ut vocat, seu *Dialogum*, impugnare aggressus est *Agobardus* in gratiam simplicium, rudiumque Christianorum, *qui incaute admirantes vitam prædicti Felicis, probanda cuncta putabant, quæ dixisset; nescientes, quia non ex vita hominis metienda est fides, sed ex fide probanda est vita*. Opusculum hac de re suum *Agobardus* nuncupavit *Ludovico* Imperatori, & extat in Bibliothecis Patrum. Propter hanc fidei *Schedulam*, seu *Dialogum*, quem post obitum suum *Felix* Urgellitanus Episcopus reliquit, dubium est, an Hæresim revera, & sincero animo ejuraverit? Eum in errore suo mortuum fuisse ex fama refert *Ado* in Chronico, ubi ita scribit: *anno Incarnationis Domini DCCXCII. Felix Urgellitanus Episcopus hæreticus deprehensus, adoptivum, non proprium Filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum dogmatizans, qui ad præsentiam Adriani Pontificis Romani deductus hæresim verbis solummodo abdicavit. Synodus iterum facta contra supradictam hæresim in Francofurt, Legatis Sedis Apostolicæ præsidentibus Theophilacto, & Stephano Episcopis auctoritate Sanctorum Patrum convictus, & damnatus est iterum Felix cum errore suo, perpetuoque exilio apud Lugdunum relegatus est, quem*

jeruus

ferunt in eodem ipso suo errore mortuum. Meliorem sortem nactus est *Elipandus* Toletanus Episcopus, ille siquidem, quamvis diu veritati restiterit, & errori suo mordicus adhæserit, tandem Alcuino, eum, ut ad gremium Ecclesiæ Catholicæ rediret, sedulo adhortanti cessit, & pie mortuus est, ut testatur *Tamagus* in Toletanorum Archiepiscoporum Catalogo.

D. Esterne modo hæreticus ille, qui, unicam in Christo Domino personam admittendo, diceret, eum esse filium Dei adoptivum, supponendo adoptionem cadere non in personam, sed duntaxat in naturam humanam assumptam, ratione cujus Christo competat adoptio?

M. Nonnulli e Schola Theologi post *Durandum* lib. 3. sent. dist. 4. quæst. 1. docent, Christum ratione naturæ humanæ dici posse filium adoptivum. Verum, hæc sententia, pace illorum Theologorum dixerim, hæresi *Felicis*, & *Elipandi* haud parum patrocinare videtur, quia nempe nemini privato Theologo licitum est pro nutu & arbitrio novas vocibus significationes affingere, aliter nihil certum esset, nihil fixum in definitionibus Ecclesiæ, & aliunde in apertum discrimen vocaretur fides Catholica, cum ex una parte certa omnibus tum Juris consultis, tum Theologis & fixa notio sit adoptionis, quæ sit assumptio personæ extraneæ; ex altera vero parte imminenti cum periculo fidei affirmaretur, Christum, ut hominem, esse filium Dei adoptivum, ex quo palam sequeretur, non modo duos esse in Christo filios, sed & duas personas, reclamantibus ex adverso Scripturis, Sanctis Patribus, & Conciliorum decretis. Quocirca, cum juxta nativam hujus vocis *adoptionis* significationem, non in naturam, sed in personam cadat adoptio, duplicem personam in Christo admittere jure præsumeretur ille, qui eum diceret filium Dei adoptivum, tametsi profiteretur se id intelligere ratione naturæ humanæ, non ratione personæ. Præterquamquod falso supponunt hi Theologi, naturam humanam Christi esse Verbo divino extraneam, ac subinde Christo adoptionem ratione naturæ humanæ competere posse. Falso, inquam, id supponunt hi Theologi, natura siquidem humana in Christo respectu Verbi divini post factam semel unionem hypostaticam, quæ naturalis est, & substantiva, non potest dicit extranea, sed potius propria Verbo divino, ut pote quam, ut suam & propriam possideat Verbum, idque consentanee ad mentem SS. Patrum, qui adversus *Nestorium* dimicantes, ut ostenderent carnem, seu humanitatem non esse Verbo extraneam, & alienam, sed propriam, totis viribus allaborarunt. Apage ergo sententiam *Durandi*, & aliorum ei adstipulantium Theologorum, qui asserunt, Christum ratione naturæ humanæ esse filium adoptivum.

D. Suppetitne tibi aliquid aliud dicendum de Hæresibus, quæ octavo sæculo Ecclesiam exagitarunt?

M. Ne quid intactum relinquam, breviter hic attexam errores *Adalberti* natione Galli, & *Clementis* genere Scoti, qui anno circiter septingentesimo quadragesimo quarto turbas excitare, plebem Christianam eminentiæ sanctimoniæ larva seducere, & S. Bonifacio Germaniæ Apostolo negotium facessere cœperunt. Horum hypocrisim, fanatismum, & deliria graphice describit idem S. *Bonifacius* in Epistola, quam scripsit ad *Zachariam* Summum Pontificem, quæ inter Bonifacianas est centesima tricesima quinta. *Adalbertus* fuit damnatus in Synodo Suessionensi habita anno DCCXLIV. Rursum, idem *Adalbertus*, & *Clemens* confixi sunt in Concilio secundo Germanico in Majoratu *Carolomanni* incerto loco celebrato anno DCCXLV. ut scribit *Othlonus* in Vita S. Bonifacii lib. 1. cap. 37. Postremo, ubi accepisset *Zacharias* Papa ea, quæ in Concilio Germanico contra duos illos Hæreticos peracta fuerant, Synodum Romæ convocavit eodem anno DCCXLV. in quo in *Adalbertum*, & *Clementem* hanc tulit sententiam: *Adalbertus, cujus nobis Actus & nefaria commenta relecta sunt, quia se Apostolum censuit nominare, & capillos atque ungulas suas populis pro sanctuario exhibuit, seducens populum diversis erroribus; & quoniam, sub obtentu Angelorum, in suo auxilio Dæmones invocavit, ab omni officio Sacerdotali deponatur, agens pœnitentiam pro commissis, & amplius populum minime seducat. Sin autem in his erroribus perseveraverit, & populum amplius seduxerit, sit ei Anathema, & æterno Dei judicio condemnetur, omnisque, qui ei consenserit, vel ejus secutus fuerit doctrinam, aut adjunctus illi fuerit. Similiter autem & Clemens, qui per suam stultitiam Sanctorum Patrum scripta respuit, vel omnia Synodalia Acta parvi pendit, inferens etiam Christianis Judaismum, dum prædicat fratris defuncti uxorem posse in matrimonio jungi, insuper & Dominum nostrum Jesum Christum descendentem ad Inferos, pios & impios simul inde abstraxisse; ab omni etiam Sacerdotali officio deponatur & Anathematis vinculo obligetur, atque, nisi resipuerit, æterno Dei judicio condemnetur, vel etiam omnes, qui ejus sacrilegis consentiunt prædicationibus*. Ex hac sententia, quam *Zacharias* Papa in *Adalbertum*, & *Clementem* in Synodo Romana tulit, patescunt errores, quibus duo illi Hæretici impliciti fuerunt, quosque rudi & imperitæ plebi instillare tentarunt. Sed de Hæresibus, quæ sæculis Ecclesiæ septimo & octavo prodierunt, hic plura non addam, acturus in proximo Colloquio de Conciliis, in quibus vel ejusmodi hæreses protritæ fuerunt, vel sancita est disciplina Ecclesiæ. Hoc erit igitur proximi nostri Colloquii argumentum, quod ad notitiam Historiæ Ecclesiasticæ omnino necessarium est.

COL-

COLLOQUIUM IV.

De Conciliis cum Generalibus, tum Nationalibus, quæ sæculis septimo, & octavo sive ad proterendas Hæreses, sive ad sanciendam Ecclesiæ Disciplinam variis in locis fuerunt celebrata.

D. Cum inter Concilia, quæ sæculis Ecclesiæ septimo & octavo indicta fuerunt, alia sint Generalia, alia Nationalia; quædam ad extirpandas Hæreses, quædam vero ad collapsam Ecclesiæ disciplinam instaurandam convocata; præstat, ut incipiamus ab illis Conciliis, in quibus confixæ sunt Hæreses, & deinde progrediamur ad Concilia, in quibus sancita est Ecclesiæ disciplina. Cedo itaque in primis Concilia, in quibus damnata est Monothelitarum Hæresis quæ septimo Ecclesiæ sæculo multorum pervasit animos.

M. Sub *Joanne IV.* Romano Pontifice an. DCXL. habitum est Romæ Concilium, in quo damnata est Monothelitarum Hæresis, & proscripta itidem *Ectesis* Imperatoris *Heraclii*, sicut refert *Theophanes*, qui etiam testatur, in Africa in Provinciis Bizacena, Numidia, & Mauritania diversos pariter convenisse Episcopos, qui alias Synodos celebrarunt, & Monothelitarum Hæresim confixerunt. Alterum Concilium anno DCXLVIII. Romæ convocavit *Theodorus* contra *Paulum*, & Pyrrhum Episcopos Monothelitas, qui anathemate percussi sunt, & in eos latæ sententiæ subscripsit *Theodorus* Papa calamo Christi Sanguine in Calice tincto, ut asserit *Theophanes*. Tertium Concilium, quod dicitur *Lateranense*, Romæ anno DCXLIX. die quinta mensis Octobris coegit *Sanctus Martinus* hujus nominis Primus Romanus Pontifex, ut *Typum* Imperatoris *Constantis* & Monothelitarum Hæresim damnaret. Hoc Lateranense Concilium absolutum fuit in Pervigilio Festi omnium Sanctorum, eique interfuerunt centum & quinque Episcopi, inter quos erant *Maximus* Episcopus Aquilejensis, & *Deusdedit* Antistes Calaritanus. Constat hæc Synodus Lateranensis quinque Secretariis, seu Consultationibus totidem diebus confectis, conditurque viginti quinque Canones, in quibus damnatur Monothelitarum Hæresis, ejusque Auctores, ac Sectatores, anathemate configuntur, necnon *Ectesis* Heraclii Imperatoris, & *Typus* Constantis Imperatoris proscribuntur. Prudenti tamen OEconomia erga *Constantem* Imperatorem, qui *Typum* promulgaverat, se gessit *Sanctus Martinus* Papa. *Typum* namque sub *Constantis* Imperatoris nomine damnare noluit, nec anathemate eum ferire, ne inde Schisma fieret in Ecclesia, cujus paci & unitati consulere, in votis habebat Sanctissimus ille Pontifex. Tanta autem fuit hujusce Concilii Lateranensis sub Sancto Martino I. congregati auctoritas, ut post quinque Synodos Generales in professionibus fidei a Pontificibus Romanis fieri solitis, memoraretur, ut videre est in libro *Diurno Romanorum Pontificum* cap. 2. tit. 9. Decreta istius Synodi Lateranensis *S. Martinus* I. publicavit per Epistolam Encyclicam ad omnes Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Abbates, Monachos, & ad universos fideles directam. Hæc Monothelitarum Hæresis damnatio, & anathema *Typo* Constantis in Synodo Lateranensi dictum, iram hujus Imperatoris in Sanctum Pontificem *Martinum I.* vehementer accendit. Id enim ubi rescivisset *Constans* Hæreticus Imperator, furore percitus, ipsum a Constantiniana Basilica vi abductum in exilium ablegavit anno DCLIII. non vero, ut ait *Baronius*, anno DCL. Eo in exilio rerum omnium penuria, morbis, inedia & ærumnis confectus ad Deum migravit Sanctissimus Pontifex, sicut latius exposuimus in Colloquio secundo in Historiam septimi Ecclesiæ sæculi. Verum, mortuo Imperatore *Constante*, filius ejus *Constantinus* dictus *Pogonatus*, optimus, & religiosissimus Princeps ad Solium Imperiale provectus est, qui, secundum Deum, nihil antiquius habens, quam ut pacem Ecclesiæ procuraret, litteras ad *Donum* Romanum Pontificem direxit, eumque invitavit, ut convocaret Concilium generale, cui ipse, vel ab eo missi legati præessent. Ast, exempto e rebus humanis *Dono* Pontifice Maximo, ad manus Agathonis ejus successoris litteræ *Constantini* Imperatoris devenerunt, qui in tanto Ecclesiæ discrimine tam justæ petitioni lubentissime concessit, jussitque, ut ante celebrationem Concilii generalis, variis in Regionibus Synodi celebrarentur, in quibus Monothelitarum Hæresis profligata est, videlicet in Synodo Mediolanensi habita anno DCLXXIX. in Synodo Anglicana eodem anno indicta, Præside *Theodoro* Dorovernensi Episcopo, & in Synodo Romana ab *Agathone* Summo Pontifice convocata, ut constat ex ejusdem Agathonis Papæ litteris ad *Constantinum Pogonatum* Imperatorem datis. His Synodis postrata quidem est Monothelitarum Hæresis, quæ tandem ultimo ictu confixa est a Synodo sexta OEcumenica, quæ est tertia Constantinopolitana, cujus Historiam hic perstringere necesse est.

D. Quandonam cœpta est Synodus ista Generalis, quot ei adfuerunt Episcopi, & qui illius Præsides?

M. Synodus sexta Generalis, quæ est Constantinopolitana tertia, cœpit Constantinopoli die VII. mensis Novembris anni sexcentesimi octogesimi in *Trullo*, ut legitur in prima Actione. Quid autem sit *Trullus*, late explicat *Du-Cangius* in Constantinopoli Christiana lib. 3, parag. 32. & sequenti. Breviter hic observasse sufficiat, *Trullum* nihil aliud esse, quam Imperialis Palatii Secretarium in altum porrectum & superne fornicatum, idest rotundum & concameratum. In eo itaque ædificio, quod Anastasius Bibliothecarius in Vita *Agathonis* Papæ *Basilicam*, & in Vita *Leonis II. Palatium* appellat, celebrata est Constantinopoli sexta Synodus generalis. De numero Episcoporum, qui huic sanctæ Synodo interfuerunt, non satis inter Scriptores convenit. Alii quippe cum

Theo-

Theophane & *Cedreno* numerant, ducentos octogintanovem Episcopos. Alii centum sexaginta sex, a quo numero non longe recedit *Photius*, qui in libello *de Synodis* recenset centum & septuaginta Episcopos. In tanta porro opinionum discrepantia nihil certi de numero Episcoporum, qui sextæ Synodo generali interfuerunt, affirmare possumus. Hoc unum extra omnem dubitationis aleam esse debet, scilicet *Agathonem* Romanum Pontificem huic sextæ Synodo generali præfuisse per suos Legatos *Theodorum*, & *Georgium* Presbyteros, & *Joannem* Diaconum; deinde, omnes Episcopos, qui aderant, maxima veneratione prosecutos fuisse Agathonem, ut Vicarium Christi, Caput & Doctorem totius Ecclesiæ, eosque, secundum ejus Epistolas ad Concilium directas, de dogmate fidei sententiam tulisse, ut liquido constat ex Actis istius Synodi, ex Patrum Sermone acclamatorio ad Imperatorem, & ex litteris Synodicis, quas Episcopi ad Agathonem Papam scripserunt. Huic sextæ Synodo generali interfuit etiam Imperator *Constantinus Pogonatus*, & honorificentiori loco sedit tanquam Ecclesiæ & Concilii defensor, non tanquam Judex Controversiarum fidei, quarum examen, aut Judicium ad laicalem quamcumque potestatem nullatenus pertinere potest. Ea de causa *Constantinus* piissimus Imperator post omnes dumtaxat Episcopos subscripsit his verbis: *Constantinus in Christo Deo, Rex ac Imperator Romanorum, legimus & consensimus*. At Legati Agathonis Papæ omnium primi subscripserunt; cæteri autem Episcopi hanc Formulam in suis subscriptionibus usurparunt: *N. Episcopus....... definiens subscripsi*. Ex quo facile colligitur, *Constantinum* Imperatorem huic sextæ Synodo interfuisse, aut subscripsisse, non ut Judicem Controversiarum fidei, sed tanquam Concilii & Ecclesiæ defensorem.

D. Quid præcipue actum est in sexta Synodo generali?

M. Octodecim Actiones, seu Sessiones habitæ sunt in sexta Synodo generali. Quinque priores Actiones habitæ sunt eodem anno, quo convocata est hæc Synodus, nimirum anno sexcentesimo octogesimo; tredecim vero aliæ anno sequenti, seu sexcentesimo octogesimo primo fuerunt celebratæ. In quinque prioribus Actionibus perlecta sunt Acta Conciliorum generalium Ephesini, Chalcedonensis, & secundi Concilii Constantinopolitani, quod est quintum generale. Lecta est etiam Epistola Agathonis Papæ, necnon Epistola Concilii Romæ contra Monothelitas celebrati, quibus omnibus manifesto contra *Macarium* Patriarcham Antiochenum insignem Monothelitam probatum est, non posse citra apertam Hæresim negari, duas in Christo esse voluntates & operationes. In sexta Actione, quæ habita est die XII. mensis Februarii anni DCLXXXI. data est Hæreticis facultas loca Sanctorum Patrum de unica Christi Domini voluntate, & operatione in medium adducendi. Sed ea Sanctorum Patrum testimonia, quæ protulerunt Hæretici, truncata, & adulterata reperta sunt. In sexta Actione die XIII. Februarii ejusdem anni habita, Legati Summi Pontificis laudarunt Sanctorum Patrum testimonia, quæ disertè ostendunt duas in Christo esse voluntates, & operationes. In reliquis undecim Actionibus non tantum Monothelitarum error damnatus est, verum etiam personæ, ac inter mortuos *Theodorus* Pharanitanus, *Cyrus* Alexandrinus Patriarcha, *Sergius*, *Pyrhus*, *Paulus*, & *Petrus* Patriarchæ Constantinopolitani, Monothelitæ omnes. His additur *Honorius* hujus nominis Primus Pontifex Romanus, qui tamen propter Monothelitarum Hæresim non fuit damnatus, sed quod eam exorientem statim non compressisset, eique suo silentio plus æquo favisset, sicut in superiori Colloquio ostendimus. Inter vivos damnati sunt *Macarius* Patriarcha Antiochenus Monothelitarum Antesignanus pessimus, *Stephanus* ejus discipulus, & *Polychronius* delirus senex ac miraculorum somniator, qui eo dementiæ prorupit, ut Patribus Synodi certo sponderet, mortuum hominem, universo adspectante populo, a se ad vitam revocatum iri, statim atque cadaveris capiti scriptam fidei suæ (Monotheliticæ scilicet) professionem admovisset. Adducitur itaque medium in Forum humanum cadaver, cui præstigiator *Polychronius* Chartulam, in qua scripta erat hæc propositio: *Qui non confitetur unam voluntatem, & unam Dei virilem operationem, non est Christianus*, ad caput, & ad pectus sæpius admovet, auribus etiam demortui nescio quid insusurrans. Sed surdo cecinit miser ille impostor; Cadaver enim exangue ac penitus exanime, sicut antehac remansit, nedum se in pedes erexit. Sic impostor Polychronius sese omni populo hujus ludi spectatori deridendum propinavit, qui tamen inflexus, & obstinatus, sicut Hæreticis solenne est, cum ab hæresi revocari haud posset, Sacerdotio abdicatus est, & a Patribus Concilii anathemate percussus. Hanc infaustam Polychronii sortem imitari noluit *Georgius* Patriarcha Constantinopolitanus; licet enim ipse ante celebrationem Concilii esset Monothelita, in eo tamen Hæresim suam abjuravit, & Catholicam fidem de duabus in Christo voluntatibus, & operationibus palam professus est, sicut testatur Venerabilis *Beda* in lib. *de sex mundi Ætatibus*. His celebratis octodecim Actionibus, & felicissimo exitu dirempto sexto Generali Concilio, Patres Synodicam relationem ad Agathonem Pontificem Maximum miserunt, confirmationem Concilii ab ipso postulantes, quam tamen *Agatho* Papa morte præventus dare non potuit, sed *Leo II.* ejus successor, post acceptam Epistolam, quam ad ipsum *Constantinus Pogonatus* Imperator pro confirmatione Concilii scripsit, prædictum Concilium sextum generale Apostolica auctoritate confirmavit, illudque cum aliis quinque universalibus Conciliis connumerari debere sanxit.

D. Perveneruntne usque ad nos sincera Acta sextæ Synodi generalis?

M. Cum animadverteret Eminentissimus Anna-

Annalium parens *Baronius*, *Honorium* Romanum Pontificem, a quo jure merito labem hæreseos abstergit; in Actis Concilii sexti generalis, qualia nunc habentur, anathemate implicatum reperiri, sibi, aliisque persuadere tentavit, ea ad nos sincera non pervenisse, sed fuisse interpolata artibus *Theodori* Constantinopolitani Episcopi, qui, cum esset Monothelita, a Sede Constantinopolitana ante celebrationem sexti Concilii generalis dejectus, & postmodum in eodem Concilio cum cæteris Monothelitis proscriptus fuit. Sed statim post Concilium, cum sedi suæ, emissa Catholicæ Fidei professione, restitutus fuisset, pro ea, qua apud Imperatorem gratia pollebat, Acta Concilii sexti generalis corrupit, & suo proprio nomine ex iisdem expuncto, *Honorii* Papæ nomen substituit, atque ita Leoni II. Summo Pontifici, & cæteris aliis Patriarchis Acta sextæ Synodi generalis supposititia transmisit. Hæc est *Baronii* sententia, quæ viris eruditis nostræ ætatis minime probatur. Acta siquidem sextæ Synodi, quæ nunc habentur, sincera esse, nec unquam fuisse interpolata, invicte ostendunt *Combefisius* in Historia Monothelitarum Dissertatione Apologetica pro Actis sextæ Synodi, *Christianus Lupus* in Dissertatione de sexta Synodo generali ad Actionem XVIII. Noster *Natalis Alexander* in Dissertatione secunda septimi sæculi, *Garnerius* in Appendice ad Notas capitis secundi Libri Diurni Romanorum Pontificum, *Antonius Pagius* in Critica Baronii, aliique doctissimi Scriptores, quibus in præsentia recensendis supersedeo.

D. Veneror, ut par est, Viros, quos laudasti, apprime eruditos, sed ab opinione Baronii discedere mihi religio est, nisi perspecta prius habuerim momenta, quibus ducuntur viri illi eruditi ad rejiciendam plausibilem istam Baronii conjecturam, qua ad purgandum *Honorium* Romanum Pontificem a Monothelitarum hæresi, quæ ipsi affingitur, conferre plurimum potest.

M. Hæc Baronii conjectura ideo viris eruditis arridere non potuit, quia nihil in ea obtruditur, quod non sit incertum, vel falsum, vel incredibile. At enim primo; supponit *Baronius*, Theodorum Patriarcham Constantinopolitanum ante sextam Synodum generalem fuisse Sede sua ob Monothelitarum hæresim ab Imperatore *Constantino Pogonato* dejectum. Sed hoc incertum omnino est, planeque ignoratur causa, ob quam *Theodorus* e Sede sua Constantinopolitana pulsus fuerit. Si enim ob Monothelitarum hæresim, ut causatur Baronius, Patriarchatu Constantinopolitano privatus fuisset *Theodorus*, ut quid, amabo, Constantinus Imperator in ejus locum sufficisset *Georgium*, qui erat itidem Monothelita, quique, ut jam observavimus, in sexta dumtaxat Synodo generali Orthodoxam fidem amplexus Monothelitarum hæresim ejuravit? Præterea, affirmat Baronius, *Theodorum*, statim post sextum Concilium generale suæ Sedi Constantinopolitanæ restitutum, obliterasse suum nomen ex Actis illius Concilii, in quo tanquam Hæreticus Monothelita proscriptus fuerat, & suo loco nomen *Honorii* Romani Pontificis fraudulenter reposuisse. Id autem prorsus abludit a vero, tum quia de damnatione *Theodori* in Concilio sexto generali altum est apud Veteres, & apud etiam Anastasium Bibliothecarium silentium; tum quia, si *Theodorus* fuisset in errore pertinax, atque in Concilio tanquam Hæreticus Monothelita notatus, nunquam profecto consensisset *Constantinus Pogonatus* Imperator egregius Fidei Catholicæ defensor, ut Sedi Constantinopolitanæ post Concilium restitueretur, sicut revera fuit restitutus. Cum igitur *Theodorus* in sexta Synodo generali damnatus haud fuerit, abhorret ab omni veri specie, quod suum nomen e Catalogo Hæreticorum, qui hac in sexta Synodo confixi sunt, deleverit, ut Honorii Papæ nomen suum in locum intruderet. Nec minus veritati Historiæ repugnat, quod ait idem Baronius, videlicet *Theodorum* statim post celebrationem sexti Concilii generalis Sedi Constantinopolitanæ restitutum fuisse. Constat enim *Georgium*, qui in depositi Theodori locum subrogatus fuerat, tribus annis post celebratam sextam Synodum generalem, adhuc superstitem vixisse, Sedemque Constantinopolitanam tenuisse, ut testatur *Theophanes* in Chronico. Qui igitur fieri potuit, ut *Theodorus* statim post celebrationem sexti Concilii generalis Sedi suæ Constantinopolitanæ fuerit restitutus? Tertio, incredibile penitus esse asserunt Viri eruditi, *Theodorum* corrumpere potuisse Acta sextæ Synodi generalis, quia, etsi detur Baronio, Theodorum corrupisse Acta Concilii sexti generalis, quæ in Scriniis Ecclesiæ Constantinopolitanæ asservabantur, certe eadem adhibita fraude vitiare nequaquam potuit Acta ejusdem Concilii, quæ ad Sedes Patriarchales transmissa fuerunt. Constat siquidem ex Actione decima octava ejusdem Synodi, tradita fuisse quinque Sedibus Patriarchalibus Autographa definitionis fidei, quæ omnium Episcoporum, & Imperatoris subscriptione munita erant. Quis autem dicat, ejusmodi Acta sextæ Synodi ad quinque Sedes Patriarchales transmissa fuisse vitiata, & tamen de illo vitio nullum ex septuaginta quinque supra centum Episcopis, qui aderant Concilio, & quorum id scire maxime intererat, nullum etiam e Presbyterorum infinita multitudine reclamare, aut verbum aliquod hiscere aut mussitare ausum fuisse adversus unum hominem (*Theodorum* videlicet) famæ alioqui deturpatæ, qui interpolatrice manu acta illa depravasset? Postremo, *Baronius*, & post eum nonnulli gestientes omnia, quæ *Honorium* Papam perstringunt, abolere monumenta, non animadvertunt, quod, dum Acta sextæ Synodi ideo depravata fuisse dicunt, quia in his *Honorius* Papa una cum Monothelitis damnatus legitur, necesse est, si sibi constare velint, ut asserant, fuisse etiam dedita opera corrupta Acta Synodorum generalium septimæ, & octavæ, in quibus pariter *Honorius* Papa damnatus & anathemate perculsus legitur. Necesse quoque est, ut dicant, Summos Pontifices Leonem II. & Hadrianum II. Acta sextæ Synodi vitiata,

Sedi

Sedi Apostolicæ injuriosa & plena calumniis in Honorium Papam ad se transmissa, auctoritate sua approbasse. Manifestum quippe est, *Leonem II.* in Epistola ad *Constantinum Pogonatum* Imperatorem, & in Epistola secunda ad Episcopos Hispaniæ accensere Honorium cæteris Monothelitarum Signiferis in sexta Synodo generali damnatis. Constat etiam, eumdem Summum Pontificem Acta Synodi sextæ, etiam qua parte damnatur *Honorius*, Latine reddita Latinis legenda & recipienda exhibuisse, omnesque Galliarum, & Hispaniarum Præsules ea sibi exhibita recepisse. Mitto, brevitatis causa, *Anastasium* Ecclesiæ Romanæ Bibliothecarium, qui Synodos suis temporibus habitas septimam, & octavam ex Græco in Latinum transtulit, & Honorii Papæ damnationem, quam in Græcis Codicibus legerat, e sua versione Latina non expunxit. Mitto etiam Collectores Canonum doctissimos *Ivonem*, *Anselmum*, *Deusdedit*, & *Gratianum*, in quorum mentem nunquam venit Acta sextæ Synodi generalis fuisse interpolata. Quapropter, hi, qui cum *Baronio* pertendunt, Acta sextæ Synodi fuisse vitiata, quia in his *Honorius* damnatus reperitur, debent criminari Summos Pontifices, Concilia generalia, & illustres Scriptores, qui conceptis verbis asserunt, *Honorium* revera fuisse damnatum in sexta Synodo generali, nec tamen de corruptione Actorum illius Synodi vel leviter conqueruntur. Quod si hæc, utpote omnino absurda, dicere non ausint Baronianæ sententiæ assertores, consequens est, ut fateantur, Acta sextæ Synodi generalis non fuisse vitiata, seque in abolenda Honorii Papæ damnatione, quæ in illis Actis legitur, immoderato affectu, studioque frustra laborare. Plura videsis apud doctissimum nostrum *Combefisium* loco antea laudato.

D. Persuadent quidem, fateor, gravissima ista doctissimorum Scriptorum, quæ adduxisti, momenta; at pace illorum dixerim, Orthodoxiæ *Honorii* haud parum officiunt. Si enim revocari in dubium amplius non possit, *Honorium* in sexta Synodo generali una cum aliis Hæreticis Monothelitis proscriptum fuisse & anathemate perculsum, qui poterit *Honorius* ab hæreseos labe vindicari, utpote damnatus tanquam Hæreticus ab Œcumenica Synodo, cujus judicium indeficiens esse, nullique errori obnoxium concors est omnium Catholicorum sententia? Hic est certe nodus gordius, quem nullo negotio secat *Baronius* docens, Acta sextæ Synodi generalis de industria fuisse vitiata, & *Honorium* in prædicta Synodo non fuisse damnatum. Qua semel admissa responsione, res plane confecta est, nullusque omnino de Honorii Orthodoxia dubitandi locus superesse potest.

M. Nodum istum gordium, ut vocas, non feliciter explicat, sed implicat magis hæc Baronii sententia, in qua, ut ostendunt viri eruditi, quos mox laudavi, nihil asseritur, quod non sit incertum, vel dubium, vel incredibile. Præterquamquod, sic arguunt contra conjecturam Baronii: Si in Actis sextæ Synodi generalis duntaxat legeremus, *Honorium* fuisse damnatum, utcumque ad probandam *Honorii* Orthodoxiam inservire posset hæc, etsi falsa, conjectura *Baronii* asserentis, Acta sextæ Synodi fuisse corrupta, & Honorii damnationem Theodori Episcopi Constantinopolitani fraude fuisse in iis insertam. At cum legamus etiam in Actis Conciliorum generalium septimi & octavi, Honorium fuisse tanquam Hæreticum damnatum; cum idem insuper testentur Summi Pontifices Leo II. & Hadrianus II. omnesque Scriptores Ecclesiastici, qui ea de re scripserunt, nihil prorsus ad promovendam Honorii causam juvare potest hæc Baronii conjectura, nisi fingamus, Acta Conciliorum Generalium septimi & octavi fuisse similiter corrupta, & mox citatos Summos Pontifices, clarissimosque Scriptores depravationem Actorum sextæ Synodi malis Hæreticorum artibus factam, ne tantillum quidem fuisse subodoratos. Credat hoc qui voluerit; nos vero tot laudatis testibus locupletissimis adhærentes, & sublestæ Baronii conjecturæ veritatem historiæ præponentes, candide fatemur, *Honorium* fuisse vere damnatum in sexta Synodo Generali, non ut Hæreticum sententia, ac electione prava, & obstinatione, quæ tria ad proprie dictam Hæresim necessaria esse fatentur omnes Theologi, sed damnatum fuisse ceu Hæreticum communione, favore & patrocinio Hæreticis Monothelitis impenso. Hoc est, ut clarius dicam, *Honorius* in sexto Concilio Generali damnatus est, non quod unicam in Christo voluntatem & operationem docuisset, aut de ejus Orthodoxia dubitaretur, sed ideo tantum, quod unicam in Christo voluntatem docentibus impensius, quam par fuisset, faverit, in his coercendis & in ordinem redigendis negligens fuerit, Hæresimque Monothelitanam latius disseminandi silentio suo, causæ fidei prorsus noxio, opportunitatem eis suppeditaverit. Quamvis ergo Honorium a Monothelitarum hæresi omnino alienum fuisse dicamus, eum nihilosecius in sexta Synodo generali juste damnatum fuisse censemus, quia nimirum nascentis Monothelismi, Monothelitarumque fuit fautor. Eadem quippe culpa alicujus erroris fautores, ac ipsemet Auctor tenentur, ut ait *Cælestinus* Papa ad Galliarum Episcopos sic scribens: *Merito namque nos causa respicit, si silentio faveamus errori*. Non alia, juxta virorum peritorum sententiam, expeditior suppetit via ad purgandum ex una parte Honorium Romanum Pontificem a Monothelitarum hæresi, & ad tuendam ex alia parte veritatem historiæ, qua certissime constat, eumdem Honorium in sexta Synodo generali fuisse damnatum.

Non me fugit, quosdam esse Scriptores, qui, post *Bellarminum*, ut notam hæreseos Monothelitarum ab Honorio Pontifice Maximo amoliantur, fatentur quidem, *Honorium* in sexta Synodo damnatum fuisse tanquam Hæreticum, sed contendunt, Patres illius Synodi errasse in examine, & judicio, quod in causa Honorii tulerunt. Verum, ut cordate fatear, hic modus excusandi *Honorium* merito non placet, quia creditu admodum difficile est, Patres non solum sextæ Sy-

Synodi, sed & omnes Episcopos Conciliorum Generalium septimi, & octavi, in quibus itidem *Honorium* damnatum legimus, errasse in ferendo de doctrina Honorii judicio. Ne igitur a Regia via recedere videar, concludo, *Honorium* Romanum Pontificem a Monothelitarum Hæresi jure quidem optimo vindicari debere, eum tamen justa de causa a sexta Synodo generali damnatum, atque anathemate perculsum esse, non quod in Monothelitarum impegisset Hæresim, sed quod eorum fautor esset, & in illis reprimendis negligentiæ reus: *Quia flammam Hæretici dogmatis, non ut decuit, auctoritate Apostolica incipientem extinxit, sed negligendo confovit*, ut scribit *Leo II.* Summus Pontifex ad Hispaniæ Episcopos, seu, ut ait idem Papa ad Hispaniarum Regem: *Quia immaculatam Apostolicæ traditionis Regulam maculari permisit.*

D. De Synodis, in quibus jugulata ac confossa est Monothelitarum Hæresis satis hactenus disseruisti. Nunc recto ordine procedamus ad Concilia Nationalia, quæ sæculo septimo ad sanciendam & restaurandam Ecclesiæ disciplinam habita sunt, & in primis ordiamur ab his, quæ in Oriente fuerunt celebrata.

M. De Conciliis Provincialibus, seu Nationalibus, quæ septimo sæculo in Oriente pro bono Ecclesiæ regimine, ejusque disciplinæ instauratione celebrata sunt, nihil comperti habemus, quia eorum Acta ad nos usque non pervenerunt, exceptis tamen Actis & Canonibus Synodi Trullanæ, quæ dicitur *Quini-sexta*, quia cum Synodi Generales quinta & sexta nullos pro Disciplina Ecclesiastica Canones edidissent, hanc Synodum Trullanam celebrarunt Episcopi Orientales, ut esset instar Appendicis & supplementi harumce duarum præcedentium Synodorum generalium, & hac de causa fuit *Quini-sexta* nuncupata. Hæc Synodus, quæ anno DCXCI. vel, ut alii volunt DCXCII. Sub Sergio I. Romano Pontifice, & Justiniano II. Imperatore fuit convocata, appellatur a Baronio *Erratica*, quia a Sede Apostolica nunquam fuit approbata. Quapropter oleum & operam perdidit *Guilelmus Cave*, dum in *Historia sua literali, sæculo Monothelitico*, in odium Ecclesiæ Romanæ frigidas ac nullius plane momenti rationes adducit, ut probet hanc Synodum Trullanam pro Œcumenica esse agnoscendam. In hac Synodo centum & duo Canones editi sunt, sicut testantur *Tharasius* Patriarcha Constantinopolitanus, septima Synodus generalis in confutatione Conciliabuli Iconoclastici, *Photius* in Nomocanone, & Auctor libelli Synodici. Ex illis centum & duobus Canonibus plures sunt optimi, jureque laudandi, utpote antiquam disciplinam redolentes, & ad morum reformationem perutiles, ut ex illorum lectione tibi nullo negotio patebit. Sunt tamen inter illos Canones nonnulli, qui a Latina, seu Romana Ecclesia non fuerunt approbati, uti Canon II. quo octoginta quinque Apostolorum Canones & Constitutiones decernuntur admittendæ. Nec Canon XIII. quo Sanctissima Romanæ Ecclesiæ reprehenditur disciplina, qua sacris Ministris usus conjugii interdicitur. Non est etiam approbatus Canon lv. quo jejunium Sabbati in Romana Ecclesia observari solitum damnatur. Non est quoque approbatus Canon lxvii. quo *abstinentia a sanguine & suffocato* Clericis sub pœna depositionis, Laicis vero sub pœna excommunicationis inhibetur. Hi, inquam, Canones ab Ecclesia Romana nunquam recepti & approbati fuerunt. Similiter, non est ex omni parte approbatus Canon lxxxii. quo prohibetur, ne Christus Salvator depingatur in imagine Agni, sed tantum permittitur ut depingatur in imagine hominis, qua demum omnes sunt adimpletæ figuræ. Sed de his centum & duobus Synodi Trullanæ Canonibus, qui universam Ecclesiæ Orientalis complectuntur disciplinam, legendus est *Christianus Lupus* in Notis & Scholiis ad Canones Concilii Trullani, ubi de illis accuratissime disserit.

D. Cum nullus dubitet varia Concilia Provincialia, seu Nationalia, ad sanciendam Ecclesiæ disciplinam septimo Ecclesiæ sæculo fuisse in Occidente convocata, optarem ut ea primo recenseres, quæ celebrata sunt in Ecclesia Gallicana, quæ, ut me jam præmonuisti, antiquæ disciplinæ conservandæ, aut instaurandæ semper fuit studiosissime intenta.

M. In Galliis septimo Ecclesiæ sæculo ad restaurationem disciplinæ quinque potissimum celebrata sunt Concilia Nationalia, Parisiense nimirum, Remense, Nannetense, Cabilonense, & Augustodunense, de quibus pauca hic attingere sufficiet. Concilium Parisiense, quod, post obitum Baronii, cum eruditis Notis publicavit doctissimus *Sirmondus*, sub Clotario II. universam Francorum Monarchiam regente, indictum est anno DCXV. Septuaginta novem Episcopos huic Concilio interfuisse, legitur in veteri quadam collectione, quot in nullo præcedenti Galliarum Concilio adfuisse memorantur. Quo fit, ut Generalis Synodus appelletur in Concilio Remensi Canone tertio. Supersunt adhuc illius Concilii Canones quindecim, etsi plures in eo conditos fuisse pateat ex ejusdem Clotarii Regis Edicto, quod ipsi subnectitur. Horumce Canonum Ecclesiæ disciplinam spectantium explicatio legenda est in Historia Ecclesiæ Parisiensis a *Carolo Du-Bois* in lucem emissa. Legendus pariter est *Carolus Cointius* Tomo secundo Annalium Ecclesiæ Francorum ad annum DCXV. (*a*)

„ (*a*) In meo Conciliorum Supplemento tom. „ I. pag. 467. quæstionem movi, num Synodus „ ista confundenda sit cum ea Regis convocatione, quam Fredegarius indicat scribens an. XXXIII. „ Clotarii Warnacharium majorem domus universis Episcopis jussisse, ut ad Regem in *Bonogelo* Villa venirent, *ibique*, ait, *cunctis illorum justis petitionibus annuens præceptionibus roboravit*. Est Bonogelo locus in Parisiensi agro, judice Mabillonio. Expendi in eam rem silentium Fredegarii de celebri hoc Parisiensi Concilio, in quo cum Episcopi tam multi convenissent, eorumque sanctiones constitutione Regia roboratæ essent, vix sileri potuisse credere-„ tur.

„ tur. Obstat in oppositum eadem Constitutio „ Regis signata anno ejus XXXI. cum evocatio „ Episcoporum in Fredegario assignetur anno „ XXXIII. Verum fieri potuisse censui, ut Fredegarius vel in Chronologia hic, ut sæpe „ alias, erraverit, vel mendum in ejus textum „ irrepserit.

Concilium *Remense* habitum est anno DCXXIV. sub *Sonnatio* Remensi Archiepiscopo cum aliis quadraginta, vel amplius, Galliarum Episcopis, *ubi etiam Sanctus Arnulphus Metensium Præsul invenitur interfuisse*, ait *Flodoardus* lib. 2. cap. 7. In hoc Concilio conditi sunt viginti quinque Canones, qui antiquam redolent Ecclesiæ disciplinam, & doctissimis Notis fuerunt illustrati a *Carolo Cointio* Tomo 2. Annalium Ecclesiæ Francorum.

Concilium *Nannetense* circa annum DCXL. coactum est, eique interfuerunt Galliarum Præsules tam Austriæ, quam Neustriæ & Burgundiæ. In eo de disciplina Ecclesiastica viginti conditi sunt Canones, de quibus legendi sunt *Flodoardus* lib. 2. cap. 7. & *Sirmondus* in Collectione, quam publici juris fecit, Conciliorum Galliæ.

Concilium *Cabilonense* sub Clodoveo II. regnante, ut in ejus Præfatione legitur, convocatum est octavo Kalendas Novembris anni circiter DCXLII. in eo plurima ad mores spectantia, & ad disciplinam Ecclesiæ conservandam utiliter sancita sunt. Extant hanc in rem Canones XX. cum Notis *Sirmondi*, & cum Epistola illius Concilii ad *Theodosium* Arelatensem Episcopum, qui tum publicam pœnitentiam ob publica peccata agebat; quem *Baronius* corrupto exemplari usus, *Theodorum* appellat. Subscripserunt huic Concilio undequinquaginta Episcopi, & ab Episcopis directi Abbates quinque cum uno Archidiacono. Canones illius Concilii Notis illustravit *Carolus Cointius* Tomo tertio Annalium Ecclesiæ Francorum ad an. DCXLIV. ad quem istius Concilii Epocham retulit. Hoc Concilium Cabilonense est ordine secundum, nam an. DCIII. habitum est Concilium Cabilonense primum, in quo *Desiderius* Viennensis Episcopus, instigante *Brunechilde* Regina, depositus est, ut videre est apud *Carolum Cointium* ad an. DCIII. Tomo II. Annalium Ecclesiæ Francorum (*a*).

„ (*a*) Cabilonensis Concilii epocham ego in „ eodem supplemento figendam censui an. 644. „ Huic enim Hadoindus Cenomanensis per alium „ interfuit & subscripsit; ejus vero Hadoindi vitam usque ad initia Clodovei author Gestorum „ Cenomanensium prorogat; & supremæ ejusdem „ Episcopi tabulæ ab eodem authore productæ signantur anno V. Clotarii, nempe 643., ex quo „ fit, ut vitam non diu post illum annum prorogaverit. Igitur verosimiliter anno sequenti „ 644. Synodus Cabilonensis est habita, cum ejus „ Canones signentur die VIII. Kal. Novembris, „ quæ tunc in feriam secundam incidit, atque ea „ feria ex veteri more Concilia inceperint.

Concilium *Augustodunense* circa an. DCXLIII. (de tempore enim haud satis convenit) habitum est in Burgundia a *Leodegario* Augustodunensi Episcopo. Canones, qui in eo conditi fuerunt, magna ex parte deperditi sunt, aliquot tamen publicavit *Sirmondus*, ut videre est in Collectione Conciliorum Galliæ. *Carolus* etiam *Cointius* Tomo tertio Annal. Ecclesiæ Francorum ad annum DCXLIII. Canones illius Concilii, qui Monasticam præcipue spectant disciplinam inseruit, Notisque suis dilucidavit. In uno ex Canonibus istius Concilii prima fit mentio Symboli fidei sub nomine Sancti *Athanasii*, quod sic incipit: *Quicumque vult salvus esse, &c.* Sed nunc convenit inter omnes viros eruditos, hoc Symbolum Sancti Athanasii nomine inscriptum, non esse genuinum illius fœtum. Ex alio ejusdem Concilii Canone intelligimus *Leodegarium* Augustodunensem Episcopum vehementer optasse, ut in Cœnobiis suæ Diœceseos nulla Regula Monastica, præter *Benedictinam*, vigeret (*b*).

„ (*b*) De Concilio hoc Augustodunensi non„ nulla disserui tum in meis ad Pagium adnota„ tionibus ad annum 663. & alia etiam adjeci in „ Supplemento Conciliorum tom. 1. pag. 495. „ Admonui ibidem Mabillonium ex Codice Cinsildensi ad Canones hujus Concilii dedisse va„ riantes sic. In Can. XV. ubi editi legunt: „ *Quidquid Canonicus ordo vel regula S. Benedicti* &c. MS. fert: *Canonum ordo vel* &c. Ibi„ dem pariter editi habent: *in communione &* „ *Missa*; MS. vero *in communione & mensa*. „ Ceterum suspicatus sum hanc Synodum, cujus „ Canones vulgo adscripti sunt S. Leodegario, „ ab ea diversam esse, cujus meminit Theodori„ cus Rex in suo Diplomate apud Mabillonium, „ de quo Pagius ad an. 677.678. Diploma enim „ illud signatur anno Theodorici V., qui in an„ num 677. & 678. incidit. Hanc enim eandem „ esse crediderim cum Synodo habita in Villa „ Regia, de qua Ursinus in vita S. Leodegarii, „ eidemque non interfuisse virum illum sanctum „ morbo impeditum testatur. Quomodo enim Ca„ nones Concilii, cui ille non adstitit, illi ta„ men tribuerentur? Demum Concilio Eduensi, „ quod idem est ac Altisiodorense, Canonem a„ lium adscribit Burchardus, qui inter Canones „ Augustodunenses non reperitur. Sancitur in eo, „ ut si quis forte ex ministris altaris crimen ali„ quod venereum commiserit, maneat a suo mi„ nisterio suspensus ad arbitrium Episcopi, sed „ nunquam ad altiora transferatur. Si vero ite„ rum redierit ad vomitum, & dignitate officii „ careat, & ad sanctam communionem nonnisi „ in exitu admittatur.

D. Quot Concilia Nationalia pro reformatione morum, & Disciplinæ Ecclesiasticæ restauratione in Hispaniis, septimo sæculo fuerunt celebrata?

M. Bene multa Concilia Nationalia septimo sæculo in Hispaniis habita sunt pro Disciplina Ecclesiastica, quæ vitio temporum collapsa erat, novis legibus adstringenda, quæ hic ordine Chronologico, quantum fieri poterit, tibi exhibebo. Primum Concilium, quod in Hispaniis septimo sæculo fuit convocatum, est *Hispalense* secundum, non solum pro negotiis Ecclesiasticis, sed etiam con-

contra Acephalos negantes duas in Christo naturas in una Divina persona, tempore *Sisebuti* Hispaniarum Regis, sub *Isidoro* Metropolitano indictum. Illius Concilii Epocha magnis tenebris circumsepta est, quia in eo nullus temporis character exprimitur. Hinc alii illud habitum fuisse, putant anno DCXVII. Alii anno DCXVIII. Alii anno DCXIX. Extant hujus Concili Acta cum Capitulis de negotiis Ecclesiasticis, & adversus Acephalorum Hæresim tredecim, *Garsiæ Loaisæ* Notis illustrata Concil. tom. V. & apud Cardinalem *d' Aguirre* tomo secundo Concil. Hispaniæ (*a*).

„ (*a*) Ad hoc Hispalense II. Concilium ego „ in meo Conciliorum supplemento referendam „ censui legem illam Sisebuti Regis adversus eos, „ qui mancipia Christiana Judæis servire permiserint. Is enim mos in Hispania obtinebat, ut „ Regum leges de rebus ad mores pertinentibus „ occasione Conciliorum juxta Canones in Conciliis illis stabilitos darentur, ut ex Concilio Toletano sub Gundemaro intelligimus. Labbeus „ quidem ad marginem provocat ad canonem lxv. „ Concilii Toletani; cum tamen Concilium illud „ Toletanum sub Sisenando convenerit; melius utique ad Canonem aliquem Hispalensis hujus sub eodem Sisebuto lex illa referretur.

Sequuntur postea quatuordecim Concilia Toleti in Hispania septimo Ecclesiæ sæculo habita. Octodecim enim numerantur Concilia Toletana. De tribus prioribus, quorum primum celebratum est anno CCCC. Alterum Anno DXXXI. Tertium anno DLXXXIX. satis superque jam egimus in præcedentibus Colloquiis. Quatuordecim, quæ sequuntur Concilia Toletana, & quæ sæculo septimo habita sunt, hic breviter referemus. Ultimum vero Concilium Toletanum, seu decimum octavum, recensebimus agendo de Conciliis Nationalibus, quæ octavo Ecclesiæ sæculo in Occidente congregata fuerunt. Concilium itaque Toletanum IV. convocatum est anno Domini sexcentesimo vicesimo quarto, *Sisenandi* Hispaniarum Regis anno tertio. Ei præfuit Sanctus *Isidorus* Hispalensis Episcopus, & interfuerunt septuaginta Episcopi, (*a*) qui septuaginta quinque constituerunt Canones pro fide, & disciplina utilissimos, qui leguntur cum Notis *Garsiæ Loaisæ* Concil. tom. v. & apud Cardinalem *d Aguirre* tom. II. Concil. Hispaniæ. Concilium Toletanum quintum indictum est sub *Chintila* Rege Hispaniarum anno 636. Ei præfuit *Eugenius* Episcopus Toletanus, novemque de rebus Ecclesiasticis editi sunt Canones, qui extant cum Notis *Garsiæ Loaisæ* Concil. tom. v. & apud Cardinalem *d' Aguirre* tom. II. Conc. Hispaniæ. Concilium Toletanum sextum habitum est anno DCXXXVIII. cui interfuere quinquaginta duo Episcopi, & in eo circa Ecclesiæ disciplinam novemdecim constituti sunt Canones, quos Notis illustrarunt *Garsias Loaisa* Concil. tomo V. & Cardinalis *d' Aguirre* tomo II. Concil. Hispaniæ. Concilium Toletanum septimum circa an. DCXLVII. regnante in Hispaniis *Chintasuinto*, coactum est ad consulendum Ecclesiasticæ disciplinæ, incolumitati Regni, præsertim adversus Tyrannos, & transfugas, qui postea e Nationibus externis redeuntes, Hispanias bellis, & seditionibus perturbabant. Extant Acta, & sex disciplinæ Ecclesiasticæ Canones in hoc Concilia editi, quos *Loaisa*, & Cardinalis *d' Aguirre* Notis illustrarunt locis sæpius laudatis. Concilium Toletanum octavum peractum est sub *Reccesvinto* Hispaniarum Rege anno DCLIII. in eo non pauca constituta sunt ad fidem, & disciplinam Ecclesiasticam spectantia. Extant etiamnum Acta istius Concilii, & Canones XIII. in quorum duodecimo agitur de Judæis, qui *Placitum* Regi Hispaniarum *Reccesvinto* obtulerunt, in quo fatentur, se olim Edicto Regis *Chintilæ* præcipienti, ut fidem Catholicam amplecterentur, nonnisi in speciem paruisse, sed nunc revera promittere, se Christianæ Religionis exactam observationem absque exceptione ulla, & pœnam mortis statuere cuilibet suorum, qui contra faceret. Legendi sunt *Garsias Loaisa* tom. VI. Concil. & Cardinalis *d' Aguirre* tom. II. Concil. Hispaniæ, ubi tredecim illius Concilii Canones Notis illustrant. Concilium Toletanum nonum anno DCLV. a sexdecim Episcopis, Præside *Eugenio* Antistite Toletano, convocatum est, & in eo conditi sunt ad restaurandam disciplinam Ecclesiæ septemdecim Canones, qui extant cum Notis *Loaisæ* tom. VI. Concil. & apud Cardinalem *d' Aguirre* tom. II. Concil. Hispaniæ. Concilium Toletanum decimum habitum est anno DCLVI. in eo editi sunt septem Canones, in quorum primo decernitur, ut Festum Annunciationis Beatę Virginis celebretur die decima octava mensis Decembris, quia, ut inquiunt Patres, prior festivitas, quæ illigata est diei vigesimæ quintæ mensis Martii, interdum ob dies quadragesimæ, interdum etiam propter Festum Paschale condigne satis non poterat celebrari. Hinc etiamnum in Ecclesia Toletana peragitur solemnitas Annunciationis Beatæ Virginis die XVIII. mensis Decembris, & appellatur *Expectatio partus*, atque in tota Hispania colitur ut festivus dies, sicut videre est apud *Garsiam Loaisam*, & Cardinalem *d' Aguirre* locis mox a me citatis. Concilium Toletanum undecimum congregatum est sub *Wamba* Hispaniarum Rege anno DCLXXV. in eo, post editam fidei confessionem, conditi sunt sexdecim de re Ecclesiastica Canones, quos *Loaisa*, & Cardinalis *d' Aguirre* Notis illustrarunt. Concilium Toletanum duodecimum indictum est anno I. *Ervigii* Hispaniarum Regis, seu anno Domini DCLXXXI. Huic præfuit Sanctus *Julianus* Archiepiscopus Toletanus, & in eo tredecim sanciti sunt Canones, quos referunt, & explicant *Loaisa*, & Cardinalis *d' Aguirre*. Concilium Toletanum decimum tertium habitum est sub eodem *Ervigio* Hispaniarum Rege anno DCLXXXIII. Ei præfuit Sanctus *Julianus*, & in eo duodecim ad mores, & disciplinam saluberrimi confecti sunt Canones, quos sæpe laudati *Loaisa*, & Cardinalis *d' A-*

d'Aguirre Notis elucidarunt. Concilium Toletanum decimum quartum sub eodem *Ervigio* Hispaniarum Rege anno DCLXXXIV. convocatum est, ut, juxta Leonis II. Summi Pontificis litteras, sexta Synodus, in qua Monothelitarum Hæresis damnata fuerat, per totam Hispaniam, & Galliam Gothicam reciperetur, quod & factum est. Extant hanc in rem Canones istius Concilii duodecim cum Notis *Loaisæ* tom. VI. Concil. & apud Cardinalem *d'Aguirre* tom. II. Concil. Hispaniæ. Concilium Toletanum decimum quintum anno DCLXXXVIII. celebratum est ad explicandas quasdam propositiones ab Episcopis Hispaniæ prolatas, & Benedicto II. Romano Pontifici suspectas. Episcopi enim Hispaniæ de divinis Personis loquentes dixerant: *Voluntas genuit voluntatem*, ac præterea: *Sapientia genuit Sapientiam*. Affirmaverant etiam iidem Episcopi, *Tres in Christo Dei Filio esse substantias*. Cum igitur hæ propositiones Benedictum II. Pontificem Maximum offendissent, Hispaniæ Episcopi in hoc Concilio mentem suam uberius explicarunt, & quo modo sensu Catholico, & absque ullo errore ejusmodi propositiones a se ipsis assertæ fuissent, ostendunt. In fine hujus Concilii Patres de juramento Ervigio Regi Hispaniarum præstito in tutelam ejus filiorum agunt, ut videre est apud *Loaisam*, & Cardinalem *d'Aguirre*, qui Acta illius Concilii exhibent, Notisque illustrant. Concilium Toletanum decimum sextum coactum est anno DCXCIII. in eo Episcopi *Sisbertum* Toletanum Antistitem, ob perjurium, & seditionem adversus Regem, gradu dejecerunt, & uberius explicarunt propositiones circa Divinas Personas in Concilio Toletano XV. discussas. Legi possunt Acta Synodalia, & tredecim Canones illius Concilii circa disciplinam Ecclesiasticam & reformationem morum apud *Loaisam*, & Cardinalem *d'Aguirre*. Concilium Toletanum decimum septimum sub *Egica* Hispaniarum Rege congregatum est anno DCXCIV. in quo, post firmatam sanctæ fidei Regulam, editi sunt Canones octo, quos *Loaisa*, & Cardinalis *d'Aguirre* Notis explanarunt.

„ (*a*) Melius utique notasset Patres LXVI. „ Concilio huic interfuisse, cum numerum eumdem signent duæ veteres Hispanicæ Conciliorum collectiones apud Baluzium Miscellan. tom. „ VII. pag. 61. & eumdem pariter ferat epistola „ Cæsarii Abbatis in Monteferrato ab eodem relata ibidem. Eodem pariter mendo acta edita „ signant diem *nonam* Decembris, quem iidem „ MSS. Codd. emendant *nonas Decembris*.

D. Hæc sunt igitur omnia Concilia Nationalia, quæ septimo sæculo in rem disciplinæ Ecclesiasticæ fuerunt celebrata?

M. His Conciliis Nationalibus, quæ hactenus recensuimus, & in quibus sancita & instaurata est Ecclesiæ disciplina, alia quædam addi possunt, quæ hic indicasse abunde sufficiet. In Lusitania *Emeritense* Concilium anno DCLXI. habitum est, extantque symbolum, & viginti tres Canones in eo conditi, Notisque illustrati a *Garsia Loaisa* tomo VI. Concil. & a Cardinali *d'Aguirre* tomo II. Concil. Hispaniæ. In Anglia anno DCLXXIII. celebratum est Concilium *Herefordiense*, Præside *Theodoro* Cantuariensi Episcopo, & in eo decem de Ecclesiæ disciplina sancita sunt capita, de quibus legi potest Venerabilis *Beda* lib. IV. Hist. Eccl. Anglorum cap. V. In Lusitania anno DCLXXV. convocatum est Concilium *Bracarense* IV. in quo de fide & disciplina novem editi sunt Canones, cum Notis *Loaisæ* tomo VI. Concil. & Card. *d'Aguirre* tomo II. Concil. Hispaniæ. Denique, in Hispania Concilium *Cæsaraugustanum* sub *Egica* Rege peractum est anno DCXCI. in eo quinque de disciplina Ecclesiastica editæ sunt leges, quæ Notis illustratæ legi possunt apud *Loaisam*, & Cardinalem *d'Aguirre* locis mox laudatis. Habes nunc reducta in Compendium omnia Concilia Nationalia, quæ septimo sæculo in Occidente fuerunt celebrata, & in quibus sancita est Ecclesiæ disciplina. Progrediamur modo ad Concilia, quæ tam in Oriente, quam in Occidente, octavo sæculo fuerunt celebrata.

D. In præcedenti Colloquio Historiam describendo Iconoclastarum Hæresis, quæ octavo sæculo Ecclesiam plurimum infestavit, memini, te leviter mentionem fecisse septimæ Synodi, quæ dicitur *Nicæna secunda*, in qua prædicta illa Hæresis confixa est. Nunc, ut plenam istius Synodi notitiam assequi possim, singula, quæ ad illam spectant, capita investigandi incessit animum cupido, & in primis scire velim, a quo convocata sit hæc Synodus septima generalis, quisve ei præfuerit?

M. Mortuo *Paulo* Episcopo Constantinopolitano, *Tarasius* vir apprime Catholicus in ejus locum suffectus est anno DCCLXXXV. qui tamen hanc dignitatem admittere noluit, nisi postquam Imperatores, *Constantinus* videlicet adhuc puer, & *Irene* ejus Mater Concilii Œcumenici convocationem promisissent. Quapropter Imperatores, ut promissis starent, scripserunt ad *Hadrianum* Papam litteras, ad eumque miserunt *Constantinum* Episcopum Leontinum in Sicilia, & *Dorotheum* Episcopum Neopolitanum in Campania, rogaruntque, ut Concilium generale convocaret, & illud sua cohonestaret præsentia, vel, si venire haud posset, mitteret legatos, qui locum ipsius in eo tenerent. *Tarasius* etiam Patriarcha Constantinopolitanus litteras ad Hadrianum Summum Pontificem per *Leonem* Presbyterum suum direxit. Quibus acceptis litteris, *Hadrianus* Imperatores impense laudavit, ad eos scripsit Epistolam, quæ extat Actione 2. septimæ Synodi generalis, misitque legatos suos *Petrum* scilicet Archipresbyterum Ecclesiæ Sancti Petri, & *Petrum* S. *Sabæ* Abbatem ut Synodo generali ejus nomine præessent. Patriarchæ Orientis, Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus jugo Saracenorum id temporis oppressi Synodo septimæ generali interesse quidem non potuerunt, miserunt tamen legatos, qui trium Patriarchalium Sedium nomine ei adessent, & Ecclesiarum Ægypti, Orientis, & Palæstinæ fidem, atque antiquam de Sanctarum Imaginum cultu traditionem testarentur. *Politianus* Patriarcha Alexandrinus Legatum suum misit *Tho-*

Thomam Monachum, & Presbyterum, *Theodorus* vero Patriarcha Antiochenus, & *Elias* Patriarcha Hierosolymitanus *Joannem* Monachum Presbyterum, & Syncellum ea legatione ornaverunt. Rebus sic constitutis, septima Synodus generalis, quam ad petitionem *Constantini* Imperatoris, & *Irenes* ejus Matris *Hadrianus* Romanus Pontifex indixerat, cœpta est Constantinopoli die decima septima mensis Augusti anni DCCLXXXVI. Sed Prætoriani milites Iconoclastarum hæresi infecti, tumultuantes nudatis gladiis impetum in Patriarcham, & in alios Episcopos fecerunt, quibus retundendis cum pares non essent Imperatores, consultius visum est cedere tempori, & in annum sequentem Synodi celebrationem rejicere. Finxerunt itaque Imperatores exercitum adversus Saracenos mittere, in quo milites illi Prætoriani, qui celebrationi Concilii intercesserant, profecti, & ab exercitu circumventi, armisque spoliati, in suas Provincias ac domos sese recipere jussi sunt. Alio demum parato exercitu, & delectis aliis fidissimis Ducibus, miserunt Imperatores anno DCCLXXXVII. per omnes Imperii Regiones Legatos, qui universos Episcopos *Nicæam* Bythiniæ Urbem ad Synodum invitarent. Nicæam itaque convenerunt trecenti quinquaginta Episcopi, Sedis Apostolicæ, & trium Sedium Patriarchalium Orientis Legati, qui una cum *Tarasio* Imperialis Urbis Patriarcha Constantinopoli subsliterant, ad Synodum se contulerunt, multique etiam adfuerunt Archimandritæ, Monachi, & Proceres. Cœpta est septima Synodus generalis, dicta ob locum, in quo celebrata fuit, *Nicæna secunda*, die XXIV. mensis Septembris anni DCCLXXXVII. Legatos *Hadriani* Summi Pontificis huic Synodo præfuisse, certissime colligitur ex illius Actis, in quibus Legati Romani Pontificis ante *Tarasium* Patriarcham Constantinopolitanum, & ante Legatos trium Orientis Patriarchalium Sedium primo loco nominantur. Ex quibus septimæ Synodi generalis Actis evidenter refellitur *Photius*, qui in libro *de septem Synodis* primum Præsidem septimæ Synodi generalis fecit *Tarasium* Patriarcham Constantinopolitanum. Sed mirari non subit, quod *Photius*, homo Schismaticus, primum Præsidem septimæ Synodi generalis Tarasium fecerit, cum ipsemet eodem spiritu Schismatico actus aliarum Synodorum Oecumenicarum Præsidem primum faciat Episcopum Constantinopolitanum, quod ex indubitatis Ecclesiasticis Monumentis aperte falsi convincitur. (*a*)

„ (*a*) Animadversione dignum censeo id quod „ a nemine hucusque adnotatum est. P. Montfaucon in sua Bibliotheca Coisliniana Cod. 34. „ evulgasse monumentum quoddam, vel, si malueris, Epistolam, ita enim inscribitur in titulo „ Græco Latinoque: *Synodi Nicænæ secundæ ad SS. Alexandrinorum Ecclesiam* de Sacrarum Imaginum cultu restituto. Hujus vero partem „ priorem ad Nicænam hanc pertinere ita judicat idem Scriptor doctissimus, ut alteram partem addititiam censeat tanquam, ac tunc scriptam, cum anno 842. sub Michaele, & Theodora celebrata est Synodus Constantinopoli, „ & confirmatum Synodi Nicænæ secundæ Decretum. Ego tamen, ut vera fatear, censeo „ totum quantum est monumentum primò scriptum fuisse in Constantinopolitana illa Synodo „ anni 482. Nam paulo post initium legimus: „ *Prius enim postquam multo annorum curriculo „ sanctæ Imagines despectæ, & inhonoratæ fuerant, pietatem erga seipsum (f. erga ipsum) „ reduxit*. Hæc intelligo de Concilio Nicæno secundo, in quo cultus Imaginibus redditus est. „ *Nunc autem, idest secundo, paulo post triginta afflictionis annos nobis indignis procuravit ærumnarum liberationem ex affligentibus redemptionem, piæ doctrinæ prædicationem, adorationis Imaginum securitatem*, nempe in Concilio Constantinopolitano anni 482. Fateor tamen scripto huic adjecta esse posteriori ætate plura in „ anathematismis, & acclamationibus; cujus rei „ causam hanc accipe ad celebrandum Concilii „ hujus Constantinopolitani habitum Græcæ Ecclesiæ Decreto annale Festum destinatum est „ Dominica II. Quadragesimæ, quam ideo Græci appellant Dominicam orthodoxiæ. Non est „ autem ignotum in libris liturgicis similes accessiones fieri consuevisse.

D. Quid præcipue actum est in septima Synodo generali, quæ *secunda Nicæna* appellatur?

M. In septima Synodo generali, seu Nicæna secunda, septem Actiones, seu Sessiones habitæ sunt. In prima Actione lectæ sunt litteræ *Constantini* Imperatoris, & *Irenes* ejus Matris, quibus inter alia decernebant, ut litteræ ab Hadriano Papa missæ, secundum Synodicam consuetudinem, publice legerentur. Præterea varii Episcopi, postquam Iconoclastarum Hæresim ejurassent, & sinceram pœnitentiam exhibuissent, in Sacrum Consessum admissi sunt; illorum tamen Episcoporum, quorum mora in Hæresi diuturnior fuerat, suas in Sedes restitutio in aliam Sessionem procrastinata est. In secunda Actione lectæ sunt *Hadriani* Papæ litteræ ad Imperatores datæ, ejusdemque ad *Tarasium* Epistola. In tertia Actione multi Episcopi, qui lapsi erant, in Sedes suas restituti sunt, lectæque sunt litteræ Tarasii ad alios Patriarchas Orientis directæ, ac deinde litteræ eorumdem Patriarcharum ad Tarasium, quibus suam a Concilio, ob eam, qua premebantur, Barbarorum tyrannidem, excusabant absentiam. In quarta Actione, ad legitimum probandum Sanctatum Imaginum usum, bene multa prolata sunt cum Scripturæ Sacræ, tum veterum Patrum testimonia. Post hæc, lecta est Epistola Gregorii III. Summi Pontificis ad S. Germanum Patriarcham Constantinopolitanum; lectæ itidem ejusdem S. Germani aliæ Epistolæ ad *Joannem* Synadensem, ad *Constantinum* Natoliæ, & ad *Thomam* Claudiopolitanum Episcopos. Quibus omnibus peractis, protulit Sancta Synodus multa in Hæreticos Iconoclastas Anathemata, & Catholicæ fidei professionem edidit, cui primo loco subscripserunt Sedis Apostolicæ Legati, & post illos *Tarasius* Patriarcha Constantinopolitanus, deinde, *Joannes*, & *Thomas* Legati Patriarcharum Orientalium, seu Alexandrini, Antiocheni, & Hierosolymitani; eam denique cæteri omnes Episcopi sua subscriptione munive-

D 2 runt.

runt. In quinta Actione ostensum est, Iconoclastas suam Hæresim de abolendo Sanctarum Imaginum usu, & cultu hausisse a Judæis, Saracenis, Gentilibus, Samaritis, & Manichæis. In sexta Actione Patres prolixam inierunt disputationem, qua Hæreticorum Iconomachorum, qui in Conciliabulo Constantinopolitano Sanctarum Imaginum usum, & cultum damnaverant, discussa, & cribrata sunt argumenta, illiusque Conciliabuli hæretica definitio per singula capita in integrum confutata est. In septima Actione sex præcedentia Concilia Œcumenica confirmata sunt, decretumque, Sanctis Imaginibus honorariam adorationem, non autem veram latriam exhibendam esse, & hi omnes Anathemate perculsi sunt, qui eas frangere auderent. Hanc pro asserendo Imaginum cultu definitionem his verbis emisit septima Synodus generalis: *Sequentes divinitus inspiratum Sanctorum Patrum nostrorum Magisterium, & Catholicæ traditionem Ecclesiæ (nam Spiritus Sancti hanc esse novimus, qui nimirum in ipsa inhabitat) definimus in omni certitudine ac diligentia, sicut figuram preciosæ ac vivificæ Crucis, ita Venerabiles ac Sanctas Imagines proponendas, tam quæ de coloribus, & tessellis, quam quæ ex alia materia congruenter in Sanctis Dei Ecclesiis, & sacris vasis, & vestibus, & in parietibus ac tabulis, domibus, & viis, tam videlicet Imaginem Domini Dei, & Salvatoris Nostri Jesu Christi, quam intemeratæ Dominæ nostræ Sanctæ Dei genitricis, honorabiliumque Angelorum, & omnium Sanctorum simul almorum virorum. Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto qui has contemplantur, alacrius eriguntur ad primitivorum eorum memoriam, & desiderium, & ad osculum, & ad honorariam his adorationem tribuendam. Non tamen ad veram latriam, quæ secundum fidem est, quæque solam divinam naturam decet, impartiendam; ita, ut istis, sicuti figuræ pretiosæ ac vivificæ Crucis, & Sanctis Evangeliis, & reliquis sacris monumentis, incensorum, & luminum oblatio ad horum honorem efficiendum exhibeatur, quemadmodum & antiquis piæ consuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primitivum transit, & qui adorat Imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam. Sic enim robur obtinet Sanctorum Patrum nostrorum doctrina, idest, traditio Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, quæ a finibus usque ad fines terræ suscepit Evangelium.*

D. Hæc fidei definitio de cultu Sanctis Imaginibus exhibendo, facta in septima Synodo generali, fuitne recepta in universa Ecclesia?

M. *Hadrianus* Summus Pontifex, postquam septimam Synodum generalem sua auctoritate confirmasset, illius Acta in linguam latinam versa misit in Gallias, ubi, cum Episcopi certa viderent venerationis signa Imaginibus adscribi solito honorificentiora, & quæ hactenus in suis Ecclesiis erant inusitata, illico reclamarunt adversus Orientales, ac Synodum ab illis celebratum damnarunt. Id egit potissimum *Carolus Magnus* Galliarum Rex quatuor famosis illis libris, qui dicuntur *Carolini*, quos vel ipse edidit, vel sub augusto suo nomine publicari permisit circa annum DCCXC. In his siquidem singula Nicænæ secundæ Acta ad crisim, rigidumque examen revocata plus satis carpuntur. Quin', & Galliarum Præsules anno DCCXCIV. congregati in Concilio Francofordiensi septimam Synodum, quæ est Nicæna secunda, damnarunt Canone secundo his verbis: *Allata est in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis Imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui Imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati servitium, aut adorationem non impenderent, Anathema judicarentur. Qui supra Sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem, & servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.*

D. Qui potuerunt Galliarum Præsules in Concilio Francofordiensi congregati ad examen revocare, & condemnare septimam Synodum, seu Nicænam secundam, quæ Œcumenica fuit, & ab Hadriano Romano Pontifice approbata?

M. Gravem profecto proponis difficultatem, ad quam dissolvendam multiplex adhibetur responsio. Prima eorum est, qui existimant, Synodum, quæ Canone secundo Concilii Francofordiensis confixa est, non fuisse septimam Synodum generalem, seu Nicænam secundam, sed esse Pseudo-Synodum Constantinopolitanam ab Iconomachis habitam anno DCCLIV. Altera responsio *Caroli Cointii*, qui in Annalibus Ecclesiæ Francorum tomo VI. ad annum DCCXCIV. ait, Canone secundo Concilii Francofordiensis non perstringi secundam Nicænam Synodum, quæ est septima Œcumenica, sed aliam damnari Synodum, quæ post septimum Concilium generale, seu Nicænum secundum, celebrata est Constantinopoli pro cultu Imaginum, in qua multa definita sunt, quæ Patribus Concilii Francofordiensis non placuerunt. Verum, ut cordate fatear, utraque responsio a veritate procul abest. Prior falsi convincitur, quia constat, hanc Synodum ab Episcopis Concilii Francofordiensis fuisse condemnatam, quæ pro adorandis, seu colendis Sanctis Imaginibus fuerat celebrata; porro, fatentur omnes, Synodum ab Iconoclastis habitam anno DCCLIV. non fuisse coactam pro cultu exhibendo Sanctis Imaginibus, sed potius in ea damnatum, & abolitum fuisse usum, & cultum Sanctarum Imaginum. Alteram quod spectat responsionem *Caroli Cointii*, nemo non videt, eam falsa suppositione niti. Supponit quippe *Cointius*, inter Synodum Nicænam secundam, & Francofordiensem, habitam fuisse Constantinopoli aliam Synodum pro cultu Sanctarum Imaginum, quam a Patribus Concilii Francofordiensis damnatam fuisse affirmat. At prædictam illam Synodum Constantinopolitanam ceu fictitiam, & plane suppositititiam explodunt quotquot sunt viri eruditi, quia nulla omnino ejus extant monumenta. Præter quam quod, veteres Annalistæ Francorum memoriæ prodiderunt, rejectam esse in Concilio Francofordiensi hanc Synodum, quæ a Græcis *Septima* appellatur; Græcis autem, ut norunt omnes, solenne est, Nicænam secundam Synodum appellare *septimam*, non vero aliquam Synodum Constantinopolitanam.

Cum

Cum igitur duæ istæ adductæ responsiones difficultati propositæ non faciant satis, duas alias proferam, quæ viris doctis probantur. In primis dici potest, septimam Synodum, seu Nicænam secundam a Patribus Francofordiensibus fuisse damnatam, quia decepti errore facti, putaverunt, sicut videre est in Canone secundo mox citato, adorationem latriæ, quæ soli Deo debetur, a Nicæna secunda Synodo fuisse Imaginibus decretam, eosque anathemate fuisse perculsos, qui secus sentirent. Hinc Patres Francofordienses in eo facti errore versantes, Synodum Nicænam (cui totius pene Occidentis suffragia deerant, & quam *Hadrianus* Papa necdum solemni ritu, missa videlicet ad universam Ecclesiam, & ad Imperatores Epistola confirmaverat) pro Œcumenica non agnoscebant, sed tantum pro Nationali Græcorum Synodo, quam proinde a se damnari posse existimarunt, ut aperte declarat Auctor librorum, qui dicuntur *Carolini*, cap. 13. libri quarti his verbis: *Insolenti præterea desiderio tam isti* (seu Græci) *quam eorum prædecessores, Synodum ambiunt agitare, eamque sex Venerabilibus Synodis associare, & septimæ Synodi nuncupatione censere*. Secundo, dici potest, sicut jam observavimus in præcedenti Colloquio, altercationem, quæ extitit inter Patres Francofordienses, & Nicænam secundam, non fuisse circa dogma fidei, hoc est, circa cultum, qui deferendus est Sanctis Imaginibus, sed dumtaxat circa modum cultus, idest, circa disciplinam, quæ observari debebat in cultu Imaginum. At enim Patres Concilii Francofordiensis non negabant, cultum aliquem Sanctis Imaginibus esse exhibendum, sed solum admittere renuebant cultum illum Imaginum, qui nondum in Galliis inoleverat, & quem tamen secunda Nicæna Synodus præscripserat multis signis exterioribus insignitum, puta luminariis coram accensis, thymiamatibus, incensis, deosculationibus, capitis inflexionibus &c. Hunc, inquam, modum colendi Imagines a secunda Nicæna Synodo præscriptum admittere nolebant Patres Francofordienses, tum quia apud suas Ecclesias alia vigebat disciplina; tum quia etiam his ritibus, seu externis honorariis signis, solus Deus apud ipsos id ætatis colebatur; tum quia denique, formidabant, ne hic modus colendi Imagines a Synodo Nicæna secunda præfixus, progressu temporis superstitiosus & periculosus evaderet propter abusum imperitorum, quibus præbere poterat occasionem errandi. Unde patet, Episcopos Concilii Francofordiensis penes variam disciplinam, non autem quoad ipsum fidei dogma, cum secunda Nicæna Synodo, quæ est septima generalis, pugnasse. Hanc fuisse genuinam Patrum Concilii Francofordiensis mentem, magis liquebit ex his, quæ dicturus sum in Colloquio quarto in Historiam noni Ecclesiæ sæculi, ubi agendo de Concilio Parisiensi sub *Ludovico Pio* in causa Imaginum anno DCCCXXV. convocato, explicabo cum doctissimo *Mabillonio* doctrinam Gallorum circa cultum Imaginum.

D. Septima Synodus generalis, seu Nicæna secunda, præter illas septem Actiones, seu Sessiones, quibus profligavit Iconomachorum Hæresim, ediditne aliquot Canones?

M. Septima Synodus generalis ad restaurandam Ecclesiasticam disciplinam, quæ, grassante Iconoclastarum Hæresi, collapsa fuerat, viginti duos edidit Canones, quorum primus confirmat omnes Canones cum Apostolicos, tum a sex prioribus universalibus Conciliis, & a localibus Synodis conditos. Hic tamen Canon non est approbatus ab Ecclesia Romana, quæ non omnes Canones Apostolicos, sed tantum quinquaginta ex eis agnoscit & recipit, nec tres Concilii Constantinopolitani primi Canones, nec Chalcedonensis Concilii vicesimum octavum, nec Synodi Trullanæ Canones unquam probavit. Canon secundus septimæ Synodi generalis statuit, ut nemo deinceps in Episcopum ordinetur, nisi Psalterium bene noverit, & Sacros Canones, Evangelium, Epistolas Sancti Pauli, & ad omnem Scripturam legendam, parato, promptoque sit animo. Canon tertius omnem electionem Episcopi, Presbyteri, & Diaconi a Principibus factam rescindit & irritam manere declarat. Canon IV. vetat Episcopis, ne aurum vel argentum, aut quævis munera alia a Clericis, vel Monachis sibi subditis exigant. Canon V. punit eos, qui facultates suas vel integras, vel ipsarum partem, Ecclesiæ dederant, pro qua fuerant ordinati, & propterea insuperbientes pauperibus, ob virtutem a Spiritu Sancto electis insultabant, jubetque eos ultimum sui ordinis locum tenere; si vero superbiæ specimen dare pergant, inflicta quoque pœna eos corrigi & emendari decernit. Canon VI. Synodos Provinciales, quæ bis in anno fieri decreverat Nicænum, semel saltem in anno celebrari præcipit, Principes vero, qui id prohibuerint, communione privat. Canon VII. jubet, ut Sanctorum Reliquiæ in Templis collocentur, & deponendum esse declarat Episcopum, qui deinceps Templa absque Sanctis Reliquiis consecraverit. Canon VIII. definit, Judæos, qui, suscepto baptismo, Christianos se fingunt, & clam judaizant, non esse in Ecclesiam suscipiendos, nec eorum pueros baptizandos, nec servos emendos. Hic Canon ab Ecclesia Romana non est approbatus. Canon IX. districte prohibet, ne Hæreticorum scripta, seu libri contra Sanctas Imagines editi, retineantur. Canon X. Clericos illos deponit, qui propria relicta Parochia, ad aliam migrant. Canon XI. servari præcipit Canonem vigesimum sextum Concilii Chalcedonensis de instituendo Œconomo in singulis Ecclesiis ac Monasteriis. Canon XII. Episcopos & Abbates, suæ Ecclesiæ, vel Monasterii alienantes, aut dissipantes bona, deponi mandat. Canon XIII. Monasteria Deo dicata, Sæcularium habitacula, seu domicilia fieri vetat. Canon XIV. prohibet, ne hi, qui a pueritia Clericali tonsura sunt insigniti, & Lectores ab Episcopo necdum sunt ordinati, in Missa & Sacris Officiis ad Ambonem legant, etiam in Monasteriis. Canon XV. Clericum duabus in Ecclesiis collocari, seu plura possidere beneficia inhibet. Canon XVI. Episcopos, Clericos, qui se pretiosis & serica textura variatis exornant vestibus, corrigi jubet & pu-

puniri. Canon XVII. prohibet Clericis, & Monachis, ne nova iuchoent Oratoria, aut Monasteria, nisi sumptus necessarios habeant ad illa perficienda. Canon XVIII. fœminas in Ædibus Episcoporum, vel virorum Monasteriis versari vetat, ut omnis pravæ suspicionis tollatur occasio. Canon XIX. Simoniam Episcoporum, Abbatum, & Abbatissarum avaritiam castigat, munus aliquod, ac pretium ab his exigentium, qui ad Sacerdotalem ordinem promoventur, vel ad vitam Monasticam accedunt. Canon XX. duplicia Monasteria, Monachorum & Sanctimonialium fieri vetat, iis tamen exceptis Monasteriis, quæ sub Sancti Basilii Regula militant, quia eorum structura & disciplina nullis pravis suspicionibus locum præbet. Canon XXI. Monachis & Monialibus propriis relictis Monasteriis, ad alia se transferre prohibet. Canon XXII. commendat in Christianorum conviviis modestiam, & ab illis arceri jubet eos, qui lyris, & cytharis, aliisque instrumentis musicis, & meretriciis cantionibus animas emolliunt; Clericos vero ac Monachos cum mulieribus etiam cognatis secreto manducare non sinit. Hi sunt viginti duo Canones, quos in rem disciplinæ Ecclesiasticæ condidit septima Synodus generalis, quæ dicitur Nicæna secunda, quorum explicatio legi potest apud *Christianum Lupum* in Scholiis & Notis ad septimam Synodum.

D. Circa Concilium Francofordiense, quod celebratum est anno DCCXCIV. tria me hactenus docuisti, quæ memoria complector, videlicet, in eo damnatam fuisse Hæresim *Felicis* Urgellitani Episcopi, & *Elipandi* Antistitis Toletani, qui asserebant, Christum esse filium Dei adoptivum, deinde, actum esse in eodem Concilio de cultu Imaginum, ac denique, Patres istius Concilii Francofordiensis non discrepasse a Synodo Nicæna secunda quantum ad dogma fidei, de cultu scilicet, qui Sanctis Imaginibus debetur, sed tantum quoad disciplinam, seu modum colendi Imagines a Synodo Nicæna secunda proscriptum. Superest nunc, ut sciam numerum Episcoporum, qui huic Concilio Francofordiensi interfuerunt, & quot Canones in ipso editi fuerint.

M. Concilium Francofordiense coram *Carolo* Magno, præsentibus *Theophilacto*, & *Stephano* Legatis *Hadriani* Summi Pontificis, anno, quem indicasti, DCCXCIV. in Festo Paschatis a trecentis circiter Episcopis ex Germania, Gallia, & Italia habitum est. In eo conditi sunt quinquaginta sex Canones, ad mores præcipue & disciplinam Ecclesiæ spectantes, quos primus, post Baronii mortem, publicavit doctissimus *Sirmondus*. Antea enim duo tantum prodierant Canones, quorum primus damnat *Felicem*, & *Elipandum* Episcopos, qui in Christo Dei Filio adoptionem adserebant. Secundus Canon Concilii Francofordiensis est de adoratione Imaginum, quem supra retulimus. Alii ad morum & disciplinæ reformationem pertinent. Extant nunc quinquaginta sex illi Canones Concilii Francofordiensis tomo VII. Conciliorum. Consulendus etiam est *Carolus Cointius* tomo VII. Annalium Ecclesiæ Francorum, ubi de hoc Concilio Francofordiensi, de Epistolis in causa Feliciana scriptis, & de LVI. Canonibus in eo editis, erudite disserit.

D. Numquid alia ad proscribendas *Iconoclastarum*, atque *Felicis*, & *Elipandi* Hæreses octavo Ecclesiæ sæculo celebrata sunt Concilia?

M. *Iconoclastarum*, necnon *Felicis*, & *Elipandi* Hæreses octavo Ecclesiæ sæculo confixæ sunt in aliis particularibus Synodis, quarum, cum in præcedenti Colloquio mentionem fecerim, superfluum omnino esset eas recensere, & crambem recoctam obtrudere. Solum hic obiter observabo, regnante in Galliis Pippino, Synodum apud *Gentiliacum*, quod vix una leuca Parisiis distat, habitam fuisse anno DCCLXVII. in qua, teste *Adone* in Chronico, duæ propositæ sunt quæstiones, quarum prima hæc erat: *Utrum videlicet fingendæ ac pingendæ essent Sanctorum Imagines in Templis?* Altera: *Utrum Spiritus Sanctus, sicut procedit a Patre, ita procedat a Filio?* Hujusce quæstionis de processione Spiritus Sancti a Filio in hoc Concilio Gentiliaco excitatæ hanc causam assignant viri eruditi. Tum temporis Occidentales, seu Latini appellabant Græcos Hæreticos ob Hæresim Iconoclastarum, qua erant infecti; Græci vero, ut clavum clavo truderent, Occidentales, seu Latinos, vocabant Hæreticos, eo quod Latini Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere assererent. Hinc *Pippinus* Rex Synodum Gentiliacensem convocandam duxit, ut Episcoporum judicio utraque dirimeretur quæstio. Non est dubium, quin in hac Gentiliacensi Synodo errores Græcorum improbati ac proscripti fuerint, licet hujusce Synodi nihil ad nos, invidente fato, pervenerit.

D. Quotnam Concilia Nationalia octavo sæculo ad collapsam Ecclesiæ restaurandam disciplinam fuere in occidente convocata?

M. In Hispaniis octavo Ecclesiæ sæculo unicum dumtaxat Concilium Toletanum, seu decimum octavum, regnante *Witiza* anno DCCI. fuit celebratum, cujus tamen acta ad nostra usque tempora conservari non meruere, quia plura in hoc Concilio Capita Ecclesiasticæ disciplinæ contraria sancita sunt. Hoc fuit ultimum omnium Conciliorum Toleti celebratorum, immo, hoc excepto Concilio Toletano decimo octavo, nullas Synodos per integrum octavum sæculum in Hispaniis habitas fuisse observat eruditus Cardinalis *de Aguirre* Tomo III. Concil. Hispaniæ, ad quem defectum quadantenus resarciendum, quamplurima idem doctissimus Cardinalis venerandæ vetustatis monumenta vel hactenus inedita, vel quæ non ubique occurrunt, in eodem tomo publici juris fecit. Alia Concilia Nationalia, quæ octavo sæculo ad redintegrandam Ecclesiæ labefactatam disciplinam, breviter hic juxta ordinem Chronologicum indicabo.

Anno DCCXLII. XI. Kal. Maii Concilium Germanicum I. loco incerto celebratum est, Præside S. Bonifacio Archiepiscopo, & Germaniæ Apostolo. In eo restituendam Ecclesiæ disciplinam, quæ sub *Carolo Martello* Majore Domus Re-

Regiæ multas in Galliis, & in Germania clades passa fuerat, conditi sunt Canones XIX. in quibus multa statuuntur de Episcopis per Civitates ordinandis, de Synodis per singulos annos celebrandis, de antiquis Canonibus restaurandis, de Presbyteris adulteris, & Clericis in fornicationem lapsis, & de aliis id genus Ecclesiasticæ disciplinæ Capitibus. Hos novendecim Canones eruditis illustravit Notis Clarissimus *Carolus Cointius* tomo v. Annalium Ecclesiæ Francorum ad annum DCCXLIII. ad quam refert celebrationem hujusce Concilii.

Anno DCCXLIII. habitum est *Liptinense* Concilium prope Cameracum sub *Carolomanno* Majore Domus Regiæ congregatum Kal. Martiis a S. Bonifacio Archiepiscopo. In eo duo Hæretici *Adalbertus* Gallus, & *Clemens* Scotus damnati sunt, gesta in Synodo Germanica confirmata, de variis rebus Ecclesiasticis & Monasticis consultum, conditique quatuor Canones, qui extant cum Notis *Labbei*, *Sirmondi*, & *Binii* tomo IV. Concil. Eosdem etiam Canones Notis suis elucidavit *Carolus Cointius* tomo v. Annal. Ecclesiæ Francorum ad annum DCCXLIV. ad quem rejicit istius Concilii convocationem. (*a*)

„ (*a*) Præter quatuor illos Canones ex Con„ cilio Liptinensi excusos in vulgatis collectioni„ bus Conciliorum, alios geminos ego dedi in „ meo conciliorum supplemento acceptos ex Ful„ berti Carnotensis Epistola XXXIII. ad Leute„ rum, quorum primus fert si ex conjugibus al„ ter alterius filium in confirmatione tenuerit, „ invicem separentur. Secundus vero mandat ne „ quis ducat in uxorem illam cujus filium in Ba„ ptismo tenuerit.

Anno DCCXLIV. indictum est Concilium *Suessionense* in Galliis, cujus extant de disciplina Ecclesiastica Canones X. quorum primo statuitur, Fidem Nicænam & antiquos Canones promulgandos & observandos esse. Decem istius Concilii Canones cum Notis *Sirmondi* extant tomo IV. Concil. & ad eos elucidandos plura adducit *Carolus Cointius* tomo v. Annal. Eccl. Francorum, ad annum DCCXLV. quo anno istam Synodum celebratam esse opinatur.

Anno DCCXLV. a S. *Bonifacio* Summi Pontificis Legato, congregatum est Conc. Germanicum II. in quo damnatis *Adalberto*, & *Clemente* hæreticis, necnon *Gervillone* Episcopo Moguntino, ob homicidii, quod commiserat, scelus, Episcopali Sede deposito, *S. Bonifacius*, qui Archiepiscopatum Regionarium per totam Germaniam, nulla certa assignata Sede hactenus exercuerat, primus Moguntinus Archiepiscopus inauguratus est. Extant Acta Synodalia tomo VI. Concil.

Anno DCCLII. celebratum est Concilium *Vermeriense* in Diœcesi Suessionensi in Galliis in Palatio Regio, præsente *Pippino* Galliarum Rege; in quo de incestu, Fornicatione, & Adulterio præcipue actum est. Extant Canones XXI. ab hoc Concilio editi cum Notis *Sirmondi* tom. VI. Conc. *Carolus* etiam *Cointius* eosdem Canones Notis suis illustravit, tomo V. Annal. Eccl. Francorum.

Anno DCCLV. coactum est Concilium *Vernense* in Galliis ad Sequanam fluvium in Palatio *Pippini* Galliarum Regis, in quo conditi sunt Canones viginti quinque disciplinæ Ecclesiasticæ apprime utiles, qui cum Notis *Sirmondi* tomo VI. Concil. & a *Carolo Cointio* Notis itidem explicantur tomo V. Annalium Eccl. Francorum.

Anno DCCLVI. habitum est Concilium *Compediense* in Galliis, in quo confecti sunt duodeviginti Canones, qui omnes ferme spectant matrimonium, videlicet gradus consanguinitatis, Fornicationem, &c. extant hi Canones cum Notis Sirmondi tom. VI. Concil. & apud *Carolum Cointium* tom. V. Annalium Eccl. Francorum, ubi eos Notis suis explanavit.

Anno DCCLXXXIX. indictum est sub *Carolo Magno* Imperatore, Concilium *Aquisgranense I.* cujus de disciplina, & de bono Ecclesiæ Regimine Capitula LXXXII. extant sub titulo *Capitularis Aquisgranensis* tomo VII. Concil.

Anno DCCXCI. congregatum est, sicut luculenter ostendit Clarissimus *Cointius*, Concilium *Narbonense* in Galliis, in quo limites Sedis Narbonensis constituti sunt. Hujus Synodi Acta extant tomo VI. Concil. & apud *Carolum Cointium* tomo VI. Annalium Eccl. Francorum, ubi de lite in hac Synodo agitata, deque singulis subscriptionibus Episcoporum pluribus agit.

Anno DCCXCV. ut asserit *Cointius*, anno DCCXCVI. sicut videtur *Pagio*, celebratum est *a Paulino* Patriarcha Aquilejensi Concilium *Forojuliense* in Ditione Veneta, in quo actum est adversus eos, qui variis impliciti erroribus, de Mysterio Sanctissimæ Trinitatis, ac præsertim de processione Spiritus Sancti non recte sentiebant. Actum est etiam adversus eos, *qui in duos videntur Filios, unum Christum Dei filium dividere, dum illum naturalem, & adoptivum affirmare moliuntur*, inquit *Paulinus* in sua Oratione ad Comprovinciales Episcopos. Quibus verbis ostendit *Paulinus*, istud Concilium Forojuliense congregatum non fuisse adversus *Felicem* Urgellitanum, ut pervulgata fert opinio, sed generatim adversus *Ebionitas*, *Nestorianos*, aliosque id genus hæreticos, in sacrum Incarnationis Mysterium insurgentes. Conditi sunt in hocce Concilio Forojuliensi Canones quatuordecim, qui omnes ad disciplinam Ecclesiasticam spectant, hique legi possunt apud nostrum *Natalem Alexandrum* sæculo Ecclesiæ octavo, & apud *Carolum Cointium* tomo VI. Annalium Ecclesiæ Francorum, ad annum DCCXCV.

„ (*a*) Hujus Forojuliensis Concilii Synodi„ cam ego in nova Conciliorum editione quæ „ Venetiis per hos annos producitur, esse de„ monstravi epistolam, quam alii Altinensi „ Concilio adscribunt decepti ex depravata e„ jusdem Synodicæ lectione a Baluzio evulga„ ta. Quo enim loco vera lectio vaticani co„ dicis, a me consulti, fert: *hac, cui Deo au„ ctore deservio, Sede concilium habitum al„ ti fuisse sub nomine Regis &c.* Baluzius „ in suo codice maxime vitiato, ut ex

D 4 „ totius

„ totius epistolæ serie satis constat, pro *alti* legit *altini*; atque ita ex vitiata lectione concilium novum insurrexit, de quo in vetustis codicibus nihil.

Anno DCCXCVII. habitum est Concilium *Aquisgranense II.* regnante Carolo Magno. Extat *Capitulare* de rebus Regni, & Ecclesiæ in hoc Concilio editum, complectens undecim Capitula, tomo VII. Conciliorum.

D. Percensuistine omnia Concilia, quæ in Occidente octavo sæculo habita sunt, & in quibus restaurata est Ecclesiæ disciplina.

M. His Conciliis, quæ hactenus percensui, duo alia addi possunt, quorum unum, videlicet *Clovesbuviense* anno DCCXLVII. in Anglia celebratum est a *Cuthberto* Cantuariensi Episcopo, regnante *Æthelbaldo* Merciorum Rege: in hoc Concilio de unitate Ecclesiæ, de statu Christianæ Religionis, de pace, & concordia promovendis actum est, conditique sunt triginta Canones, qui legi possunt tomo VI. Concil. & apud nostrum *Natalem Alexandrum* octavo sæculo. (*a*) Alterum Concilium est *Diglovienſe* in Bajoaria, seu Bavaria anno DCCLXXI. *Thassillonis* Bajoariorum Ducis cura, & consilio congregatum, in quo ad morum, & disciplinæ reformationem, necnon ad publici Regiminis conservationem, edita sunt Capitula XIII. quæ Notis illustrantur a *Carolo Cointio* Tom. v. Annal. Eccl. Francorum. Sed de Conciliis tam Generalibus, quam Nationalibus, quæ sæculis septimo, & octavo fuerunt celebrata, hæc molli brachio attigisse, sat, superque sufficiat.

„ (*a*) Concilii hujus subscriptiones, numquam antehac editas, ex MS. Codice Anglicano evulgavit David Wilkins in novissima Britannicorum Conciliorum editione.

COLLOQUIUM V.

De Scriptoribus Ecclesiasticis, qui sæcula septimum, & octavum doctrina, & pietate illustrarunt.

D. AD perfectam, absolutamque Historiæ Ecclesiasticæ notitiam nemo, ut sæpius a te audivi, attingere potest, nisi accurate Opera Scriptorum Ecclesiasticorum dignoscat, genuina ab adulterinis, juxta certas Disciplinæ Critices regulas, secernere sciat, notumque præfigere tempus, quo Viri illi doctrina, & pietate illustres in Ecclesia floruerunt. Quapropter, te nunc de Scriptoribus Ecclesiasticis, qui sæculis septimo, & octavo præfulserunt, differentem perlubenti animo auscultabo.

M. Agedum, incipiamus a Scriptoribus Ecclesiasticis, qui septimum Ecclesiæ sæculum in Oriente illustrarunt. In primis, septimo ineunte Ecclesiæ sæculo *Hesychius*, seu, ut alii dicunt, *Isichius*, Patriarcha Hierosolymitanus scripsit *in Leviticum* libros septem, qui latine prodierunt Basileæ anno MDXXVII. & Parisiis anno MDLXXXI. in quibus juxta vulgatam Scripturæ Sacræ Versionem a Sancto Hieronymo concinnatam, Hesychius præclare reserat Mysteria sub Cæremoniarum Mosaicarum cortice latentia (*a*). Extant ejusdem Hesychii Sermones nonnulli, Homiliæ, variaque Opera Ascetica. Verum, cum plures extiterint *Hesychii* tum apud Græcos, tum apud Latinos, certo affirmare non ausim, omnia Opera, quæ nunc sub Hesychii nomine circumferuntur, edita fuisse ab Hesychio Hierosolymorum Patriarcha. Legendus est super hac re *Labbæus* in Dissertatione *de Scriptoribus Ecclesiasticis*; ubi de pluribus *Hesychiis*, & de Operibus, quæ ipsis attribuuntur, variorum sententias accurate recenset. Circa initium ejusdem septimi Ecclesiæ sæculi claruit in Oriente *Eusebius* Episcopus Thessalonicensis, qui duo egregia Opera edidit, in quibus falsa dogmata Hæreticorum *Aphtardocetarum*, qui Corpus Christi semper fuisse incorruptibile dictitabant, funditus evertit, & Catholicam veritatem solide stabilivit. Extant excerpta, seu fragmenta utriusque Operis a laudato Eusebio editi, apud Photium in Biblioth. Codice CLXII. Sub initium ejusdem septimi sæculi complures libros composuit *Joannes* a studiorum assiduitate dictus *Philoponus* Patria Alexandrinus, arte Grammaticus peritus, qui tamen Scriptorum Ecclesiasticorum Catalogo accenseri haud debet, quia, etsi magnam sibi comparaverit gloriam, dum adversus *Proclum Lycium* pro Christiana Religione scripsit, postea tamen suo plus æquo indulgens ingenio, multa impia dogmata propalavit. Nam primum cum Hæreticis Monothelitis unicam in Christo naturam admisit, & Concilium Chalcedonense rejecit. Deinde tres in Deo naturas, seu substantias esse docuit, unde *Tritheitarum* Sectæ Auctor & Princeps dictus est, ut testatur *Leontius* in Libro de Sectis, Actione V. Insuper corporum resurrectionem negavit, aliosque errores temere in vulgus sparsit. Deperdita sunt aliquot *Joannis Philoni* Opera, quorum fragmenta quædam refert *Photius* in Bibliotheca Cod. XXI. LV. LXXV. CCXV. CCXL. Inter Opera vero ejusdem *Joannis Philoponi* Philosophica, quæ etiamnum extant Græco-Latine excusa, duo sunt opuscula, quæ *Balthasar Corderius* anno MDCXXX. Viennæ Græco-Latine edidit, quorum primum est *de Creatione Mundi*, seu Commentarius est in Caput I. Geneseos. Alterum continet *Disputationem de Paschate*. Sed de Joannis Philoponi Operibus legendus est *Casimirus Oudinus*, qui illa accurate recenset in supplemento de Scriptoribus Ecclesiasticis a Bellarmino omissis. (*b*) Satis hic observasse sufficiat, deliramenta Joannis Philoponi fuisse confutata non solum a *Theodosio* Monacho, in libro, qui temporum injuria periit, & cujus meminit *Photius* Codice XXII. & a *Nicia* itidem Monacho in libris, quorum meminit idem Photius Codice L. sed etiam acriter oppugnata esse a duobus Scriptoribus, qui antea fuerant ejus discipuli, videlicet *Conone* & *Eugenio* in libris, qui amplius non extant. *Nicias* Monachus, mox a me laudatus, præter Opera, quæ adver-

adversus Joannem Philoponum composuit, scriptionibus etiam Hæreticum *Severum* aggressus est, & Gentilium errores libris duobus impugnavit, ut videre est apud *Photium* Cod. L. *Themistius* Severianorum, Theopaschitarum, & Agnoetarum Sectarius scripsit Orationem invectivam contra Joannis Philoponi errorem *de resurrectione carnis*, libellum etiam composuit Apologeticum pro secta Agnoetarum. Hunc librum Apologeticum a Themistio scriptum confutavit *Theodorus* Monachus Alexandrinus Severianorum, Theopaschitarum & Theodosianorum Hæresis defensor, cui ut vices tependeret *Themistius*, aliud peculiare opus in Theodorum publicavit, quod postea a *Theodoro* tribus editis libris confutatum est. Verum, ejusmodi Opera, quorum meminit *Photius* Codice CVII. ad nos usque non pervenerunt. *Antiochus* Monachus Palæstinus in celeberrimo S. *Sabæ* Monasterio, *Laura* dicto, scripsit *Pandectem divinæ Scripturæ*, seu *Compendium totius Religionis Christianæ & sacrarum Scripturarum doctrinæ*, *Homiliis CXXX. comprehensum*. Homilias istas a se latine versas primus in lucem dedit *Godefridus Tilmannus* in Bibliotheca Patrum Parisiensi anno MDLXXV. Sed postea Græcum textum una cum Tilmanni latina versione, dedit *Fronto Ducæus* anno MDCXXIV. Extat adhuc Homilia, quam *Joannes* Thessalonicensis, & *Gregorius* Antiochenus scripserunt in mulieres unguenta ferentes ad condiendum Corpus Christi Domini. Tres quoque Homilias de eodem argumento, seu in mulieres unguenta ferentes, & in occursum Domini & Simeonis composuit *Modestus* Patriarcha Hierosolymitanus, quarum fragmenta dat *Photius* Codice CCLXXV (*c*). Vitam S. Joannis Chrysostomi scripsit *Georgius* Patriarcha Alexandrinus & successor Sancti *Joannis Eleemosynarii*, cujus Photius excerpta quædam exhibet Codice XCVI. eaque græce scripta habetur in Editione græca Operum S. Joannis Chrysostomi, adornata ab *Henrico Savillio*. Fastos Siculos, seu Chronicon Alexandrinum huic Georgio Patriarchæ Alexandrino tribuit *Casimirus Oudinus* in supplemento de Scriptoribus Ecclesiasticis a Bellarmino omissis, lis tamen adhuc sub judice est, & necdum constat, quisnam Auctor sit Fastorum Siculorum, seu Chronici Alexandrini. Hoc unum certum est, prædictum Chronicon Alexandrinum, quod ab orbe condito ad annum vicesimum Imperatoris Heraclii, idest, usque ad annum DCXXIX. productum est, fœtum esse alicujus Scriptoris septimi Ecclesiæ sæculi. Vocatur autem *Chronicon* Alexandrinum, quia ejus præfatiuncula nomen *Petri* Patriarchæ Alexandrini habet adscriptum. Fasti Consulares ex eo Chronico deprompti nuncupati sunt ab *Onuphrio Panuinio*, *Fasti Siculi*, quia hoc Chronicon in Sicilia primum repertum fuit ab *Hieronymo Surita*, & opera *Antonii Augustini* Auditoris Rotæ advectum Romam, deinde vulgatum a Patre *Radero* Soc. Jesu anno MDCXV. & a Domino *Du-Cange* denuo editum sub hoc titulo: *Chronicon Paschale*. Continuam Consulum seriem non modo exhibet Chronicon istud Alexandrinum, sed & plura complectitur venerandæ vetustatis monumenta, quo fit, ut apud Viros eruditos magnum obtineat auctoritatis pondus. *Joannes Moschus*, dictus *Eucrates*, & non, ut alii volunt, *Eviratus*, floruit septimo sæculo in Oriente, fuitque Auctor libri, qui inscribitur: *Pratum spirituale*, quem nuncupavit *Sophronio* Hierosolymorum Episcopo, qui ejus in vita Ascetica discipulus fuerat, individuus peregrinationum Comes, ac rerum, quæ in eo narrantur, plurimarum locupletissimus testis. Eo in libro *Joannes Moschus* simplici stylo describit vitam, jejunia, modestiam, paupertatem, obedientiam, gesta, apophthegmata, miracula insignia Ascetarum, seu Monachorum, quorum virtutes ac præclare gestas partim a se visas, partim ab aliis auditu acceptas undique conquisiverat. *Georgius Pisides* Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus & Carthophilax scripsit *Carmen Jambicum in Hexameron*, & *Historiam rerum gestarum ab Imperatore Heraclio*, aliaque complura Opera, quæ ad nos usque non pervenerunt. *Sophronius* Hierosolymorum Episcopus, & Fidei Catholicæ adversus Monothelitas acerrimus defensor, aliquot orationes, & Vitam *Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ* Pœnitentis scripsit. Sophronio coævus fuit *Andreas*, cognominatus *Hierosolymitanus*, quod Monasticam Vitam Hierosolymis coluerit, patria tamen fuit Damascenus, & Archiepiscopus Cretensis, qui septemdecim composuit Homilias, seu Orationes, præcipue in Salutationem Angelicam, in Exaltationem Sanctæ Crucis, in Mariam Ægyptiacam &c. quas cum aliis ejusdem Auctoris Opusculis in lucem eruit, & cum doctissimis Notis edi curavit doctissimus noster *Combefisius*.

„ (*a*) Quamquam Hesychius iste (quicunque „ tandem ille fuerit, sive Patriarcha Hierosolymitanus, sive tantum Presbyter, quo se titulo „ distinguit in Prologo ad Commentarium in Leviticum) versionem S. Hieronymi in eodem „ commentario sequitur, persæpe tamen & interpretatione Septuaginta, Theodotionis ac „ Symmachi utitur, quos & nomine laudat. „ Viderint tamen docti, num operi isti, si Græci auctoris esset (quem Græce scripsisse par „ est credamus), usus versionis Hieronymianæ „ convenisse credendus sit. Ex qua conjectura „ ego auctorem hujus commentarii Hesychium alterum quam Hierosolymitanum suspicor.

„ (*b*) Joannes Philoponus vulgo creditur Auctor „ hæresis Tritheitarum. Verum Abulfaragius in sua „ historia, cujus excerpta dedit Assemanus Biblioth. Orient. Tom. I. pag. 328. testatur „ hæresis illius originem repetendam esse ex Joanne Ascusnaghe (ut is fundum) ex quo Joannem Grammaticum, idest Philoponum profecisse testatur. Florebat autem Ascusnaghes eodem quo Philoponus tempore.

„ (*c*) Encomium S. Modesti Archiepiscopi „ Hierosolymitani, cujus excerptum dedit Photius, modo integrum habemus græce, & latine „ typis Romanis excusum anno 1760. Illius ob- „ tinen-

„ tinendi e codice Sangermanenfi curam fibi af-
„ fumpfit Vir laudatiffimæ vitæ, & doctrinæ
„ D. Petrus Philippus Strozza, Liberianæ Bafi-
„ licæ Canonicus meritiffimus, interpretatio ve-
„ ro, & notæ debentur ampliffimo ac in utra-
„ que lingua doctiffimo Præfuli D. Michaeli An-
„ gelo Jacomelli.

Verum, ut cordate fatear; horumce Scriptorum Græcorum, quos hactenus memoravi, facile Princeps eft Sanctus *Maximus* Abbas, egregius Fidei Catholicæ propugnator. Is antiqua nobilitate ortus ab Imperatore *Heraclio* in Aulam accitus eft, ubi aliquamdiu Imperatori fuit a fecretis. At Heraclio in Hærefim Monothelitarum lapfo, Aulam deferuit, & in Monafterium *Chryfopolim* dictum, fecеffit, ejufque Præfecturam fufcipere a Monachis coactus eft. Cum vero Monothelitarum Hærefim in Oriente paffim triumphare ægre cerneret, & aliunde territus Perfarum per omnia fere Orientis loca graffantium metu, in Africam profectus eft, ubi contra Monothelitas magno animi æftu decertavit, *Pyrrhum* infignem Monothelitam publica difputatione erroris convicit, authorque fuit Epifcopis Africanis, necnon *Martino* hujus nominis Primo Romano Pontifici, ut illos hæreticos penitus exterminarent. Dum fic hæreticæ pravitati graviter refifteret *Maximus*, juffu *Conftantis* Imperatoris Monothelitarum Hærefis fautoris militari manu Roma Conftantinopolim abductus eft an. DCLIII. & in carcerem conjectus. Deinde, exilio damnatus, *Bizyam* Thraciæ Oppidum relegatus eft, ubi cum *Theodofio* Bithyniæ Epifcopo difputationem habuit, & Monothelitarum Hærefim ardentiffimo zelo oppugnavit. Quapropter, cum nullis dolis, nullisve minis flecti poffet Vir fanctiffimus, Imperatoris *Conftantis* mandato, *Perberim* deportatus eft anno DCLVI. indeque in Lazicorum Regionem miffus, & inclufus in Caftro *Schemari* in Confinio Alanorum, verberibus cæfus, linguæ & dexteræ manus abfciffione pro Fide Catholica vexatus animam tot malis exagitatam Cælo reddidit die XIII. menfis Augufti anni DCLXII. Opera Sancti *Maximi* duobus tomis in folio comprehenfa publica luce cum doctiffimis Notis donavit nofter *Combefifius*. Poft biennium ab obitu Sancti *Maximi*, hoc eft, anno DCLXIV. *Anaftafius* Difcipulus S. Maximi, illiufque calamitatum, itinerum, & exiliorum per integrum decennium comes individuus, continuis anguftiis & ærumnis in exilio afflictus obdormivit in Domino. Scripfit hic *Anaftafius* Epiftolam contra Monothelitas, quæ latine extat inter Anaftafii collectanea a Sirmondo edita Parifiis Anno MDCXX. Reperitur etiam inter Sancti *Maximi* Opera Tom. I. *Theodorus* Presbyter Monafterii Raythuenfis, Sancti Maximi Synchronus & familiaris fuit, fcripfitque Epiftolam ad Sanctum *Maximum*, & Commentarium *de Incarnatione Chrifti adverfus Hærefes Manetis, Apollinarii, Theodori Mopfuefteni, Neftorii, Eutychis, Juliani Halicarnaffei, Severi, & aliorum*.

D. Hi funt igitur omnes Scriptores Græci, qui fæculo feptimo in Oriente floruerunt?

M. His, quos hactenus enumeravi, Scriptoribus Græcis accenferi poffunt *Joannes Malela* Patria Antiochenus, qui fcripfit Chronicon libris XVIII. comprehenfum ab Orbe condito, ufque ad obitum Imperatoris Juftiniani fenioris, quod fatis accuratum non eft, fed fabulis refertum. *Theophylactus* dictus *Simocatta*, patria Locrenfis res geftas *Mauricii* Imperatoris octo libris profecutus eft. *Dorothæus* Archimandrita Palæftinus edidit Inftructiones XXIV. Afceticas, feu Ethicas *de Vita recte & pie inftituenda*. Thalaffius Monachus fcripfit ad *Paulum* Presbyterum *de fincera Charitate, vera continentia, & mentis regimine fententiarum Hecantodas IV.* Ifaias Abbas viginti novem Homilias ad Monachos fuos fcripfit. *Leontius* Neapoleos in Cypro Epifcopus Vitam Sancti Joannis Eleemofynarii & aliquot Homilias compofuit. Mitto alios Scriptores Græcos, qui ad tantam nominis celebritatem haud pervenerunt, & quorum fcripta apud Viros eruditos non magnum habent authoritatis pondus.

D. Percenfe modo Viros illuftres, qui feptimum fæculum in Occidente doctrina & pietate nobilitarunt.

M. In Hifpaniis feptimo Ecclefiæ fæculo eruditione, & fanctimonia celebris fuit *S. Ifidorus* Epifcopus Hifpalenfis, qui *Severiani* Provinciæ Ducis filius fuit, & Nepos *Theodorici* Regis Italiæ. *Leandro* Hifpalenfis Ecclefiæ Præfuli, fratri fuo germano, fucceffit, feditque annos fere xl. ut teftatur Sanctus *Ildephonfus* ejus difcipulus, & ad Deum migravit anno DCXXXVI. Sancti Ifidori Vitam ab Auctore Anonymo fcriptam refert *Henfchenius* ad diem IV. Aprilis, qua colitur. Immenfæ lectionis, & multorum Operum Scriptor egregius fuit Sanctus Ifidorus. Liber ejus Etymologiarum, quem *Braulius* Cæfarauguftanus Epifcopus in viginti libros divifit, omnium pene artium & fcientiarum redundat elegantia, rerumque fcitu dignarum copia. Libri duo *Officiorum*, quos edidit, explicant præcipua difciplinæ capita, Officiorum Ecclefiafticorum Originem, & cur unumquodque in Ecclefia Dei peragatur. (*a*) Sed de Operibus a Sancto *Ifidoro* Hifpalenfi Epifcopo editis legendus eft *Labbeus* in Differtatione *de Scriptoribus Ecclefiafticis*. Peculiarem etiam Differtationem *de rebus, & fcriptis Sancti Ifidori Archiepifcopi Hifpalenfis* publici juris facturum fe pollicetur Cardinalis *de Aguirre* in notitia Conciliorum Hifpaniæ, quæ an typis edita adhuc fuerit, prorfus me latet, certe ad manus meas necdum pervenit. *Baronius* exiftimavit, Miffam Mozorabum ab Ifidoro Hifpalenfi Archiepifcopo fuiffe inftitutam, at fecus fenfit Cardinalis *Bona* lib. I. *de Rebus Liturgicis* cap. XI. ubi multis probat, Ifidorum non effe Auctorem illius Miffæ. Quod etiam probabilius effe arbitror, maxime cum nec *Braulius* Cæfarauguftanus Epifcopus, nec *Ildephonfus* Toletanus Antiftes Ifidoro familiares, ille in Elogio ipfius

ipsius Isidori, hic in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis nullam prorsus hujusce Operis adeo excellentis mentionem fecerint, aut Isidoro tribuendum esse, ne leviter quidem innuerint. Eodem septimo Ecclesiæ sæculo doctrina & sanctitate in Hispaniis inclytus fuit *Eugenius Junior* Toletanus Episcopus. Ejus Epigrammata, aliaque Opuscula doctissimus *Sirmondus* anno MDCXX. publicavit una cum *Dracontii* libellis duobus ab eodem *Eugenio* recognitis. Cardinalis *de Aguirre* in notitia Conciliorum Hispaniæ promittit, se in lucem editurum ex MS. Ecclesiæ Toletanæ ejusdem Eugenii Epistolam ad *Protasium* Archiepiscopum Tarraconensem. Post Eugenium, ad Sedem Toletanam anno DCLVII. provectus est *Ildephonsus* doctrina, & pietate insignis, de cujus Operibus legendus est *Labbeus* in Dissertatione *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, inter quæ reperitur libellus *de perpetua Virginitate Beatæ Mariæ*, qui quidem omnino distingui debet ab eo libro, quem *Paschasius Radbertus* edidit *de Partu Virginis*. Licet enim, ut præclare ostendit *Mabillonius* in Præfatione sæculi III. Benedictini Parte secunda, utriusque Scriptoris idem scopus sit, & fere idem argumentum; nihilosecius diversus fœtus est, diversa inscriptio, alii atque alii adversarii. Scripsit Sanctus *Ildephonsus* Archiepiscopus Toletanus contra *tres Infideles*, *Jovinianum*, *Helvidium*, *& Judæos*, qui Virginitatem Beatæ Mariæ sacrilego ore negabant, ut constat ex Epistolis *Quirici* Barcinonensis ejus æqualis, quæ extant in Tomo I. Spicilegii. Paschasius vero Radbertus scripsit contra *Fratres* (sic in Præfatione adversarios suos appellat) qui de Virginitate Matris Dei recte quidem sentiebant, sed modum partus Dominici non recte explicabant. Vita Sancti Ildephonsi descripta est a *Juliano*, & *Zixilane* Episcopis, eamque inseruit Mabillonius sæculo II. Benedictino, Bollandus quoque eamdem recitat ad diem XXII. mensis Januarii. Sub finem ejusdem sæculi septimi, idest, circa annum DCLXXX. Sedem Toletanam eximia pietate & singulari eruditione illustrare cœpit *Julianus*, qui præfuit pluribus Conciliis Toleti celebratis, videlicet XII. XIII. XIV. & XV. egregiaque condidit Opera, inter quæ tres libri sunt *de demonstratione sextæ ætatis adversus Judæos*, quos jussu *Ervigii* Hispaniarum Regis scripsit, eique nuncupavit Julianius. In his omni argumentorum genere probat, Jesum Christum esse verum Messiam, qui jam venit, omniaque in se Prophetarum adimplevit Oracula, ac subinde frustra a Judæis adhuc expectari Messiam. Sed de his libris, quos adversus Judæos, quorum tum temporis in Hispaniis non exiguus erat numerus, edidit Sanctus *Julianus*, & de aliis ejus Operibus legendus est *Labbeus* in Dissertatione *de Scriptoribus Ecclesiasticis*. Inter Viros illustres, qui septimo Ecclesiæ sæculo in Hispaniis floruerunt, jure, ac merito reponi debet *Tajo* Cæsaraugustanus Episcopus, qui concinnavit libros quinque sententiarum de rebus Theologicis, quorum maximam partem ex meris Sancti Gregorii Magni centonibus conflavit, Supplemento ex Sancti Augustini Operibus petito. Hæc sententiarum de rebus Theologicis ex Sanctis Patribus hausta collectio, omnium aliarum, quæ hactenus prodierunt, prima videtur, ad cujus normam postea *Petrus Lombardus* Parisiensis Episcopus, aliique similes sententiarum Patrum Collectiones condiderunt. Testatur doctissimus Mabillonius Tomo 2. Veterum Analectorum, se hanc *Tajonis* Cæsaraugustani Episcopi sententiarum Collectionem invenisse in Codice Bibliothecæ Thuaneæ descripto ante annos DCCC. Denique, inter præcipuos Hispaniæ viros, qui septimo Ecclesiæ sæculo claruerunt, optimo jure locum sibi vindicat *Fructuosus* Bracarensis Episcopus, quippe qui, præter plurima Monasteria a se constructa, duplicem Monachis præscripsit Regulam, quæ etiamnum extat. Ejusdem *Fructuosi* vita legi potest apud Mabillonium sæculo II. Benedictino, & apud Bollandum ad diem XVI. mensis Aprilis, quo colitur.

„ (*a*) Quamquam S. Braulium Cæsaraugustanum distinxisse constat opus Etymologiarum in libros viginti; adhuc tamen suspicor divisionem aliam authorem ipsum operis servasse; nam Codex perantiquus Bibliothecæ Malatestarum Cesenæ, scriptus sæculo eodem VII. quo & S. Isidorus vixit, in libros XXV. opus idem dispositum exhibet.

„ Liber Officiorum servatur in pervetusto Lucano Codice sæculi VIII., ubi & desunt duo postrema capita lib. II., quæ nec Hittorpius in sua Sylloge scriptorum de Catholicis Officiis edidit, eodemque, quo & apud illum, fine concluditur.

D. Alios percense Viros, qui septimum Ecclesiæ sæculum, doctrina & pietate in Occidente illustrarunt.

M. Bene multi ex Anglia & Hibernia septimo Ecclesiæ sæculo prodierunt Viri, qui magna Sanctitatis & eruditionis laude fuerunt toto orbe Christiano conspicui. Primas inter eos tenet *S. Columbanus*, cujus opera tam in Italia, quam in Galliis Monachismus late propagatus est. Hic, relicta Hibernia Insula, in Gallias anno DLXXXVI. venit, sicut in Vita *Sancti Vualdeberti* Abbatis Luxoviensis diserte ostendit Mabillonius sæculo II. Benedictino parte II. Sub initium septimi sæculi Sanctus Columbanus fundavit in Galliis Monasterium *Luxoviense*, & Monasterium *Bobiense* in Italia. Regulam, quam Monachi sequerentur, condidit, quæ etiamnum extat apud *Holstenium* in Codice veterum Regularum. Mabillonius Præfatione in sæculum II. Benedictinum late probat, Monasticum Sancti Columbani genus fuisse quidem principio diversum ac separatam a Benedictino, sed paulo post in unum demum vivendi genus, quibusdam ritibus detractis ac temperatis, coaluisse. Ritum, quem sequebantur Britones in celebrando Paschate Luna XIV. Sanctus Columbanus tribus defendit Epistolis, quarum

rum una dirigitur ad *Sanctum Gregorium* M. Altera ad *Sabinianum* Papam, tertia ad Galliarum Episcopos data est. Scripsit etiam Sanctus Columbanus prolixam Epistolam ad Bonifacium IV. Romanum Pontificem in gratiam defensorum Trium Capitulorum. Has Epistolas, aliaque Sancti Columbani Opuscula in lucem emisit, & Notis illustravit eruditus *Patricius Flaminius* anno MDCCXXXVII. Migravit ex hac vita Sanctus Columbanus die XI. Kalen. Decembris, seu die XXI. mensis Novembris anni DCXV. qua die in variis Martyrologiis ejus memoria recolitur. Ejus Vitam descripsit *Jonas* Monachus Bobiensis Synchronus auctor, quam cum diversis MSS. collatam Mabillonius sæculo II. Benedictino inseruit. Cum S. Columbano Evangelium in Germania prædicavit *Sanctus Gallus* Natione itidem Britannus, qui monasterium non longe ab Augia Insula construxit, quod hodie celeberrimum est, & *Sancti Galli* Oppido nobilitatum ad lacum Acronium in finibus Helvetiorum & Vindelicorum. Abbas hujusce Monasterii *Sancti Galli* locum obtinet inter Principes Imperii, & inter omnes Congregationis *Sancti Galli* Abbates præeminet. Vitam *Sancti Galli* Abbatis legesis apud Mabillonium sæculo II. Benedictino. Eodem sæculo septimo Angliam illustrarunt *Adamnanus* Abbas Hiensis in Scotia, qui tres edidit libros *de Vita Sancti Columbæ*, & tres alios libros *de locis Terræ Sanctæ*, quos Mabillonius parte II. sæculi III. Benedictini inseruit, eisque subjecit *Itinerarium* cujusdam Franci in loca sancta factum sæculo Ecclesiæ nono jam inclinante; *Godefridus* Abbas Wirumuthensis, qui scripsit prolixam Epistolam ad *Naitanum* Pictorum Regem *de Paschate & de Tonsura*; scripsit etiam Homilias & Epistolas, quas memorant *Baleus*, & *Pitseus*. His Ecclesiasticis Scriptoribus, qui septimo Ecclesiæ sæculo in Anglia celebres fuerunt, tres alii addi possunt, quorum primus est *Aldhelmus* Abbas Malmesburiensis, qui, præter librum *de laude Virginitatis* eximium, quem ad exemplum *Sedulii* Poetæ Christiani & versibus Hexametris & Prosa composuit, alia quamplurima præclara edidit Opera, quæ a *Baleo* & *Pitseo* recensentur. De Operibus etiam *Aldhelmi* legendus est *Willelmus* Malmesburiensis in ejus Vita, quæ tempore Baronii non extabat. Alter est *Cumeanus* Auctor libri *de Mensura Pœnitentiarum*, qui extat Tomo XII. Bibliothecæ maximæ Patrum Editionis Lugdunensis. (*a*). Postremus est *Theodorus* Cantuariensis Episcopus, qui licet Græcus esset, non immerito tamen inter Angliæ Scriptores connumerari potest, cum ubi Episcopali Infula exornatus floruerit. Scripsit autem *Theodorus* insigne *Pœnitentiale*, opus satis amplum, & omnibus ferme Pœnitentiæ casibus accommodatum, quod Manuscriptum asservatur in Bibliotheca Sancti Benedicti Cantabrigensi. Edidit præterea *Theodorus* Capitula Ecclesiastica, quæ Tomo VI. Editionis Labbeanæ Conciliorum leguntur. Mabillonius sæculo II. Benedictino Vitam Theodori Episcopi Cantuariensis ex variis Bedæ locis collectam exhibet, & egregiis, pro more suo, Notis illustrat. (*b*)

„ (*a*) De Cummiano est aliquid quod hic „ non sileatur. Cl. Muratorius in Antiquitatibus Italiæ medii Ævi tom. III. pag. 680. exhibet epitaphium ei positum à Joanne Magistro, quod hodie pariter servatur in Bobiensi Templo; in eo vero legitur venisse e Scotia, vitam prorogasse ad annos 90. e quibus in Monasterio omnes 21. egisse, ejusque sepulcrum a Luitprando Rege marmoribus decoratum fuisse. Depositionis dies signatur XIV. Kal. Septembris. Huic Cummiano facile debetur brevior vita Sancti Columbæ Abbatis, quam exhibent Bollandistæ ad diem IX. Junii, vocantque Cumineum Abbatem Hiensem.

„ (*b*) Theodori Pœnitentiale fere integrum „ evulgasse sibi visus est typis Parisiensibus Jacobus Petit; sed de ejus veritate dubitant Ballerini Fratres in dissertatione sæpius laudata parte IV. cap. VI. minime spernendis rationibus adducti. Ea de re late ego disserui in nova editione Conciliorum omnium, cujus volumen V. jam prodiit. Ibi vero me demonstrasse confido Pœnitentiale integrum Theodori jam lucem aspexisse, tum & illud, quod Spelmannus vidisse se asserit in Bibliot. S. Benedicti Cantabrigiensi, Pœnitentiale quidem esse Theodori, sed addititiis permultis insertum. Volumen, in quo hanc dissertationem inserui, propediem expectant eruditi.

D. Nihil hactenus dixisti de Scriptoribus Ecclesiasticis, qui septimo Ecclesiæ sæculo in Italia, Gallia, & Germania floruerunt, quos tamen silentio prætermittere haud debemus.

M. In Italia septimo Ecclesiæ sæculo doctrinæ & pietatis laude conspicuus fuit *Jonas* Cœnobii Bobiensis Monachus, qui Vitas scripsit Sancti Columbani Monasterii Bobiensis in Italia Primi Abbatis; Sancti *Eustasii* Secundi Abbatis Monasterii Luxoviensis in Galliis, Sancti *Attalæ* Secundi Abbatis Monasterii Bobiensis, Sancti *Bertulfi* Tertii Abbatis Monasterii Bobiensis, & Sanctæ *Burgundofaræ* Abbatissæ Eboriacensis Primæ. Has omnes Vitas a Jona descriptas exhibet doctissimus Mabillonius sæculo II. Benedictino. In Galliis vero eruditione & pietate excelluit septimo Ecclesiæ sæculo S. *Eligius* Noviomensis Episcopus, cujus Vita a Sancto Audoeno Rhotomagensi Archiepiscopo scripta legitur Tomo V. Spicilegii. Sexdecim etiam Homilias composuit Sanctus Eligius, quæ in Bibliotheca Patrum extant, & *Sermonem ad Plebem*, qui habetur in Appendice Tomi IX. Operum Sancti Augustini. (*a*) Cum Sancto Eligio amicitia junctus fuit Sanctus *Desiderius* Cadurcensis Episcopus in Galliis, qui duos scripsit Epistolarum libros, in quibus hæ Epistolæ, quas ad Episcopos, vel Abbates Gallicanos, qui ejus ætate doctrina, & sanctimonia præ ceteris eminebant, dederat, vel ab ipsis acceperat, continentur

San-

Sancti Desiderii Cadurcensis Episcopi. Extant illi duo Epistolarum libri in Bibliotheca Veterum Patrum. Auctor quidam Anonymus S. Desiderii Vitam descripsit, quæ extat apud *Labbeum* Tomo I. novæ Bibliothecæ, & ex qua intelligimus, plures in Galliis septimo Ecclesiæ sæculo fuisse Episcopos, & Abbates doctrina & pietate illustres cum quibus maxima Sancto Desiderio intercedebat necessitudo. Eodem circiter tempore, quo Sanctus Desiderius Cadurcensis Episcopus florebat in Galliis (a) *Marculphus* Monachus *Formularum Antiquarum* libros duos *Landerico* Parisiensi Episcopo nuncupavit, quos Clarissimus Dominus *Hieronymus Bignonius* in lucem edidit, iisque varias Appendices adjunxit. Post Bignonium easdem Marculphi *Formulas* eruditus *Baluzius* cum suis nævis in integrum restituit, aliasque subjecit, styli enim barbariem in Diplomatibus, Formulisque publicandis retinendam esse optime observat Mabillonius lib. 2. *de Re Diplomatica* cap. 2. Ex his Marculphi Formulis multa discimus Capita prisci juris & veterum morum, qui in Galliis sub prima Regum Dynastia vigebant. Denique, sæpe laudatus Mabillonius in Præfatione in sæculum II. Benedictinum multos percenset Monachos, qui sæculo Ecclesiæ septimo doctrina & pietate celebres periclitanti Ecclesiæ in Germania, Gallia, & Anglia opem tulerunt. Postquam enim doctissimus ille Scriptor hac in Præfatione tristem exhibuit in Oriente conditionem Ecclesiæ Imperatoris Mahumetis tyrannide, & Hæresum atque errorum procellis miserum in modum afflictæ, hæc deinde de loco, quo res Ecclesiæ septimo sæculo erant in Occidente, subjungit: *Neque tamen Occidentales, seu Aquilonares plagæ, ab suo quoque Contagio immunes erant. Gallia Paganos aliquos in locis, Corturiacenses, Tornacenses, Gandavenses, & finitimos populos sustinebat. Britannia Insula permixtos habebat Idololatras, Scotos seu Hibernos a Romanis ritibus de Paschate, deque Tonsura dissentientes patiebatur. Germania, Kiliano Winfrido, Rudperto, aliisque Ductoribus Evangelii lucem respicere cœpit, Bonifacium sæculo insequenti Apostolum habitura. Columbanus in Gallia Monasticum statum extulit, Eustasius, Agilus, Amandus, Audomarus, Remoclus, Wandragisilus, Filibertus mirifice propagarunt. Augustinus, Wilfridus, Cuthbertus, Benedictus Biscopus Britanniam, Fructuosus, & Hildephonsus Hispaniam Sanctorum Monachorum agminibus impleverunt*. Horumce Illustrium Monachorum Vitas a variis Auctoribus descriptas exhibet Mabillonius sæculo II. Benedictino, quod est septimum Ecclesiæ. Digitum ad fontem intendisse sufficiat.

„ (a) Communis est error vulgatas S. Eligii „ homilias numero esse tantummodo sexdecim, „ cum reipsa sint XVII. eo quod mendo typo- „ graphi ex illis una absque numero, qui tamen „ semper in aliis adnotatur, relicta sit. Sunt „ tamen ex illis quædam quæ merito a S. Eligio „ abjudicantur, cum loca nonnulla præferant ex „ S. Isidoro Hispalensi, Alcuino, & Haimone pe- „ tita. Certum ejus Eligii opus extat in appendice „ luminis sexti operum S. Augustini, inscriptum: „ *de restitudine Catholicæ conversationis*, quod „ etiam a S. Audoneo in vita ejusdem S. Eli- „ gii late describitur. Est autem collectio, seu, ut „ fere dixerim, promuscandus ab eo paratus, „ unde conciones suas ad populum habendas de- „ duceret, quod melius intelligitur ex titulo in „ codice MS. Sangermanensi illi præfixo: *Incipiunt sermones B. Eligii quos cum summo studio* „ *plebi præferebat &c.* Vide Histor. liter. Gallic. „ tom. III. pag. 599.

D. Absolvistine Catalogum Scriptorum Ecclesiasticorum, qui septimo sæculo Ecclesiam suis lucubrationibus illustrarunt?

M. Catalogum Scriptorum Ecclesiasticorum septimi sæculi claudet *Cresconius* Episcopus Africanus, qui claruit circa annum DCXC. binaque condidit Opera, quæ ad jus Canonicum pertinent, nempe *Breviarium Canonum*, in quo Conciliorum Canones, & Romanorum Pontificum Decreta; citatis tamen locis, quibus reperiri possint, ad trecenta Capitula revocavit: & *Concordiam*, seu *Librum Canonum*, in quo, ut brevioris Operis brevitatem compensaret, sub iisdem titulis ipsa Canonum & Decretorum verba recitavit. Mabillonius prima parte Musæi Italici pagin. 69. refert, se vidisse inter MSS. Bibliothecæ Vallisicellanæ Collectionem Cresconii & in ejus medio hæc verba inserta esse: *Concordia Canonum a Cresconio Africano Episcopo digesta sub Capitulis trecentis. Iste nimirum Cresconius bella & victorias, quas Joannes Dux, Patricius apud Africam de Saracenis gessit, Hexametris versibus descripsit sub libris.....* Verum, Poema illud Cresconii ad nos non pervenit, sed omnino interiit: *Vossius* siquidem in *Historia de Poetis Latinis* nullam prorsus Cresconii mentionem fecit, illius utique Poema non prætermissurus, si reveta adhuc extaret. (a)

„ (a) Cresconii, seu, ut alii legunt, Crisco- „ nii opera Canonica duo sunt, vel, si mavis, „ unius duæ sunt partes, quarum prior est distri- „ butio Canonum per titulos, indicatis tantum „ ipsis Canonibus, non vero ex integro relatis; „ hanc vero *Concordiam canonum* inscripsit, & „ vulgo Breviarium appellatur; tum ipsos Canones „ eo dedit ordine, quo in breviario indicantur, „ quæ Cresconiani operis pars secunda integra ex- „ hibetur in append. tom. I. Biblioth. Juris Ca- „ nonici Justelli. Breviarium vero habes excusum „ apud Labbeum.

D. Cum de Scriptoribus septimi Ecclesiæ sæculi nihil amplius tibi dicendum supersit, expedit ut nunc in medium producas illustres Viros, qui octavo Ecclesiæ sæculo tam in Oriente, quam in Occidente doctrina & sanctitate cæteris præluxerunt.

M. In Oriente octavo Ecclesiæ sæculo præ cæteris doctrina & pietate emicuit S. *Joannes Damascenus*, nobilissimis in Syria, fideque Orthodoxa claris parentibus genitus, Caliphæ Saracenorum Minister & Damasci Præfectus.

Quo

Quo anno natus sit, quove anno obierit S. *Joannes* Damascenus? obscurum prorsus est, quod vel conjectura assequi nullus potest. Certo tamen affirmari posse videtur, eum natum esse ante exitum sæculi septimi. Nam si *Joanni* Patriarchæ Hierosolymitano, qui ejus Vitam descripsit, fides adhibenda sit, S. Joannes Damascenus ante annum DCCXXX. ea ætate erat, ut publica Saracenorum Principis negotia administraret, & de Fide contra Hæreticos Iconomachos scriberet ac strenue disputaret. Vixit Joannes Damascenus sub *Leonis Isaurici*, & *Constantini* filii ejus Imperio. Omni Græcorum disciplina, divinisque litteris imbutus paternas divitias pro amore Christi deferens, factus est Monachus, & contra exortam Iconoclastarum Hæresim, omni rationum vi, & argumentorum e Sacris Scripturis petitorum efficacia pugnavit. Unde ab Hæreticis Imperatoribus Iconoclastis sæpius in exilium relegatus, & carceribus traditus in confessione fidei Catholicæ gloriose occubuit. Testatur *Joannes* Patriarcha Hierosolymitanus in Vita S. Joannis Damasceni, dexteram manum, jussu Caliphæ Saracenorum, Sancto Joanni Damasceno abscissam, miraculose fuisse ei restitutam precibus Beatæ Mariæ Virginis, quæ eum sic affata est: *En tibi manus sanata est: de cætero ne cessa, sed, sicut modo pollicitus es, fac eam calamum esse Scribæ velociter scribentis*. Multa, eaque præclara S. Joannes Damascenus reliquit Ecclesiæ ingenii sui monumenta, quæ doctissimus, mihique amicissimus noster *Michael Lequien* in sua omnium Sancti Joannis Damasceni Operum recenti, & castigatissima Editione duobus Tomis in folio complexus est, ac Parisiis edi curavit anno MDCCXII. In primo tomo Editionis Operum S. Joannis Damasceni Cl. *P. Lequien* præmittit universo Operi Præfationem in novam Operum S. Joannis Damasceni Editionem a se adornatam. Deinde, subnectit *Diatribam* Leonis Allatii de S. Joanne Damasceno. Hanc Leonis Allatii Diatribam excipiunt septem elegantissimæ & omnis eruditionis genere refertæ Dissertationes Damascenicæ, quas ipse accuratissimo Criterio elucubravit. Sequuntur postea *Vita S. Joannis Damasceni* a Joanne Patriarcha Hierosolymitano conscripta; Sermo *de Philocosmis*, & *de Sancti Joannis Damasceni conversatione parva Enarratio*; postremo, *Varia Testimonia Selecta Veterum de S. Joanne Damasceno & ejus scriptis*. Hæc omnia, Prolegomenorum instar, toti Editioni Operum S. Joannis Damasceni a se concinnatæ præmisit percelebris laudatus Auctor, qui indefesso labore omnia S. Joannis Damasceni Opera sive edita, sive quæ necdum omnino prodierant, maximo Ecclesiæ & Reipublicæ Christianæ emolumento, Græco-Latina in lucem emisit. Ut autem facilius unicuique innotescere possent S. Joannis Damasceni Opera, quæ hactenus non prodierant, vel solum Latine edita fuerant, ea sæpe citatus Auctor asterisco notavit, ut videre est in hac Serie Operum S. Joannis Damasceni, quam, juxta accuratissimam P. *Lequien* Editionem hic in rem tuam attexere necessarium duxi.

SERIES OPERUM

S. JOANNIS

DAMASCENI,

Quæ in recenti Editione P. *Lequien* continentur.

*Opera, quæ asterisco * notantur, aut necdum prodierant, aut Latine tantum.*

1. Scientiæ fons. { Capita Philosophica, sive Dialectica; De Hæresibus; De Fide Orthodoxa.
2. Pro Sacris Imaginibus Oratio Prima. Secunda. Tertia.
3. * Libellus de recta sententia.
4. * Libellus velut ex persona Petri Sanctissimi Episcopi Damasci ad Episcopum Daræ Jacobitam.
5. Contra Manichæos Dialogus.
6. * Disceptationes Christiani & Saraceni, cum Disceptatiuncula a Theodoro Abucara ex Joannis Damasceni Ore suscepta.
7. * De Draconibus & Strygibus.
8. De Sancta Trinitate.
9. Epistola ad Jordanem Archimandritam de Hymno Trisagio.
10. * Epistola de Sanctis Jejuniis.
11. * De octo Spiritibus nequitiæ.
12. Ex Sermonibus Sententiarum Fragmentum, quas Bilibaldus Pircheymerus ex Græcis, Latinas fecit.
13. De Virtute & Vitio.
14. Institutio Elementaris ad Dogmata, viva voce Joannis Monachi Damasceni, ad Joannem Sanctissimum Laodiceæ Episcopum.
15. De Natura Composita contra Acephalos.
16. De duabus in Christo voluntatibus & operationibus, deque reliquis proprietatibus, ubi obiter, de duabus Naturis & una Hypostasi.
17. Dissertatio accuratissima adversus exosam Deo Nestorianorum Hæresim.
18. Responsio ad eos, qui dicunt, si duæ naturæ est homo, necesse est ut in Christo naturas tres, totidemque dicamus actiones, ut objicit Severus.
19. * Fragmentum de Theologia: *Qua ratione homo imaginem Dei referat*, aliaque varia Fragmenta ex Codice S. Hilarii.
20. * Fragmenta alia ex eodem S. Hilarii Codice.
21. * De Unione definitiones variæ.
22. * Fragmentum aliud ex Nicetæ Choniatæ Thesauro.

23. * Frag-

23. * Fragmenta duo ex Catena Regia in Lucam.
24. * De mensibus Macedonicis ex Ecclesiastica traditione.
25. * De mensibus diversis.
26. * Canon Paschalis.
27. * Epistola ad quemdam missa: *Quid homo sit?*

Opera dubia, ac supposititia.

1. Oratio de iis, qui in fide dormierunt, quomodo Missis, & eleemosynis, & beneficentiis, quæ pro illis fiunt, adjuventur.
2. * Epistola ad quemdam de Confessione: & qui tandem iidem sunt, qui potestatem ligandi & solvendi acceperint?
3. * Oratio demonstrativa de sacris venerandis Imaginibus, ad Christianos omnes adversus Imperatorem Constantinum Caballinum & Hæreticos universos.
4. Epistola ad Theophilum Imperatorem de sanctis & venerandis Imaginibus.
5. * De Azimis.
6. Epistola Sanctissimi Petri Mansur ad Zachariam Doarorum Episcopum.
7. Ejusdem, Caput de immaculato corpore, cujus participes sumus.
8. * Interpolationes duæ libri de Fide Orthodoxa, quarum incogniti sunt Auctores.
9. * Expositio, & Declaratio Fidei. Genuinum hoc est S. Joannis Damasceni Opus, sed a P. *Lequien* Latine tantum datur ex versione Arabica.

His subjiciuntur Carmina Cantica in varias solemnitates.

1. In Theologiam.
2. In Theophania.
3. In Pentecosten, *dubiæ fidei*.
4. Eadem Carmina Latine solum stricta Oratione, *Jacobo Bilio Interprete*.
5. In Dominicam Paschæ Cantica.
6. In Assumptionem Domini nostri Jesu Christi.
7. In Transfigurationem Domini nostri Jesu Christi.
8. In Annunciationem Dei Genitricis.
9. Precario ad Christum versibus Anacreonticis. *Incertæ fidei*.

T O M O II.

1. * Ex universa interpretatione Joannis Chrysostomi excerpta Compendiaria a Joanne Damasceno.
2. * Sacra Parallela.
3. * Eclogarum Liber I, & II. *sunt Parallelorum aliorum ex Codice Rupefucaldino Collegii Parisiensis Societatis Jesu excerptiones cum eorum Indice*.
4. * Oratio de gloriosa Domini nostri Jesu Christi Transfiguratione.
5. * In Ficum arefactam, & in Parabolam Vineæ.
6. * In Sanctam Parasceven, & in Crucem.
7. In Sabbatum Sanctum.
8. * In Angelicam Annunciationem Incarnationis Christi, ad illibatam Dominam nostram Mariam. *Latine tantum ex versione Arabica*.
9. * In Annunciationem Sanctissimæ Dominæ nostræ Dei Genitricis.
10. In Sanctissimæ Dominæ nostræ Dei genitricis, semperque Virginis Mariæ Natalitium diem.
11. * In eamdem Sanctissimæ Dominæ nostræ Natalem diem.
12. * Encomium in dormitionem celebratissimæ, gloriosissimæ, ac benedictæ Dominæ Dei genitricis semperque Virginis Mariæ.
13. * In eamdem.
14. * In eamdem.
15. * In laudem S. Joannis Chrysostomi.
16. * Laudatio sanctæ, & inclytæ Martyris Christi Barbaræ.
17. * Fragmentum sermonis cujusdam ex Catena Regia in Lucam.
18. * Precationes tres.

Præter hosce duos Tomos in Folio Operum S. Joannis Damasceni, alium Tomum parat doctissimus P. *Lequien*, in quo alias lucubrationes S. Joannis Damasceni nomine falso insignitas inseret cum genuinis ejusdem Sancti aliquot sermonibus Asceticis, quos invenit in Codice manu exararo Bibliothecæ Illustrissimi Ducis Episcopi Metensis. Cæterum Clarissimo huic Scriptori exoticarum linguarum peritissimo, & Ecclesiasticæ antiquitatis indagatori sagacissimo, plurimum debet Respublica literaria, quod castigatissimam Operum S. Joannis Damasceni Editionem publicaverit, eamque elegantissimis Dissertationibus, Criticis Præfationibus, & doctissimis Annotationibus illustraverit (*a*).

„ (*a*) S. Jo. Damasceni Paracleticam seu libellum precationum ad B. Virginem latine ex „ græco versam evulgavit Romæ an. 1685. P. „ Hippolytus Marracci, Congregationis meæ Scriptor clarus, qui & in vernaculum Italum sermonem translatam iterum edidit. Hæc vero in „ P. Lequenii collectione Damascenica ideo non „ reperitur, quia cum libellus sit Liturgicus, dubium est, num totus Damasceno authori debeatur, cum sæpe accidat ejusmodi libros variorum accessionibus augeri, & omnia in unum „ confundi. Volumen vero illud de operibus dubiis & supposititiis Damasceni, quod Lequenius parabat, lucem non vidit.

„ Hoc ipso pariter Marraccio editore productum „ est Romæ an. 1650. Mariale S. Germani, de quo „ viro Gravesonius hic. Est autem collectio Panegyricarum Orationum quarundam ejusdem SS. „ Præsulis in laudem B. M. Virginis. Earum „ priorem jam dederat Conbefisius in Auctario „ sub nomine S. Andreæ Cretensis. Marraccius „ eam vindicat S. Germano ex fide Vaticani Co„ dicis

„ dicis 109. Succedit altera in præsentationem S. „ Mariæ Virginis, quam præsentationem descri- „ bit S. Germanus. Hanc orationem in Vatica- „ no Codice 379. nactus est Marraccius, deditque „ ex latina interpretatione Joannis Matthæi Ca- „ riophili Iconiensis Episcopi. Dat & alteram in „ Annunciationem B. M. nunquam antea vul- „ gatam. Reliquas utpote aliunde notas præ- „ tereo.

Sancto Joanni Damasceno in Oriente suppares fuerunt *Cosma* Hierosolymitanus, *Georgius Hamartolus*, & *Anastasius* Abbas Monasterii Sancti Euthymii in Palæstina; de quibus pauca hic observare sufficiet. Prior, seu *Cosma* ex Abbate Episcopus Majumæ inauguratus elegantissimo præditus fuit ingenio, & cum S. Joanne Damasceno arctissima necessitudine junctus, eoque hortatore, Hymnos tredecim in præcipuas anni Festivitates composuit, qui extant Tomo XII. Biblioth. Patrum Editionis Lugdunensis. *Triodium* etiam, quo Græci in divinis Officiis a Dominica Septuagesimæ usque ad Octavam Pentecostes utuntur, editum dicitur a S. Cosma Hierosolymitano, auctum vero a *Theodoro*, & *Josepho* Studitis, ut observat *Aubertus Miræus* Auctario *de Scriptoribus Ecclesiasticis*. Alter, seu *Georgius Hamartolus* græce scripsit *Chronicon ab exordio Mundi usque ad Imperium Constantini Copronymi*, quod in Bibliotheca Bavarica MS. extare *Miræus* affirmat. Ejusdem etiam Georgii Hamartoli Homiliam de inventione S. Crucis edidit *Gretserus* Tomo II. *de Cruce*. Postremus, seu *Anastasius* Abbas Monasterii S. Eutymii in Palæstina, cujus meminit S. Joannes Damascenus initio Libelli *de Trisagio*, scripsit librum contra Judæos, qui a *Turriano* latine redditus, legitur apud *Canisium* Tomo III. *antiquarum Lectionum*, & Tomo XIII. Biblioth. Patrum Editionis Lugdunensis.

D. Protulitne octavum Ecclesiæ sæculum alios, præter istos, quos hactenus recensuisti, Viros illustres, qui in Oriente litteris, & pietate floruerunt?

M. Protulit adhuc octavum Ecclesiæ sæculum quatuor in Oriente insignes viros, videlicet *Germanum* Patriarcham Constantinopolitanum, *Andream* Cretensem Episcopum, *Georgium* Syncellum, & *Theophanem* Constantinopolitanum, qui eruditionis, & pietatis laude maxime claruerunt; quorum Opera hic breviter indicabo. In primis, S. *Germanus*, qui, ut jam observavimus, fidei Catholicæ adversus Iconomachorum Hæresim acerrimus defensor fuit, tres scripsit Epistolas, quæ in septima Synodo generali, quæ dicitur *Nicæna secunda*, lectæ sunt ad confirmandam cultus Imaginum doctrinam ab Iconomachis imperitam. Duas ejusdem S. Germani Homilias *de Sancta Cruce* edidit *Gretserus* Societatis Jesu Theologus. Quinque ipsius Orationes edidit etiam eruditissimus noster *Combefisius* Tomo I. Auctarii Biblioth. Patrum Græco-Latinæ. Non convenit inter Viros eruditos, S. Germanum, qui octavo Ecclesiæ sæculo Constantinopolitanam regebat Ecclesiam, esse Auctorem *Theoriæ Rerum Ecclesiasticarum*. Alii enim cum *Gretsero*, & *Leone Allatio*, hanc *Theoriam* tribuunt *Germano juniori* Constantinopolitano Patriarchæ, qui initio sæculi XII. floruit. Alii cum *Bellarmino* eam adjudicant *Germano*, qui octavo sæculo vixit. *Andreas* Archiepiscopus Cretensis multas composuit Homilias, & alia Opuscula, quæ doctissimus noster Combefisius cum Notis, atque Onomastico peculiari Græco-Latine Parisiis anno 1644. publica luce donavit. *Georgius Syncellus* Auctor est Chronographiæ ab Adamo, usque ad Imperatorem Diocletianum productæ, quam circa annum DCCXCII. publicavit, eamque postea *Theophanes*, qui ei familiaris fuit, uberiori stylo continuavit. Interfuit Georgius Syncellus septimæ Synodo generali, seu Nicænæ secundæ, &, ut ait Anastasius Bibliothecarius in Præfatione Historiæ Ecclesiasticæ, *tam pro fidei constantia, quam pro multarum virtutum insignibus, sanctæ memoriæ Tarasii Regiæ Urbis Præsulis Syncellus effectus est*. Ejus Chronologiam eruditus noster *Goarus* adjecta versione Latina ex Regia Typographia cum Nicephori Constantinopolitani Breviario Chronographico in lucem edidit. Denique, *Theophanes* ex illustri Prosapia Constantinopoli ortus, eruditione, & sanctimonia in Oriente celeberrimus fuit. Fidem Catholicam de sacrarum Imaginum veneratione sub *Leone Armeno* Imperatore Iconomacho intrepide confessus, ejus jussu in carcerem detrusus est, ubi fame, pedoreque per biennium cruciatus est. Dein, in exilium deportatus, ad palmam sempiternam in Cælis percipiendam evolavit. Miraculis ejus sanctitas fuit illustrata, & ab Ecclesia Græca die XII. mensis Martii Officiis celebratur. Chronographiam scripsit Theophanes, quam ab anno primo Diocletiani Imperatoris, ubi Georgius Syncellus desierat, produxit usque ad annum DCCCXIII. hoc est, usque ad annum primum *Leonis Armeni* Imperatoris. Eamdem Theophanis Chronographiam postea continuavit *Leo* Grammaticus, quem noster Combefisius in Notis ad ejus Historiam ostendit supparem illis fuisse, quorum res gestas prosecutus est. Post Leonem Grammaticum, Theophanis Historiam continuarunt *Auctor incertus* coævus, qui ea narrat, quæ tempore *Leonis Armeni* Imperatoris contigerunt; *Constantinus Porphyrogenita*, qui sæculo Ecclesiæ decimo Constantinopoli imperavit; quem Auctor alius incertus continuavit; denique *Symeon Magister* & Logotheta, vulgo *Metaphraste* appellatus, & *Georgius* Monachus, qui in *Constantino* iterum imperante Historiam absolvit. Hos omnes Historicos, præter Leonem Grammaticum, & priorem Auctorem incertum, noster *Combefisius* e Græco in Latinum vertit, Theophanis Chronographiam e Græco in Latinum transtulit doctissimus noster *Jacobus Goarus*, Notisque illustravit; sed eo, dum Theophanis textum, & adornatam a se versionem Latinam prælo pararet, morte prærepto, Clarissimus noster Combefisius hanc curam in se suscepit, ac Theophanis textum, concinnatamque a *Jacobo Goaro* charissimo sodali suo versionem recensuit, & Parisiis in Typogra-

pographia edi curavit cum Notis ejus posthumis, novisque observationibus illustratam. Si plura de *Theophane* scire aveas, legesis ejus Vitam ab Auctore Anonymo scriptam, quam ex Veneta S. Marci Bibliotheca erutam Cardinalis *Franciscus Barberinus* ad Combefisium nostrum transmisit, a quo latinitate donata, & Chronographiæ Theophanis præfixa est. Lege etiam Notas doctissimi nostri *Goari* in Theophanem, ubi varia habet de aliis Sanctis, & Scriptoribus, qui hoc eodem *Theophanis* nomine fuerunt insigniti, & de rebus, quæ ad præsentem Theophanem Chronographiæ Auctorem speciatim pertinent. *Bollandus* ad diem XII. mensis Martii, quo colitur S. Theophanes, duas illius exhibet Vitas ab incertis Auctoribus conscriptas.

D. Hæc, quæ hactenus de Viris illustribus, qui octavo Ecclesiæ sæculo in Oriente floruerunt, in medium protulisti, altius memoriæ infixa teneo; quibus si nunc adjungas seriem aliorum Auctorum, qui eodem octavo Ecclesiæ sæculo in Occidente eruditionis, & pietatis laude præ cæteris claruerunt, plenam ac perfectam habebo notitiam omnium Scriptorum Ecclesiasticorum, qui octavum Ecclesiæ sæculum toto Orbe Christiano illustrarunt.

M. Inter Scriptores Ecclesiasticos, qui octavum sæculum in Occidente litteris, & pietate nobilitarunt, eminet *Venerabilis Beda* Natione Anglus, professione Monachus Ordinis Sancti Benedicti, eximia doctrina, & singulari pietate toti Orbi conspicuus, cujus præclaras virtutes Elogio historico late prosequitur doctissimus *Mabillonius* sæculo III. Benedictino parte I. Natus est *Beda* anno DCLXXII. & diem supremum obiit in ipso Ascensionis Christi Domini Festo, seu VII. Kalend. Junii anni DCCXXXV. statim ab ipso obitu *Sanctus* habitus est, & appellatus, eumque pluribus Epistolis *S. Bonifacius* Moguntinus Archiepiscopus, & *Lullus* ejus successor commendarunt. Jam a nono Ecclesiæ sæculo nomen *Venerabilis* Bedæ attribui cœptum est, ut liquet ex *Amalario* libr. I. de divinis Officiis capit. 37. ex *Jona* Aurelianensi Episcopo in lib. I. de Institut. Laicali cap. 16. & seq. necnon ex *Usuardo* in Martyrologio ad Nonas Augusti. Bene multa Opera edidit Venerabilis *Beda*, de quibus fuse disserit *Mabillonius* tum loco jam a me laudato, tum etiam Dissertatione peculiari, quæ habetur Tomo I. Analectorum. Aliquot tamen *Bedæ* Opera nunc desiderantur, ut exempli gratia, *Collectaneum ejus in Epistolas S. Pauli*. At enim, ut optime animadvertit ibidem *Mabillonius*, Collectaneum illud in Epistolas Sancti Pauli, quod sub *Venerabilis Bedæ* nomine circumfertur, non est genuinus Bedæ fœtus, sed *Flori* Ecclesiæ Lugdunensis Diaconi Opus est, ut manifesto constat ex duobus exemplaribus Collectanei a Beda conscripti, quæ a *Flori* Collectaneo diversa esse testatur Mabillonius, qui etiam ait, se legisse multos MSS. Codices, qui fidem faciunt, hoc Collectaneum, sub Bedæ nomine hactenus vulgatum, Opus esse *Flori* Diaconi Ecclesiæ Lugdunensis. Hujus Collectanei Bedæ in Epistolas S. Pauli, quod nunc desideratur, mentionem faciunt *Hincmarus* Remensis Episcopus, præsertim in Opere adversus *Gotescbalcum* cap. I. & *Lupus* Ferrariensis Abbas in Epistola LXXVI. ad eumdem *Hincmarum*. Ex quo *Mabillonius* falsi convincit Baronium, qui negat, ullum Commentarium in Epistolas S. Pauli fuisse a Beda conscriptum. Sed quamvis argumenta, quæ adducit Mabillonius, dubitare non patiantur, Bedam scripsisse Commentarium in Epistolas Pauli, certum tamen est, hunc Bedæ Commentarium necdum prodiisse in lucem, sed adhuc manuscriptum delitescere. *Henschenius* genuinum *Bedæ* Martyrologium publicavit, illudque Tomo II. Sanctorum mensis Martii præfixit. Huic Martyrologio attexuit idem Henschenius *Auctarium*, quod *Flori* Ecclesiæ Lugdunensis Diaconi nomine vulgavit, sed, ne cum Bedæ textu confunderetur, minori charactere edi curavit. (*a*)

„ (*a*) P. Edmundus Martene Operibus Bedæ „ jam vulgatis aliqua adjunxit Anecd. Tom. V. „ nempe Homilias XI. & Libellum Precum. O„ perum suorum indiculum Beda ipse confecit, „ eundemque in MS. Codice repertum, (quam„ quam alioquia jam notum) dedit Muratorius „ in Dissertationibus Italiæ Medii Ævi Tom. III. „ pag. 825. Porro idem Muratorius ibidem testa„ tur legisse se in Codice vetustissimo Ambrosia„ no compendium Historiæ Anglorum ab eodem „ Beda confectum sine additamentis ab aliis post„ ea adjunctis, eum desierit in anno 731. quo „ Bertualdus Archiepiscopus Dorobernensis obiit.

Venerabilis Bedæ discipulum fuisse *Alcuinum* Natione Anglum, & Caroli Magni Præceptorem, opinantur nonnulli, sed non est dubium quin fallantur, quia Venerabilis Beda vivere desiit anno DCCXXXV. quo tempore *Alcuinus* forsan vix natus erat. Alcuinus itaque non Bedam Præceptorem habuit, sed *Egbertum*, & alium nomine *Ælbertum*, seu *Albertum*, qui fuerunt Archiepiscopi Eboracenses in Anglia. A Carolo Magno vocatus in Gallias *Alcuinus*, multis Beneficiis Ecclesiasticis auctus est, ejusque nomine honorificentissimis Legationibus functus. Complures eruditionis fama celebres discipulos habuit; in confutanda Hæresi *Elipandi* Toletani, & *Felicis* Urgellitani Antistitum diu strenueque adlaboravit. Monasticæ vitæ juxta Regulam S. Benedicti ineundæ percupidus fuit, probabilius tamen censent periti hujus temporis Critici, ipsum nunquam id vitæ genus fuisse amplexum. Alcuini tamen Monachatum multis probare conatur Mabillonius in ejus Elogio historico, quod habetur parte V. sæculi IV. Benedictini. Mortuus est *Alcuinus* anno DCCCIV. ejusque Vitam, a quodam Auctore Anonymo descriptam, *Andreas Duchesnius* Editioni Operum Alcuini præfixit. Post vero hanc Editionem Operum Alcuini, studio *Andreæ Duchesnii* ordinatam, typisque anno MDCXVI. Parisiis excusam, doctissimus Mabillonius Tomo IV. Analectorum publicavit Epistolas XXVI. Alcuini, & Baluzius Tomo Primo Capitularium, & Tomo Primo Miscell. varia ejusdem Alcuini edidit Opuscula. Denique,

que, Mabillonius sæculo IV. Benedictino parte I. refert nonnulla Alcuini inedita scripta, ibidemque ostendit, librum *de Divinis Officiis* Alcuino a Baronio aliisque Auctoribus assertum, esse tantum farraginem ex diversis ipsius Alcuini, aliorumque Scriptorum eo posteriorum Operibus, hinc inde collectam. Quod spectat librum, cui titulus est: *Confessio fidei*, a Petro Chiffletio ab aliquot annis publicatum, genuinum *Alcuini* fœtum esse, adversus aliquos, qui id in dubium vocarunt, probat ibidem Mabillonius. Denique convenit inter omnes peritos Criticos, librum *de Caeremoniis Baptismi* non esse *Alcuini*, sed *Amalarii* Archiepiscopi Trevirensis, qui obiit anno DCCCXIV. (a)

(a) „ Præter omnes hic enumeratas operum „ Alcuini editiones, novam modo parat, expe„ ctareque nos jubet vir Cl. atque humanissimus „ P. Forbenius Forster, Ordinis S. Benedicti Mo„ nachus, Prior & Bibliothecarius Cœnobii S.Em„ merami Ratisbonensis, qui & conspectum to„ tius collectionis ad me nuper transmisit; ex quo „ didici nova multa, & nunquam antehac typis ex„ cusa nobiscum communicanda fore. Ego pariter „ in meo, quod per hos dies evulgaturus sum, „ additamento ad Baluzii miscellanea ex MS. „ Cod. dedi Epistolæ ejusdem Alcuini fragmen„ tum acceptum e Codice vetustissimo Lucensi sæ„ culo exeunte VIII. scripto. Juvat etiam hic „ non reticere novum S.Paulini Aquilejensis Opus„ culum inscriptum: *Dictatus Paulini Aquilejen„ sis Patriarchæ*, non ante multos dies in meas „ manus delatum, quod P. Forbenius Forster, de „ quo supra, e Ratisbona transmisit evulgandum „ in Conciliis, quæ modo Venetiis eduntur. In eo „ vero Opusculo singulare illud occurrit, quod „ ipsis Opusculi verbis hic expono: *Si ille, qui „ baptizabat, non dixit: Baptizo te in nomine „ Patris & Filii & Spiritus Sancti, nec in no„ mine Jesu Christi, sicut cujusdam harum idio„ tarum professione comperimus, sed sola aqua so„ lum corpus abluit, hi profecto pro non baptiza„ tis habendi sunt.* Habes hic valorem baptismi „ in Christi nomine collati, ex sententia Paulini „ Aquilejensis.

In Italia octavo Ecclesiæ sæculo floruerunt *Paulinus* Aquilejensis Episcopus, & *Paulus* Aquilejensis Diaconus. Prior, seu *Paulinus* gratissimus fuit *Carolo Magno*, qui eum rebus non in Italia solum, verum etiam in Gallia & Germania componendis, præfecit. Fuit etiam Paulinus maxima cum Alcuino Caroli Magni Præceptore amicitia conjunctus. Scripsit Libellum *de Sanctissima Trinitate* adversus *Elipandum* Toletanum, & *Felicem* Urgellitanum Antistites, & libros tres contra eumdem *Felicem*, ac præterea, Opusculum *de Salutaribus Documentis*, quod inter Opera S. Augustini extabat ante ultimam eorum Editionem a PP. Benedictinis Congregationis Sancti Mauri adornatam; sed istud Opusculum ex fide Codicum MSS. Paulino Aquilejensi Episcopo restituerunt doctissimi illi Ascetæ. Legesis Elogium historicum Pauli, quod texit Bollandus ad diem XI. mensis Januarii. *Paulus* Diaconus Aquilejensis, & postea Monachus Cassinensis scripsit Libellum *de Metensibus Episcopis*, & jussu Caroli Magni Imperatoris composuit *Homiliarium*, seu Lectiones, quæ per totius anni Festivitates legerentur. Observat tamen Mabillonius Tomo I. Analect. insertas fuisse in illud Homiliarium recentiorum Scriptorum Homilias, nempe *Herici* Monachi Antissiodorensis, quem, mortuo Paulo Aquilejensi Diacono, floruisse constat regnante *Carolo Calvo*. Additæ sunt etiam huic Homiliario *Haymonis* Episcopi Alberstadiensis; qui post *Pauli* Diaconi Aquilejensis mortem floruit, Homiliæ, ex quibus facile colligitur, huic Pauli Diaconi Aquilejensis Collectioni variis temporibus additiones factas fuisse. Hinc Paulo Aquilejensi Diacono Vitam S. Gregorii Magni tribuit Mabillonius Tomo I. Analectorum, quæ Vita diversa tamen est ab illa S. Gregorii Magni Vita, quam *Joannes* Diaconus publicavit, quæque edita est sæculo I. Benedictino. Scripsit etiam Paulus Aquilejensis Diaconus sex libros de Longobardorum gestis. Præter hujusmodi lucubrationes a Scriptoribus octavi sæculi in Italia concinnatas, prodiit eodem sæculo in Italia *Liber Diurnus Romanorum Pontificum*, qui ad Gregorii II. Romani Pontificis tempora pertinet, uti existimat Eruditus *Garnerius* Societatis Jesu, qui primus illum in lucem emisit ex MS. Codice nongentorum circiter annorum. Varia in hoc Diurno Romanorum Pontificum extant Capita Historica, Dogmatica, & Critica, quæ doctissimis suis Notis *Garnerius* illustravit.

Germaniam octavo Ecclesiæ sæculo ad fidem Catholicam adduxit S. *Bonifacius* Natione Anglus, Sedis Apostolicæ Legatus, & totius Germaniæ Apostolus dictus. Plures scripsit Epistolas graves & pias, quas *Nicolaus Serarius* edidit, Notisque explanavit. Composuit etiam S. Bonifacius librum *de Unitate fidei Catholicæ*, quem laudat Zacharias Papa apud *Othlonem* lib. 2. cap. 9. quem librum haud alium esse, quam Synodalia quædam Statuta, qualia *Acherius* Ordinis Sancti Benedicti Tomo IX. Spicilegii vulgavit, conjicit Mabillonius in Observationibus præviis ad Vitam Sancti Bonifacii parte II. sæculi III. Benedictini. Vitam *S. Livini* Episcopi, & Martyris a S. Bonifacio literis mandatam fuisse dicitur, quod tamen omnino incertum esse, ostendit idem Mabillonius sæculo II. Benedictino. (b)

„ (b) In collectionem Operum S. Bonifacii a Se„ rario adornatam non venerunt sermones ejus XV. „ a P. Martene tom. IX. Veter. Monum. vulgati, „ e quibus tamen sermo V. & sermo XV. iidem „ fere in omnibus sunt nonnullis exceptis, quod „ ego animadverti in additionibus ad Bibliothe„ cam latinam Fabricii mediæ, & infimæ ætatis „ tom. I. pag. 259.

In Hispania sub finem octavi sæculi *Etherius* Uxamensis Episcopus, & *Beatus* Presbyter sanctimonia & eruditione insignes floruerunt, & Catholicam fidem duobus libris adversus Elipandi Toletani Episcopi Hæresim, strenue propugnarunt. In his etiam præclare disserunt de reali Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia Sacramento

mento præsentia, de dispositionibus necessariis ad digne communicandum, de Sacrificio Missæ, de Oratione pro Defunctis, quæ omnia Hæreticorum nostri temporis jugulum petunt, & Catholicæ Ecclesiæ Dogmatum antiquitatem diserte adstruunt. Scripsit etiam *Beatus* Presbyter Commentarium *in Apocalypsim*, ut videre est in ejus Vita ab Auctore Anonymo descripta, quam Bollandus inter Acta Sanctorum mensis Februarii Tomo III. & Mabillonius Tomo I. sæculi IV. Benedictini vulgarunt. Monachos fuisse *Etherium*, & *Beatum* probat ibidem Mabillonius in Observationibus præviis ad Vitam S. *Beati* Presbyteri.

In Galliis denique octavo Ecclesiæ sæculo doctrina & pietate celebres fuerunt *Theodulfus* Aurelianensis Episcopus, *Fredegarius*, & *Ambrosius Authpertus*, sive *Autbertus*. De Patria Theodulfi non convenit inter eruditos. Alii siquidem cum *Sirmondo* volunt, eum fuisse Natione Italum; alii vero cum Mabillonio illum ex Hispania fuisse oriundum, affirmant. Hoc unum apud omnes certissime constat, Theodulfum a Carolo Magno in Gallias, propter scientiæ prærogativam, qua pollebat, adscitum magna ibi eruditionis & pietatis fama fuisse commendatum. Inter multa, quæ edidit, Opera, duo potissimum celebrantur, videlicet *Liber de Baptismo*, quem sollicitatus a *Magno* Archipræsule Senonensi, & *Joanne* Arelatensi Antistite scripsit, & *Capitulare*, quod sex & quadraginta Capitulis constat, & in quo saluberrima tum Presbyteris propria, tum Communia quibus subditas sibi Plebes instituere ac informare debent, vitæ Christianæ documenta traduntur. Mortuus est Theodulphus anno DCCCXXI. ejusque Opera a Sirmondo collecta sunt, Notisque ulluftrata (*a*). *Fredegarius* Scholasticus *Epitomen Historiæ Francorum*, a Gregorio Turonensi Episcopo editæ, lucubravit. Scripsit etiam Chronicon, quod a fine Historiæ Gregorii Turonensis, usque ad Pipini Francorum Regis inaugurationem perduxit. Fredegarii Chronicon excipit Appendix a Pipini Regis coronatione, ad annum usque septingentesimum sexagesimum octavum. Exiant Fredegarii Opera Tomo I. Historic. Francorum ab *Andrea Duchesnio* publicata. Demum, *Ambrosius Authpertus* Natione Gallus Monachus Ordinis S. Benedicti, ac deinde Abbas Monasterii S. Vincentii Martyris, quod prope Vulturnum fluvium in Samnio situm est, scripsit decem libros in Apocalypsin, Commentarios in Scripturam Sacram, quædam Opuscula Ascetica, nonnullas Homilias, & Vitas quorumdam Sanctorum, aliaque Opera, quorum Catalogum exhibet *Chronicon S. Vincentii de Vulturno*.

(*a*) „ Collectioni operum Theodulfi Aurelia- „ nensis a P. Sirmondo adornatæ multa olim „ defuerunt, quæ tamen illata sunt in nova edi- „ tione operum Sirmondi a P. de la Baune „ vulgata.

„ Cl. Muratorius in suis anecdotis tom. II. „ pag. 212. olim vulgavit enarrationem, seu „ breve commentarium in Symbolum S.Athana- „ sii sub Fortunati nomine. Hanc ego non in- „ vitus crediderim expositionem fidei catholicæ „ designari in veteri Catalogo Abbatum Floria- „ censium a Baluzio in suis miscellaneis tom. I. „ vulgato ubi Theodulfo Aurelianensi *explicatio* „ *brevis Symboli S. Athanasii* adscribitur.

D. Eccur, quæso, inter Viros illustres, qui octavo Ecclesiæ sæculo in Galliis floruerunt, nullam prorsus mentionem fecisti *Caroli Magni* Francorum Regis, quem tamen Auctorem librorum *Carolinorum*, & Universitatis Parisiensis, omnium Academiarum facile Principis, fundatorem ac institutorem fuisse, multi constanter affirmant?

M. Carolum Magnum Francorum Regem in Scriptura Sacra, & Sanctorum Patrum doctrina versatum fuisse, omniumque Virorum sui temporis litteratorum Mæcenatem munificentissimum, testatur *Eginhardus* in ejus Vita. At Carolum Magnum quatuor librorum, qui *Carolini* dicuntur, Auctorem fuisse, non ita certo liquet. Nonnulli siquidem post Bellarminum existimantes, ejusmodi libros Canonicos favere Iconomachis, asserunt, illos Carolo Magno perperam adscriptos esse, sed ab imperito quodam Hæretico exaratos, & dictos Carolo Magno, qui eos misit ad Hadrianum Summum Pontificem. Alii vero periti Critici ex MSS. exemplaribus Vaticano, & Tiliano, quæ Caroli Magni nomen præferunt, ex Præfatione etiam horumce librorum, in qua Auctor diserte asserit, se *in finu Ecclesiæ Regni gubernacula suscepisse*, & ex aliis compluribus conjecturis, quæ legi possunt apud nostrum *Natalem Alexandrum* Dissertatione VI. in Historiam Ecclesiasticam octavi sæculi, probant, Carolum Magnum esse legitimum parentem horumce quatuor librorum Carolinorum, quos Bellarminus falso supponit Iconoclastarum Hæresi favere, cum potius ipsissimam adstruant doctrinam, quam octavo sæculo Ecclesia Gallicana circa cultum Imaginum propugnabat, & solos reprehendant abusus, qui in cultum Imaginum irrepere possunt, sicut loco mox laudato suse ostendit Natalis Alexander contra *Dallæum* Calvinistam, & *Forbesium* Lutheranum. Probabilius itaque est, Carolum Magnum Auctorem esse quatuor horumce librorum Carolinorum, aut saltem, illos, eo jubente, ab alio ex ejus persona, & nomine editos fuisse.

Quantum attinet ad fundationem, seu institutionem Universitatis Parisiensis factam, ut nonnulli dicunt, a Carolo Magno, existimo nihil certi super hac re affirmari posse, cum Scriptores hac in re varient linguis, & sententiis. Vir Clarissimus *Balæus*, qui non multis abhinc an. Historiam Universitatis Parisiensis eleganter scripsit, ejus institutionem adscribit Carolo Magno. At *Loiselius* in Tractatu *de Universitate Parisiensi*, ejus institutionem Carolo Magno adscriptam, inter fabulas recenset, eamque dicit revera attribuendam esse *Ludovico VII.* Galliarum Regi, qui regnare cœpit anno MCXXXVII. & filio ejus *Philippo II.* qui Patri in Regno successit anno MCLXXX. sed

E 2 in

in his, quæ de Carolo Magno non satis comperta sunt, & de quibus inter Scriptores necdum convenit, judicium meum non interponere satius esse duco. Hoc unum certo affirmare possum, Carolum Magnum plures scripsisse Epistolas, & multa cum Episcoporum consensu edidisse *Capitularia* maximam partem Ecclesiastica, seu, quæ complectuntur leges de rebus, & personis Ecclesiasticis ex Canonibus Conciliorum & Decretis Summorum Pontificum excerptas. *Angesisus* Abbas anno DCCCXXVII. Capitularia Caroli Magni, & Ludovici Pii collegit, & in quatuor libros distribuit, quibus postea tres libros addidit *Benedictus Levita* ex Archiviis Ecclesiarum, præsertim Moguntinæ, & ex antiquis Chartularum scriniis extractos, quos integros septem Capitularium libros perdoctus *Baluzius* summa cura recognovit, & Notis ac Dissertationibus illustratos, in lucem edidit ann. MDCLXXVII. Extat etiamnum ejusdem Caroli Magni Codex Epistolaris dictus *Carolinus*, quem post Baronii mortem *Jacobus Gretserus* anno MDCXIII. Ingolstadii publicavit, qui continet Epistolas, quas Romani Pontifices Gregorius III. Zacharias, Stephanus II. Paulus, Stephanus III. Hadrianus & Pseudo-Constantinus ad Carolum Majorem Domus Regiæ, ad Pipinum, & Carolum Magnum, & ad Carolomannum ejus fratrem direxerunt. Hæ omnes Summorum Pontificum Epistolæ, jussu Caroli Magni anno DCCXCI. collectæ sunt, & in unum corpus redactæ. Quæ collectio extracta deinde est ex antiquo MS. Bibliothecæ Cæsareæ, ut testatur *Lambecius* lib. 2. ejusdem Bibliothecæ cap. 5. ubi tamen conqueritur, quod ille, qui Codicem descripsit, & ad Gretserum misit, nimiam nonnullis in locis corrigendis, & mutandis sibi arrogavit licentiam. Extant etiam omnes istæ Epistolæ Codicis Carolini apud *Duchesnium* Tom. III. Sed de Scriptoribus Ecclesiasticis, qui sæculis septimo, & octavo doctrina, & pietate præ cæteris excelluerunt, hæc dicta sufficiant. (*a*)

(*a*) „ Præter has omnes editiones Codicis Carolini addenda est etiam nova altera a Cl. Muratorio promulgata Rer. Italic. tom. III. par. II. in quam variantes omnes tum Codicis Vaticani, cum etiam Vindobonensis intulit. Novissime pariter audio prodiisse editionem alteram ejusdem Codicis ad Vaticana MSS. diligentius exactam, curante inprimis Emin. Card. Dominico Passioneo ejusdem Bibliothecæ supremo curatore, & bono publico Ecclesiæ nato.

COLLOQUIUM VI.

De Doctrina, Disciplina, & Morali Christianorum, qui sæculis septimo, & octavo vixerunt.

D. CUM certo sciam, Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, utpote omnino invariabilem, ab ipsis Apostolorum temporibus ad nos usque, eamdem jugiter puram, & illibatam fuisse propagaram, supervacaneum esset impræsentiarum inquirere, quænam sæculis septimo, & octavo fuerit doctrina Ecclesiæ, nisi ad id investigandum me compelleret petulantia Hæreticorum, qui ab Ecclesiæ Catholicæ gremio cum recesserint, infrunito ore asserere solent, multa nunc in Ecclesia Catholica proponi, & teneri doctrinæ Capita, de quibus in tota retro antiquitate temporum altum est silentium, nec ullum prorsus extat vestigium. Ut igitur fidei hostium audaciam facilius reprimere possim, præstat, ut in hocce Colloquio paululum differamus de doctrina, quæ sæculis Ecclesiæ septimo, & octavo apud Christianos constanter vigebat.

M. Quamvis Historia Ecclesiastica diserte ostendat, ut ait *Lanfrancus* in Commentario *de Eucharistia* adversus *Berengarium*, quod *hanc fidem, quam nunc habemus, omnes fideles, qui nos præcesserunt, a priscis temporibus habuerunt*; attamen non expedit, ut ea, quæ ad fidem adversus Hæreticos certis argumentis, & auctoritatibus tuendam spectant, ab Historiæ Ecclesiasticæ Scriptore data opera pertractentur, cum id oneris potissimum incumbat Theologis Polemicis, quorum inter scribendum præcipuus scopus esse debet, controversias Catholicos inter, & Heterodoxos versantes, dirimere ac explanare. Ne igitur Officium, quod sibi vindicant Theologi Polemici, usurpare, & in alienam, ut ajunt, messem falcem mittere videar, qui solum Historiam Ecclesiasticam compendiose describendam suscepi, non instituam Dissertationes Polemicas, sed dumtaxat simplici narratione rerum, quæ a locupletissimis testibus, & probatissimæ fidei id ætatis Scriptoribus referuntur, ob oculos tuos ponam fidei Catholicæ doctrinam, quam Christiani sæculorum Ecclesiæ septimi, & octavi profitebantur; unde nullo negotio colligere poteris, omnia doctrinæ Catholicæ Capita, de quibus modo Heterodoxi cum Catholicis magno quidem, sed inani studio altercantur, fuisse ab omnibus Christianis, qui sæculis septimo, & octavo vixerunt, unanimi consensu recepta atque approbata, quibus e diametro opponuntur errores, quos Hæretici hujus temporis, aut obsoletos recoxerunt, aut proprio marte procuderunt.

In primis, certissime constat, Christianos, qui sæculis septimo, & octavo vixerunt, rejecisse omnes hæreses, quæ tam circa Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, quam circa Incarnationem Verbi Divini sex prioribus Ecclesiæ sæculis emerserunt, Anathema etiam dixisse Hæresibus Monothelitarum, & Iconoclastarum, quæ sæculis septimo & octavo pullularunt, summaque, ut par est, veneratione excepisse omnes definitiones Conciliorum generalium, in quibus Hæreses proscriptæ fuerunt. Hoc religiosum mentis obsequium, hæc profunda erga definitiones Ecclesiæ veneratio, quæ antiquorum Christianorum animis penitus insidebat, procul abest ab Hæreticis hujus temporis, qui prædamnatas jam Hæreses pro suo arbitrio renovant, mordicusque tuentur. Nec Pontifices, nec Ecclesiam in Conciliis congregatam, nec Sanctos Patres audire volunt, sed se ipsos dumtaxat, sibique, quod sane lepidum ac ludicrum est, & aliis promiscue suæ sectæ viris, nec-

necnon mulierculis jus attribuunt interpretandi Scripturam Sacram, & dirimendi omnes, quæ suboriri possunt, fidei controversias. Quod certe Hæreticorum Dogma, quo nullum, mea quidem sententia, infestius & absurdius excogitari potuit, plane destruit Hierarchiam Ecclesiæ, Episcoporum potestatem ad nihilum redigit, ad schismata & innumeros errores latissimam viam aperit, & omnia sus deque miscet in Ecclesia, ut late probant nostri Polemici Theologi in suis contra Hæreticos controversiis. Sed, ut de fidei nostræ Dogmatibus, quæ ab Hæreticis nostri temporis impetuntur, speciatim aliquid dicamus, difficile non erit eorum antiquitatem & consensionem cum doctrina Christianorum, qui sæculis Ecclesiæ septimo & octavo vixerunt, breviter hic & historice demonstrare.

Negant Hæretici realem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi in augustissimo Eucharistiæ Sacramento, Missamque verum esse & proprie dictum Sacrificium. At Christiani, qui sæculis septimo & octavo vixerunt eamdem circa præsentiam Corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento, & circa Missæ Sacrificium fidem tenebant, quam nunc fidelibus credendam proponit Ecclesia Catholica (*a*). Observat quippe doctissimus *Mabillonius* in Præfationibus II. sæculi Benedictini, quod est Ecclesiæ septimum, & III. sæculi Benedictini, quod est Ecclesiæ octavum, Viros pios haud paucos per hæc duo sæcula rem sacram quotidie frequentasse, seu Missam celebrasse, & eos, qui diebus festis Missarum solemniis intererant, cibi ac potus expertes esse debuisse, ut constat ex Auctore antiquo & gravi in libro *de Vita Sancti Walarici* cap. 15. ubi hæc habet: *Duo germani erant, qui ad eum* (Sanctum Walaricum) *in festivitate Sancti Martini advenerant, quibus increpando ait: admiror cur ante Missarum solemnia bibere præsumpsisti. Qui confitentes commissum suum, veniam postulant, & de reliquo se se emendaturos spondent*. Cum maxima cura & singulari pietate præparabatur panis, qui super Mensam Domini in Sacrificio offerri debebat, isque erat integer, nitidus, super cæteros albus, & diversus a pane usitato & communi, sicut statuitur in Concilio Toletano decimo sexto habito ann. DCXCIII. Canone sexto his verbis: *Ad conventus nostri agnitionem delatum est, quod in quibusdam Hispaniarum partibus quidam Sacerdotes, non panes mundos & studio præparatos super Mensam Domini in Sacrificio offerant; sed de panibus suis usibus præparatis crustulam in rotunditatem offerant. Quod factum nequaquam in sacræ auctoritatis historia gestum ostenditur. Unde id unanimitatis nostræ elegit conventus, ut non aliter panis in Altari Domini benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer, & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus, neque grande aliquid, sed modica oblata, secundum quod Ecclesiastica consuetudo retentat*. Cæterum, an panis, qui sæculis septimo & octavo in Ecclesia tam Orientali, quam Occidentali offerebatur in Missæ Sacrificio, esset Azymus, an fermentatus, non convenit inter Doctores Catholicos. *Jacobus* siquidem *Sirmondus* singulari, quod edidit, *de Azymis* Opusculo, probandum suscepit, Romanam Ecclesiam non nisi aliquandiu ab obitu *Photii* Patriarchæ Constantinopolitani Azymis panibus in Missæ Sacrificio uti cœpisse, idque colligit ex silentio ejusdem Photii, qui cum multiplices Latinorum ritus, mores ac cæremonias maligne carperet, nullam eis propter Azyma litem moverit. At mihi multo probabilius videtur, Ecclesiam Romanam ante obitum Photii, qui nono sæculo Ecclesiam Græcam diro schismate a Latina divulsit, panem Azymum in Missæ Sacrificio adhibuisse. *Alcuinus* quippe, qui octavo Ecclesiæ sæculo sub Carolo Magno florebat, initio nascentis hæresis Felicis Urgellitani, & Elipandi Toletani Antistitum, hoc est, ante Synodum Francofordiensem celebratam anno DCCXCIV. scripsit Epistolam ad Lugdunenses, in qua consuetudinem improbat Hispanorum quorumdam, qui sal in panem oblationis mittebant, *quod*, inquit, *nec universa Ecclesia observat, nec Romana custodit auctoritas*. Tum subinde pergit Alcuinus: *Tria sunt, quæ in Sacrificio hujus testimonii offerenda sunt, panis, aqua & vinum. Panis, qui in Corpus Domini consecratur, absque fermento alterius infectionis debet esse mundissimus*. Ex quibus verbis perspicuum est, panem dumtaxat Azymum, non fermentatum, tempore Alcuini, hoc est, octavo Ecclesiæ sæculo, ad Aram adhibitum fuisse ab Ecclesia Romana. Verum, celebrem istam controversiam de materia Sacrificii Eucharistici, utrum videlicet perpetuus fuerit solius Azymi panis in Ecclesia Latina usus, sicut contendit doctissimus *Mabillonius* in Disquisitione *de pane Eucharistico*, vel utrum solius Azymi panis in Ecclesia Latina usus a tempore tantum Schismatis *Photii* adhiberi cœperit, ut docet *Sirmondus* in suo *de Azymis* Opusculo? hanc, inquam, celebrem controversiam opportunius expendemus in Colloquiis in Historiam noni Ecclesiæ sæculi, quo cœpit Schisma Photianum. Satis hic observasse sufficiat, Christianos, qui sæculis septimo & octavo vixeruot, firmiter credidisse, Missam esse verum & proprie dictum Sacrificium incruentum, in quo non alia offertur victima, quam Christus Dominus, & ad illud divinum peragendum Sacrificium Sacerdotes id temporis usos fuisse Altaribus mobilibus, editis, & cavis, de quibus legendus est *Mabillonius* in Præfatione sæculi II. Benedictini, quod est Ecclesiæ septimum, ubi etiam observat, solemne etiam fuisse per hæc duo sæcula, septimum & octavum, laicis sacram communionem manu recipere, & sub utraque specie communicare, idque colligit ex Actis Sanctæ *Odiliæ* Abbatissæ, quæ morti proxima *cum Calicem, in quo Dominicum Corpus & Sanguis habebatur, sibi afferri præcepisset, propriis manibus eum accipiendo, sancta communione participata, omnibus cernentibus, animam reddidit*. Sed hunc antiquum usum, qui meram spectat disciplinam, & ex quo multa nascebantur incommoda & pericula, justis de causis postea sustulit Ecclesia.

(*a*) Cmit.

(a) „ Omittendum minime duco luculentum „ testimonium fidei Ecclesiæ Græcæ circa dog„ ma de Eucharistia, quod erui e libello Mi„ chaelis Syncelli Hierosolymitani de *Orthodoxa* „ *fide* vulgato a Montfaucon Biblioth. Coisli„ nianæ pag. 90. Vivebat autem Michael tem„ pore Ludovici Pii sub Theophylo Græcorum „ Imperatore, en ejus verba : *Accedo ad inte„ merata mysteria, credens illa vere esse Corpus „ & Sanguinem Dei verbi pro nobis incarnati, „ qui dedit ipsa fidelibus in cibum & potum, in „ remissionem peccatorum*. Luculentum hoc de ve„ ritate Eucharistiæ testimonium plurimum valet „ ad demonstrandum Græcos in eo fidei articulo „ idem sensisse, quod hodie tenet Ecclesia Ro„ mana, eo etiam tempore, quo ab eadem Ec„ clesia abalienari incipiebant.

Secundo, inficiantur Hæretici hujus temporis *Confirmationem*, quæ confertur per impositionem manuum Episcopi, esse verum novæ legis Sacramentum, & per eam dari Spiritum Sanctum; insuper usum Confessionis Sacramentalis admittere nolunt. At sæculis Ecclesiæ septimo & octavo Episcopi per manuum impositionem fideles confirmabant, & Sacramentalis Confessio erat in usu, eaque ad Sacrosanctam Eucharistiam necessario præmitti debebat. De Sacramento Confirmationis luculentum exemplum profert Venerabilis *Beda* in Vita *Sancti Cuthberti* soluta oratione composita Capp. 29. & 32. sed præsertim in Epistola ad *Egbertum*, ubi hæc habet : *Si autem aliquid utilitatis fidelibus conferre pro manus impositionem, qua Spiritus Sanctus accipitur, credimus, constat e contrario, quod hæc ipsa utilitas eis, quibus impositio defuerit, abest*. Confessionis autem Sacramentalis usum, ac necessitatem diserte adstruit *Alcuinus*, Præceptor Caroli Magni, in Epistola, quæ, juxta editionem Chesnianam, ordine est septuagesima prima directa ad quosdam Laicos in Provincia Gothorum, qui peccata sua sacerdotibus confiteri recusabant. Sic autem in prædicta Epistola scribit Alcuinus : *Dicitur vero, neminem ex laicis suam velle Confessionem Sacerdotibus dare, quos a Domino Christo cum Sanctis Apostolis ligandi solvendique potestatem accepisse credimus*. Deinde, variis argumentis & necessitatem Confessionis in peccatore, & facultatem absolvendi in Sacerdote probat Alcuinus, & ex comparatione trium Mortuorum, quos Dominus suscitavit, tria distinguit peccatorum genera, *quæ modo quotidie divina confitentibus suscitare solet gratia*. Alii quippe, inquit, in corde peccant, alii opere, alii ex consuetudine, ac demum ita concludit: *Hæc cogitate, charissimi fratres, & in qualicumque harum trium mortium generibus, si quis jaceat, citius ad Confessionis probatissima medicamenta confugiat, salutifero pœnitentiæ se abluat medicamine, ut non ad judicium damnationis, sed ad salutem sanctificationis communicet Corpore, & Sanguine Domini Nostri Jesu Christi*. Paucis vero interjectis, hæc subjungit : *Sequimini vestigia Sanctorum Patrum, & nolite in Catholicæ Fidei Religionem novas inducere sectas. Cavete vobis venenosum erraticæ invectionis fermentum, sed in sinceritate, & veritate mundissimos sacræ Fidei comedite panes*. Extat insuper, ad probandum Confessionis Sacramentalis usum octavo Ecclesiæ sæculo viguisse, insigne monumentum petitum ex Actione prima Concilii Romani sub Zacharia Romano Pontifice celebrati anno 744. ubi de præsumptione *Aldeberti* hæretici legitur, hoc maximum ejus scelus, & blasphemiam contra Deum fuisse, quod *venienti populo, & prostrato ante pedes ejus, & cupienti confiteri peccata sua, dicebat : Scio omnia peccata vestra, quia mihi cognita sunt occulta vestra ; ideoque opus non est confiteri ea. Securi ergo, & absoluti de peccatis vestris præteritis, revertimini ad domos vestras cum pace*. Quæ verba manifesto indicant, moris tum temporis fuisse, ut qui Sacerdotibus peccata sua in aurem revelare volebant, prostrati ante pedes Confessarii id præstarent. Plura super hac re legesis apud doctissimum *Mabillonium* in Præfatione primæ partis sæculi III. Benedictini, quod est Ecclesiæ octavum, ubi de Confessione Sacramentali, quæ ea ætate fiebat in extremis, ante confirmationem, ante peregrinationem, ante Monasticæ vitæ institutum, ante militum initiationem, ante pugnam, in Festis anni præcipuis, de Confessione Sacerdotum, Monachorum, & sanctimonialium perdocte, & eleganter differit.

Tertio, Hæretici nostri temporis Status Monastici, & Pœnitentiæ sunt osores. At sæculis Ecclesiæ septimo, & octavo Status Monasticus in maximo honore habebatur, ut videre est apud sæpius laudatum *Mabillonium* in Præfationibus sæculi II. & III. Benedictini, & in Actis Sanctorum Monachorum, quæ in his duobus sæculis Benedictinis refert idem Clarissimus Author. Vigebat etiam hisce sæculis pœnitentia publica, cujus conservationi diligenter invigilabant Pastores. Hinc Patres Concilii Cloveshoviensis octavo sæculo celebrati, graviter conquesti sunt de pœnitentiæ publicæ redemptione, quæ a quibusdam fiebat per eleemosynas, & Missas. Patres etiam Cabilonensis ac Remensis Synodorum multum improbarunt redemptionem, seu remissionem, & publicæ pœnitentiæ relaxationem, quæ nonnullis indulgebatur propter laborem peregrinationum *Romanæ, Turonumve, & alia quædam loca sub prætextu orationis*, ut loquuntur Patres Cabilonenses. Qua de re legendus est *Joannes Morinus* Congregationis Oratorii Presbyter in libris, quos edidit, *de Pœnitentia*.

(a) „ De auriculari confessione afferre juvat „ testimonium ex capitulari secundo Theodulfi Au„ relianensis vulgato a Baluzio Miscell. tom. VII. „ *Capitalia & mortalia crimina publice deflenda „ sunt secundum Canonum & Sanctorum Patrum „ institutionem ; sed & secreta satisfactione solvi „ mortalia crimina non negamus, mutata ta„ men prius animi intentione*. Et inferius : *Si „ autem occultum sit, occulte similiter* (Pœnitentia„ rius) *agat, sicut superius insertum est* : & alibi „ in eodem capitulari : *quod si occulte actum est*, „ & oc-

„ *& occulte ad Sacerdotem venerint & puram*
„ *confessionem fecerint, occulte pœniteat secundum*
„ *ætatis modum &c.*

„ Ibi pariter luculentum testimonium exhibe-
„ tur de sacramento unctionis extremæ, & de
„ discrimine ab unctione, quæ fit in chrismate:
„ *Episcopus non oleum infirmorum, sed Chrisma*
„ *frontibus omnium baptizatorum & manibus Sa-*
„ *cerdotum imponit*. Cur profecto tanta necessi-
„ tas, ut hoc reservetur Episcopis, nisi hæc un-
„ ctio plus aliquid intulisset, quam merum Sa-
„ cramentale?

Quarto, Hæretici nostri temporis Cultum, qui defertur Corporibus, seu Reliquiis Sanctorum damnant, omnemque venerationem adimunt sacris Imaginibus. At, Christiani, qui sæculis septimo, & octavo vixerunt, cultum detulerunt Corporibus, & Reliquiis Sanctorum, quæ, ut ostendit Mabillonius locis mox citatis, e tumulis, in quibus jacebant, tum temporis levari, transferrique cœperunt, quod tamen antehac nunquam, aut saltem raro factitari solebat, sicut colligitur ex Epistola Sancti Gregorii Magni ad *Constantiam* Augustam, quæ propter eam, quam in honorem Sancti Pauli Apostoli in Palatio ædificabat Ecclesiam, Caput ejusdem Apostoli, aut aliud quid de corpore ipsius ad se transmitti petierat; respondit Sanctus Gregorius, id sibi non licere, relatis variis prodigiis ad tumulos Sanctorum Petri, & Pauli, ac Laurentii factis adversus eos, qui humum eorum sepulchris contiguam effoderunt. Tum subdit: *Cognoscat autem tranquillissima Domina, quia Romanis consuetudo non est, quando Sanctorum Reliquias donant, ut quidquam tangere præsumant de Corpore, sed tantum in Pixide brandeum* (seu linteum) *mittitur, atque ad Sanctorum Corpora ponitur; quod levatum, in Ecclesia, quæ est dedicanda, debita cum veneratione reconditur, & tantæ per hos ibidem virtutes fiunt, ac si illuc specialiter eorum Corpora deferantur.* Et infra ait: *in Romanis namque, vel totius Occidentis partibus omnino intolerabile est, atque sacrilegum, si Sanctorum Corpora tangere quisquam fortasse voluerit. Quod si voluerit, certum est, quia hæc temeritas impunita nullo modo remanebit. Pro qua re de Græcorum consuetudine, qui Ossa Sanctorum levare se asserunt, vehementer miramur, & vix credimus.* Quibus verbis manifestum est, Sancti Gregorii Magni Pontificatu nefas fuisse in Occidente Sanctorum Corpora contingere, aut e tumulis levare, sed Reliquiarum loco brandea (seu lintea) fuisse transmissa. Verum, per sæcula septimum, & octavum Christiani, ut majorem Corporibus Sanctorum venerationem conciliarent, illa e tumulis, in quibus erant recondita, levare, atque transferre cœperunt. Legitur etiam in libello *de Metensibus Episcopis*, quem *Paulus* Diaconus scripsit, *Chrodegangum* Metensem Episcopum circa an. DCCXLIV. obtinuisse a *Paulo* Romano Pontifice tria Corpora Sanctorum Martyrum, scilicet *Gorgonii*, *Naborii*, & *Nazarii*, quæ inter Monasteria divisa fidelium pietati ac venerationi exhibuit. Magna cum solemnitate septimo Ecclesiæ sæculo celebrari in Occidente cœperunt festivitates Circumcisionis Christi Domini, Epiphaniæ, Annunciationis, Purificationis, Assumptionis, & Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis. Celebris quoque tum erat festivitas sub invocatione Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum Martyrum ob dedicationem Templi Romæ dicti *Pantheon* a Bonifacio IV. Pontifice Maximo factam anno DXLII. Cui festivitati postea successit dies festus Kalendis Nov. omnibus Sanctis sacer. Doctissimus Cardinalis *Bona* in libro *de divina Psalmodia* cap. 12. asserit, in Monasterio Cryptæ Ferratæ servari Manuscriptos Codices Græcos Sancti Joannis Damasceni, qui sæculo octavo floruit, ubi Officia Virginis Deiparæ exarata, & in omnes anni menses digesta sunt. Quo non solum roboratur Historia Vincentii Belvacensis, qui Speculo Historico lib. 17. c. 103. scribit, Sanctum Joannem Damascenum persolvisse quotidie Horas Canonicas Beatæ Virginis Deiparæ, sed etiam palam ostenditur, jam octavo Ecclesiæ sæculo modum colendi, & invocandi Sanctos, præcipue Mariam Virginem, fuisse præfixum usque receptum. Quod attinet ad Cultum, quem Catholici deferunt sacris Imaginibus, & quem Hæretici tantopere aversantur, certum est Catholicorum doctrinam de exhibendo Cultu sacris Imaginibus fuisse a Sanctis Patribus approbatam, stabilitam ac definitam esse octavo Ecclesiæ sæculo, solemni Decreto septimæ Synodi Generalis, quæ est Nicæna secunda contra Hæreticos Iconomachos congregata, ut in superioribus Colloquiis commonstravimus, adeoque Hæreticos, qui hunc extinctum Iconoclastarum errorem postremis hisce temporibus renovarunt, ab avita Catholicorum doctrina descivisse.

Denique, mortuos precibus ac suffragiis vivorum apud Deum juvari, & a piacularibus pœnis, quibus in Purgatorio torquentur, liberari posse (quod pertinaciter negant Hæretici) aperte demonstrant Societates illæ, quæ octavo sæculo in commendationem Mortuorum institutæ sunt, & perpetua Anniversaria, quæ ad eorum animas pœnis eximendas frequentari cœperunt. De ejusmodi Societatibus insignis extat locus apud Venerabilem *Bedam*, qui pro mercede Vitæ Sancti *Cuthberti* Cantuariensis Episcopi a se conscriptæ hæc rogat in Prologo ad *Eadfridum* Episcopum Lindisfarnensem. *Me defuncto pro redemptione animæ meæ, quasi pro familiaris ac vernaculi vestri, orare, & Missas facere, & nomen meum inter vestra scribere dignemini.* Plures etiam ea de re leguntur Epistolæ Sancti *Bonifacii* Episcopi Moguntini & Martyris, ut videre est apud *Mabillonium* in Præfatione primæ partis sæculi III. Benedictini, quod est Ecclesiæ octavum. De Spiritus Sancti a Patre, Filioque processione Græcos inter & Latinos octavo sæculo mota est Controversia, quam in Conciliis Francofordiensi, & Gentiliacensi diremerunt Latini definientes juxta Scripturæ Sacræ & Sanctorum Patrum doctrinam, Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere. Sed de doctrina, quam uno consensu, aperte, frequenter & perseveranter sæculis

Ecclesiæ septimo, & octavo tenuerunt fideles, & quam etiamnum constanter profitetur Ecclesia Catholica, hæc breviter retulisse sufficiat.

D. Hæc antiqua, & perpetua doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ consensio unum mihi, instar omnium, suppeditat argumentum ad tela Hæreticorum eludenda, Sophismata diluenda, & Ecclesiæ Catholicæ causam feliciter propugnandam. Habet siquidem Ecclesia Catholica, ut jam in præcedentibus Colloquiis luculenter ostendisti, venerandos primævæ doctrinæ, & fidei suæ testes. At Hæretici male sibi conscii in ipsam antiquitatem temere insurgunt, Sanctos Patres lacerant, conculcant, cane pejus, & angue traducunt odio, atque antiquorum Hæresiarcharum, quibus, velut suis parentibus, gloriantur, errores, indeficienti Ecclesiæ judicio prædamnatos, ab orco revocant, atque obfirmatis animis tuentur. Unde sese Novatores produnt, & Fidei Catholicæ desertores, quia, sicut hesterna die legebam apud Tertullianum, in lib. de præscript. Hæreticorum, capite vigesimo: *Constat omnem doctrinam, quæ cum Ecclesiis Apostolicis Matricibus, & Originalibus fidei conspirat, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit; omnem vero doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei.* Item lib. 4. contra Marcionem, cap. 5. ait Tertullianus: *In summa, si constat id verius quod prius, id prius quod & ab initio, id ab initio quod ab Apostolis; pariter ubique constabit, id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit Sacro-sanctum.* Profecto, quantumvis se torqueant, & in omne latus sese vertant Hæretici, nunquam ostendere poterunt, doctrinam suam cum Ecclesiis Apostolicis Matricibus, & Originalibus fidei conspirare, cum ex adverso Catholici non dubitent, doctrinam suam ab Apostolis esse profectam, quia in Ecclesia Romana, quæ est Apostolica, & omnium Ecclesiarum Mater, fuit ab ipsis Apostolorum temporibus ad nos usque, perpetua sæculorum serie, constanter tradita & inviolabiliter custodita. Id de Doctrina Ecclesiæ Catholicæ probe perspectum habeo. Quocirca, expendamus nunc, si placet, quænam sæculis septimo, & octavo viguerit Ecclesiæ Disciplina?

M. Sub finem septimi Ecclesiæ sæculi Bella Civilia, quæ in Galliis conflagrarunt, Disciplinam Ecclesiasticam non minus, quam Rempublicam afflixere. Nam teste *Sancto Bonifacio* in suis ad Zachariam Papam litteris, nulla tum in Galliis celebrabantur Concilia, Archiepiscopi nulli, Ecclesiarum jura pessumdata, & conculcata, Bona Ecclesiastica a laicis usurpata, Metropoleon ordo turbatus, tantisque universa Galliarum Ecclesia malis sequenti etiam sæculo, seu Ecclesiæ octavo, fuit oppressa, ut *Hadrianus* Papa Carolum Magnum anno DCCLXXIV. Romæ agentem, monere coactus fuerit de aliquo hujusmodi malis remedio afferendo, quod quidem facturum se ultro promisit religiosissimus Rex; & revera, ut mox ostendemus, omnem suam ad id industriam adhibuit. Tunc desperatissimum collapsæ Disciplinæ in Ecclesia Gallicana statum sic describit Sanctus Bonifacius in suis ad Zachariam Summum Pontificem litteris: *Franci, ut Seniores dicunt, plusquam per tempus octoginta annorum Synodum non fecerunt, nec Archiepiscopum habuerunt, nec Ecclesiæ Canonica jura alicubi fundabant vel renovabant. Modo autem maxima ex parte per Civitates Episcopales Sedes traditæ sunt laicis cupidis ad possidendum, vel adulteratis Clericis, Scortatoribus, & Publicanis sæculariter ad perfruendum.* Huic fœdæ Disciplinæ Ecclesiasticæ in Galliis prolapsioni occasionem initiumque dedit *Carolus Martellus* Major Domus Regiæ, & Dux Francorum, qui Episcopatuum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum reditus laicis nobilibus concessit, qui ad Saracenos propulsandos militiæ nomen dederant, & in eo Bello suas pene omnes facultates exhauserant. Serpenti tam gravi morbo commodius mederi haud potuere Summi Pontifices Gregorius II. Gregorius III. & Zacharias, quam Vicariatu Apostolico & legatione demandata Sancto Bonifacio per Galliam & Germaniam, ut testatur *Hincmarus* Rhemensis Episcopus Epistola nona, ubi hæc habet: *Gregorius II. & III. Bonifacium Legatum Apostolicæ Sedis ad reformandam Christianitatis Religionem, primo Presbyterum, postea vero Episcopum ordinatum, direxerunt. Cui per annos viginti quinque in eadem prædicatione sine sede Cardinali laboranti, Præfatorum successor Zacharias Papa formavit ad locum.* Apostolici ergo Legati munia, missiones, & potestatem omnem Vicarii Apostolici per omnes Galliæ, Germaniæque Ecclesias explicuit Sanctus Bonifacius, Sedi ipse Ecclesiæ defixus nulli, donec aliquanto post, seu anno DCCLI. Zacharias Papa eum Ecclesiæ Moguntinæ Metropolitam instituit, cui & primatus affixit dignitatem, quæ usque in hodiernum diem inter Germaniæ Præsules perseverat in Episcopis Moguntinis. At Primatus, quem Sanctus Bonifacius in Ecclesiis Gallicanis obtinuit, personale dumtaxat fuit Privilegium, & ad tempus collatum, nec transivit ad ejus successores. Multa Sanctus Bonifacius ad resarciendam collapsam Ecclesiæ Disciplinam ex Episcopis Galliæ, & Germaniæ habuit Concilia, quorum nonnulla in editionibus Conciliorum extant. Ecclesiis Rotomagensi, Rhemensi, & Senonensi Metropolitanos, quibus jam diu privatæ erant, instituit, illisque Pallium a Summo Pontifice impetravit, ut constat ex Epistolis Bonifacii, & Zachariæ, necnon ex Historia *Flodoardi* lib. 2. cap. 16. Verum, quamvis Sanctus Bonifacius ad Ecclesiasticæ Disciplinæ jamdudum in Galliis collapsæ reparationem egregiam operam navaverit, nihilosecius cum plurimi Episcopatus a laicis tenerentur, opus fuit auctoritate Principum, ut iis a Beneficiorum injusta possessione pulsis, legitimi in eorum locum sufficerentur Antistites. Id testatur *Hugo* Flaviniacensis Abbas in Chronico Virdunensi, ubi de Carolo Magno Romæ existente hæc habet: *Licet in restaurationem Ecclesiarum aliquando studiose desudarit, tamen tanta erat mali moles, ut usque*

ad

ad Caroli Magni tempora malitiæ hujus duraverit pernicies veternosa, dum quod male quisque, & indebite usurpaverat, penes se retinere satagebat. Unde, cum clamores Ecclesiarum ad Sedem referrentur Apostolicam, & ab ea requirerent justitiam, Adrianus Pontifex Carolum Magnum ante Corpus Beati Petri conveniens, ut omnia corrigerentur, obtinuit. Refert postea Epistolam, quam Adrianus Papa dedit ad *Bertherium* Episcopum Viennensem, in qua hæc scribit Sanctus Pontifex: *Dilectus, & illustris ac religiosus filius noster Carolus Rex, & Patricius Romanorum Romam venit, & Pascha Domini apud Sanctum Petrum nobiscum egit, ubi inter alia monuimus eum de Metropolitanorum honore, & de Civitatibus, quæ laicis hominibus traditæ erant, & quia Episcopalis dignitas fere per octoginta annos a Francis esset conculcata.* Subdit denique *Adrianus* Papa, Carolum, cum hæc & his similia audisset, promisisse quod omnia *ad emendationem suam* venirent, seque omnibus Archiepiscopis, & Episcopis scripsisse, *ut, sicut antiquis privilegiis singulæ Metropolitanæ Urbes fundatæ sunt, ita maneant, ut habeat unaquæque Metropolis Civitates sibi subditas, quas Beatus Leo, & alii Prædecessores & Successores ipsius post Chalcedonensem Synodum singulis Metropolitanis distinxit. Nec præterea ulla Metropolis præjudicium patiatur, si alicui suffraganeorum aut nos, aut Prædecessores nostri, rogantibus piis Francorum Ducibus, Pallium largiti sumus. Nec debet Ecclesia ullum damnum sui Ordinis inde sustinere, si per LX. aut LXX. aut LXXX. & eo amplius annos, incuria quorumcumque Præsulum & vastatione Barbarorum dignitate antiquam, & Romanorum Antistitum firmitatem roboratam perdidit & amisit. Quando innumeris pene annis Spiritu Dei disponente usa fuerit. Auctoritate igitur Beati Petri Apostolorum Principis singulis Metropolitanis antiquo more potestatem reddidimus.* Hoc pacto cura hujus vigilantissimi Summi Pontificis, regnante Carolo Magno, restaurari cœpit in Galliis Ecclesiastica Disciplina, quæ tantum non extincta videbatur.

D. Quænam potissimum sæculis Ecclesiæ septimo & octavo circa Episcopos, Presbyteros, & Clericos fuit observata Disciplina?

M. Nulli sæculis Ecclesiæ septimo & octavo creabantur Episcopatus, nisi de Metropolitani, Synodi Provincialis, & Papæ consensu, sicut multis exemplis ostendit doctissimus *Ludovicus Thomassinus* Tomo 1. Disciplinæ Ecclesiasticæ cap. XV. Sanctum Bonifacium octavo Ecclesiæ sæculo Gregorius II. Papa Episcopum ordinavit, ut Infideles, qui erant in Germania, Christianæ Fidei luce perfunderet. Accepit etiam idem Bonifacius a Gregorio III. Pallium, nomen Archiepiscopi, & potestatem constituendi Episcopos in majoribus locis, ne sordesceret dignitas, quæ fidelibus venerabilis esse debet: *Præcipimus*, inquit Gregorius III. in Epistola ad Bonifacium, *ut, juxta Canonum statuta, ubi multitudo excrevit fidelium, & ex vigore Apostolicæ Sedis debeas ordinare Episcopos, pia tamen contemplatione, ut non vilescat dignitas Episcopalis.* Scripsit idem Pontifex ad Germaniæ Populos, ut Proceresque, ut his honorem dependerent Episcopis tanquam auctoritate Apostolica constitutis: *Episcopos vel Presbyteros, quos ipse*, (idest *Bonifacius*) *ordinavit per Apostolicam sibi datam auctoritatem, in Ecclesia ministerio recipiatis.* Ea potestate donatus Bonifacius, & in Bavariam profectus, cum unum ibi tantum a Papa ordinatum Episcopum reperisset, tres alios ordinavit Episcopos, totamque Provinciam, cum Ducis Procerumque consensu, divisit in quatuor Episcopatus, qui sunt *Salisburiensis*, *Frisingensis*, *Ratisponensis*, & *Pataviensis*. Quod Gregorius III. sua auctoritate confirmavit data Epistola ad Bonifacium anno DCCXXXIX. Flagitavit idem Bonifacius a Zacharia Papa Gregorii III. successore, ut confirmaret tres alios Episcopatus novos, quos ipse in Germania erexerat, *Herbipolensem*, *Buraburgensem & Erphesfustensem*, quos rescripto suo confirmavit Pontifex. Mos erat, ut Episcopi a Comprovincialibus Episcopis eligerentur, eorumque electiones a Metropolitanis confirmarentur prævio examine de scientia & moribus electorum, ut constat ex Canone secundo septimæ Synodi Generalis. Coadjutores & Successores Episcopis dari absque gravi causa & evidenti Ecclesiæ bono non patiebatur Ecclesiæ Disciplina. Translationes Episcoporum ab una ad aliam Ecclesiam non fiebant nisi propter Ecclesiæ utilitatem, immo migrationes Episcoporum, & Clericorum de Civitate in Civitatem, absolute vetuit Carolus Magnus in Capitulari Aquisgranensi edito anno septingentesimo octogesimo nono. Antiqua Ecclesiæ Disciplina de residentia Episcoporum sæculis septimo & octavo multis Conciliorum Canonibus fuit confirmata. Nefas erat Clericis judicia publica, seu sæcularia absque Episcopi jussu petere, quod approbavit Carolus Magnus in Capitulari Aquisgranensi, ubi edixit, *ut, si Clerici inter se aliquod negotium habuerint, a suo Episcopo dijudicentur, non a sæcularibus.* Bonorum Ecclesiæ administratio erat penes Episcopum, omnia tamen bona ab Episcopis acquisita in jus Ecclesiæ cedebant, juxta Canonem quadragesimum primum conditum in Concilio Francofordiensi. Ecclesiæ reditus & oblationes in quatuor partes, secundum priscum morem, dividere tenebantur Episcopi, ita ut unam partem sibi retinerent; alteram Clericis pro suorum Officiorum sedulitate distribuerent, tertiam pauperibus & peregrinis erogarent; quartam denique Ecclesiasticis Fabricis reservarent. Curatorum, seu Parochorum institutio penes solum Episcopum erat, quamvis jure patronatus etiam a laicis nominari, vel præsentari possent. Non minus sæculis septimo, & octavo, quam in præcedentibus prohibita fuit Beneficiorum pluralitas: excusari tamen jure merito debent *Hugo* Caroli Martelli nepos, qui plures Episcopatus, & Abbatias octavo sæculo administravit; & *Alcuinus*, cui Carolus Magnus Abbatias Sancti Martini Turonensis, & S. Lupi Trecensis, necnon Ab-

batiam Ferrarienſem in Diœceſi Senonenſi contulit, eiſque addidit cellam Sancti *Jodoci*, & Cormaticenſem. At enim Hugo, & Alcuinus non ex cupiditate, aut ambitione tot fruebantur Beneficiis, ſed eo tantum fine, ut prodeſſent Eccleſiæ Gallicanæ, cujus plures Epiſcopatus, & Abbatias Carolus Martellus, ut jam inſinuavimus, laicis nobilibus tradiderat, qui milites ad Bellum contra Saracenos difficillimum ſuppeditabant. *Hugo* ſiquidem plures Epiſcopatus, & Abbatias retinens, eas in priſtinam libertatem vindicabat, & ſtrenue impediebat, ne venirent in Laicorum poteſtatem, omneſque, quibus potiebatur, redditus in bonum Eccleſiæ convertebat, ut teſtatur *Chronicon Fontanellenſe* cap. 8. Eodem zelo animatus *Alcuinus*, proventibus, quos ex Beneficiorum pluralitate percipiebat, non ad faſtum, luxumve abutebatur, ſed illos ad reſtaurandam collapſam in Abbatiis diſciplinam, & ad bonorum temporalium ſtatum redintegrandum, pie conſumebat: *Fugiebat*, inquit vitæ Alcuini Scriptor ei coævus, *modis omnibus otioſitatem. Nam aut legebat, aut ſcribebat, aut diſcipulos erudiebat, aut orationi vacabat & Pſalmorum decantationi, inevitabilibus tantummodo corporis indulgens neceſſitatibus.* Uni Eccleſiæ bono Alcuinus ſeſe totum devoverat, cujus ſtudio Scholam Turonicam moderando, Clericos ad hoc pietatis, & Doctrinæ Eccleſiaſticæ Seminarium confluentes inſtituebat, & ſacras prophanaſque litteras edocebat.

D. Fuitne ſtatus Monaſticus ſæculis ſeptimo, & octavo propagatus, & exacte in Monaſteriis obſervata vitæ Regularis Diſciplina?

M. Doctiſſimus *Mabillonius* in Præfatione ad ſæculum II. Benedictinum, quod eſt Eccleſiæ ſeptimum, ait S. *Amandum* non ſolum Monaſteria Virorum in Belgio, ſed etiam Cœnobia Puellarum, *Nivellenſe*, *Melbodienſe*, *Caſtrilocenſe*, *Marcianenſe*, & alia nonnulla fundaſſe, duplicemque in unoquoque Parthenone conventum fuiſſe, Monachorum ſcilicet ac Monacharum, quæ ab illis de more regebantur. At progreſſu temporis factum eſt, ut in Cœnobia illa Belgica ſucceſſerint Monachabus Collegia Canonicarum, & Monachis Canonicorum Conventus, adeo ut, ſicut Monachi primitus Monachabus, ita poſtmodum Canonici Canonicabus Sacramenta adminiſtrarent. Extant etiamnum in Belgio Cœnobia illa Canonicarum, quæ tamen ad nuptias, ſi voluerint, tranſire poſſunt, teſte *Miræo* in Notis ad cap. 13. Cod. Donat. ubi hæc habet: *Canonicarum nobili genere progenitarum, quæ ad nuptias tranſire poſſunt, Collegia in Hannonia ſunt duo, Montenſe* (ſeu Caſtrilocenſe) *& Melbodienſe: totidemque in Comitatu Namurcenſi, Andennenſe, & Monaſterienſe: & unum in Brabantia, Nivellenſe, omniumque apud Belgas, ut opinor, antiquiſſimum.* De iſtis Canonibus adhuc in Belgio exiſtentibus legeſis Mabillonium parag. 3. Præfationis ad ſecundum ſæculum Benedictinum, ubi de illis late diſſerit.

Multa a Monachis Benedictinis in Germania octavo ſæculo extructa ſunt Cœnobia, tam Virorum, quam Virginum, quæ erant Seminaria, & Scholæ, in quibus pueri ad pietatem, & ſtudia tum ſacrarum, tum prophanarum litterarum inſtituebantur. In his Germaniæ Cœnobiis, ut oſtendit ſæpe citatus Mabillonius in Præfatione primæ partis ſæculi III. Benedictini, quod eſt Eccleſiæ octavum, non magis abundavit bonorum copia, quam Sanctitas Religionis. At poſtquam ex copia, otiove laſcivierunt animi, cœpitque Religio magnifice magis coli, quam pie, tum demum, inquit clariſſimus ille Auctor, ſæcularium cupiditas involavit in Bona Monaſteriorum, quæ prius tota in cultum verſa numinis, violari ducebant nefas.

In Gallia ſæculo octavo miſerabilis fuit omnium Monaſteriorum ſtatus, valdeque labefactata Regularis diſciplina. *Carolus* quippe *Martellus* Major domus regiæ variis Bellorum tumultibus impeditus, & exhauſtus, Abbatias, ut jam obſervavimus, Laicis hominibus conceſſit, earum prædia in beneficium attribuit, eoque tandem proceſſit mali labes, ut Abbatiæ, ſeu Virorum Monaſteria, fœminis in beneficium traderentur. Hinc fugati tum vi, tum inopia Monachi, Cœnobia in ſolitudinem redacta, prædia in precarium laicis promiſcue donata, & ultima pene clades Monaſticæ Diſciplinæ illata, ſicut accurate deſcribit Chronographus Fontanellenſis. Huic tam grandi malo jam altas radices agenti, remedium adhibere conati ſunt optimi Principes *Carolomannus*, *Pipinus*, *Carolus*, & *Ludovicus* Auguſti, itidemque *Carolus Calvus*; eiſque collaboraverunt Epiſcopi Gallicani, quorum hæc fuit ſententia, deformatum Ordinem Monaſticum ad priſtinum ſplendorem reſtitui haud poſſe, niſi per Abbates Regulares: quod tamen executioni mandatum non eſt uſque ad finem decimi ſæculi, quo *Hugo Capetus*, qui tertiæ ſtirpis Regiæ nunc in Galliis feliciter regnantis caput eſt, hoc malum omnino ſuſtulit, & integram Eccleſiis, & Monaſteriis eligendorum Præfectorum, ſeu Epiſcoporum, & Abbatum Regularium libertatem reſtituit. Floruerunt tamen in Galliis ſeptimo Eccleſiæ ſæculo Sanctiſſimi Abbates, quorum Vitas deſcribit Mabillonius ſæculo II. Benedictino, multique Monachi octavo ſæculo ad Epiſcopatus, & ad graviſſima gerenda negotia fuerunt aſſumpti, quorum Acta ſæculo III. Benedictino exhibet idem Mabillonius. Regula S. Benedicti in Gallia, Germania, & Anglia primas tenebat octavo ſæculo, eamque omnia pene Monaſteria ſuſceperunt. Quo factum eſt, ut paulatim omnes in Occidente Monachi haberentur alumni Beati Benedicti, ejuſque Regulam fuerint amplexi. Antea ſiquidem multi erant Monachi, qui a primigenia origine Sectatores, ſucceſſoreſque erant eorum, qui inſtituti fuerant a *Martino*, *Cæſario*, *Caſſiano*, & *Columbano*, ſed hi omnes octavo Eccleſiæ ſæculo, relictis hiſce Regulis, quas prius indiſcriminatim profitebantur, ad unam Sancti Benedicti Regulam; quæ, præ cæteris, ut ait Sanctus Gregorius Magnus, eſt *diſcretione præcipua*, ſeſe totos contulerunt. Epiſcopis ſubditi erant tam Monachi, quam ſanctimoniales. Conceſſa tamen fuere octavo ſæculo Privilegia nonnullis Monaſteriis, quibus vel o-

omnino,

mnino, vel ex parte, ab Episcoporum jurisdictione solverentur. Inter quæ duo insignia habentur privilegia, unum videlicet Fuldensi Monasterio a Zacharia Summo Pontifice concessum, rogante Sancto Bonifacio Moguntino Archiepiscopo, qui illud fundaverat; alterum *Fulrado* San-Dionysiano Abbati indultum a Stephano Tertio pro omnibus Monasteriis ab ipso in Galliis fundatis, aut deinceps ab eo, vel ejus successoribus fundandis, & construendis. Pecuniam exigere pro ingressu in Monasterium districte prohibitum erat, & Simoniæ species merito censebatur. Monachorum, & Sanctimonialium in quovis Monasterio determinatus erat numerus, juxta facultates Monasterii. Ignobilibus æque ac nobilibus puellis patebat aditus ad Monasteria, postquam earum vocatio fuisset probata, sed ante vigesimum quintum ætatis annum Sanctimoniales non consecrabantur: ita sancitum est in Capitulari Aquisgranensi cap. XLVII. his verbis: *Virgines non velentur ante* XXV. *annos*. Idem statutum est in Concilio Francofordiensi Canone XLVI. Qui ad Episcopatum ex Monachorum ordine assumebantur, vitæ regularis propositum servare tenebantur, ut videre est in Actis Sanctorum, qui octavo Ecclesiæ sæculo e Monasteriis ad Episcopatum provecti sunt, quæ Acta exhibentur a doctissimo Mabillonio sæculo III. Benedictino. Fœminis ad Ecclesias Monachorum aditus non patebat, quæ licet disciplina amplius non vigeat, optandum tamen esset, ut saltem fœminis in Chorum, in Sanctuarium, & Sacrarium in Monasteriis ingressus esset omnino prohibitus, quod tamen (proh dolor!) non ubique observatur. Mabillonius in Præfatione primæ partis sæculi III. Benedictini, quod est Ecclesiæ octavum, refert rem certe singularem, videlicet tantum fuisse Monachis id temporis solitudinis amorem, ut miracula, si quando per sanctos domesticos in Ecclesiis suis patrarentur, aut occultare, aut cohibere pro virili studerent, ne confluentium hominum turbas paterentur, eorumque frequentia regularis disciplina remitteretur. Sic Sanctus *Hidulphus* ex Episcopo Treyirensi Medianensis Monasterii primus Abbas præcepit Sancto *Spinulo*, etsi mortuo, ut a patrandis miraculis cessaret, quamvis inde temporalia etiam commoda in Monasterium redundarent. Sed, quod mirum est, præcepto Abbatis obedivit Sanctus *Spinulus*, teste *Richerio* Senonensi Chronographo, cessaruntque miracula, *& affluentia populorum repressa, Abbas & fratres sine tumultus molestia Deo deinde servierunt*. O! utinam omnes, qui regularem disciplinam profitentur, hunc solitudinis amorem, vitæ Asceticæ tam necessarium, necnon sæculi contemptum cordibus penitus infixum haberent, sæpiusque meditarentur id quod Carolus Magnus in Capitulari Aquisgranensi cap. LXXIII. & in Capitulis, quæ Monachos proprie spectant, passim inculcat, videlicet, *ut Monachi monachice, & regulariter vivant, omnimodis secundum votum suum, secundum quod scriptum est: Vota vestra reddite Domino Deo vestro*. Et iterum: *melius est non vovere, quam vovere, & non reddere*.

D. Suppetitne tibi aliquid aliud dicendum circa Disciplinam, quæ sæculis septimo, & octavo fuit observata erga Episcopos, aliosque Ecclesiæ Ministros?

M. Episcopi, aliique Ministri sacri ob lapsum carnalem perpetua depositione septimo Ecclesiæ sæculo puniebantur. Id Sancto *Amando* Trajectensi Episcopo districte observandum præcipit *Martinus* Papa in Epistola ad ipsum directa his verbis: *Qui semel post suam ordinationem in lapsu ceciderit, deinceps jam depositus erit, nullumque gradum Sacerdotis poterit adipisci, sed sufficiet ei lamentationibus, fletibusque assiduis, quo usque advixerit, in eadem sententia perdurare, ut commissum delictum valeat extinguere*. Auctoritas judicandi causas Episcoporum accusatorum, eosque deponendi, in Galliis erat penes Synodum Provincialem, ut videre est in Capitulis *Ingilramni* Metensis Episcopi. Auctoritas tamen Synodi Provincialis non erat suprema, sed accusati ac depositi Episcopi poterant ab ejus judicio appellare ad Sedem Apostolicam. Eadem circa judicia Canonica, & depositiones Episcoporum in Anglia octavo Ecclesiæ sæculo vigebat disciplina, ut constat ex iis, quæ gesta sunt in causa *Wilfridi* Episcopi, qui in Concilio Provinciali depositus, ad Sedem Apostolicam appellavit, ac in Synodo Romana absolutus est, sicut refert Venerabilis *Beda* lib. 5. Histor. Eccles. Gentis Anglorum cap. XX. Idem post Bedam testantur *Eddius Stephanus* coævus Auctor, in Vita Sancti Wilfridi apud Mabillonium Tomo 1. sæculi IV. Benedictini, & *Fridegodus*, & *Eadmarus* in Vita ejusdem Sancti Wilfridi apud Mabillonium parte prima sæculi III. Benedictini. Non solum Episcopi, sed etiam Presbyteri Verbum Dei prædicabant, ut colligitur ex Capitulari Aquisgranensi Caroli Magni anno DCCLXXIX. cap. LXXX. Sacerdotes non ordinabantur octavo Ecclesiæ sæculo ante tricesimum ætatis annum, nisi Ecclesiæ utilitas aliter postularet; tunc enim eos ab anno ætatis vigesimo quinto inaugurari posse, permisit *Zacharias* Pontifex Maximus in Epistola ad Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum. Clericos Episcopis, & certis Ecclesiis addicebat ordinatio, eorumque Tonsura triplex distinguebatur, videlicet *Romana*, *Graecanica*, & *Scotica*. Clericorum Romanorum Tonsuram sæculis septimo, & octavo usitatam describit Canon quadragesimus Concilii quarti Toletani anno DCXXXIV. celebrati, ut nimirum *omnes Clerici, vel Lectores, sicut Levitæ, & Sacerdotes, detonso superius capite toto, inferius solam circuli coronam relinquant*. Græci Sacerdotes, & Monachi penitus detonsi erant. Demum Britonibus, ac Scotis mos erat anteriorem partem capillis nudare ab aure ad aurem posteriori intonsa. Occasione istius Tonsuræ Scoticæ, quæ a Romana discrepabat, gravis Britones, & Scotos inter, & Romanos exorta est altercatio, cui tandem octavo Ecclesiæ sæculo finem imposuerunt Monachi Benedictini, & Britones ac Scotos ad Romanæ Ecclesiæ Cæremonias, & ad pacem atque concordiam revoca-

revocarunt. Clerici omnes octavo sæculo Societate, & in Seminariis vivebant, vel in Monasteriis. Cathedralis Ecclesiæ Clerus in Episcopio adunatus erat. Eodem sæculo *Chrodegangus* Metensis Episcopus, regnante in Galliis *Pipino*, Clerum suum in Societatem congregavit, seu Canonicorum Congregationem instituit, quibus Regulam ex Canonibus, Sanctorumque Patrum scriptis, & maxime ex Regula Sancti Benedicti conflatam præscripsit, eos tamen voto paupertatis minime adstrinxit, ut facile colligitur ex Capitibus XXXI. & XXXII. ipsius Regulæ, quam edidit *Labbeus* Tomo VII. Conciliorum Capite siquidem XXXI. statuit *Chrodegangus*, ut Canonici facultates suas Congregationi donare debeant, retento tamen toto vitæ tempore, si libuerit, usu fructu. Et Capite XXXII. decernit idem Chrodegangus, ut, *si aliquis uni Sacerdoti pro Missis sua, vel pro Confessione, aut infirmitate, seu pro quolibet charo suo, aut vivente, aut mortuo, aliquid in eleemosynam dare voluerit, hoc Sacerdos a tribuente accipiat, & inde quod voluerit faciat*. Ex quibus verbis colligere proclive est, Canonicos a Chrodegango Metensi Episcopo institutos voto paupertatis non fuisse adstrictos, ac subinde non fuisse Canonicos Regulares, quos non minus paupertatis voto, quam aliis obedientiæ & castimoniæ ex Regularis vitæ instituto obstrictos esse debere, certum est apud omnes.

D. De Doctrina Morali, qua sæculis septimo & octavo Pastores, aliique Animarum Rectores Christianos imbuebant, superest ut in fine hujusce Colloquii paululum differamus.

M. Doctrinam Moralem sæculis septimo & octavo puram adhuc & illibatam fuisse facile colligi potest non solum ex Operibus Sanctorum Patrum & Scriptorum Ecclesiasticorum, qui his sæculis floruerunt, in quibus sanctissimæ bene vivendi præscribuntur regulæ, nec minimum extat vestigium harumce opinionum, quas ad excusandas excusatione in peccatis invexerunt moderni quidam Casuistæ a Sede Apostolica non semel proscripti, quorum nomina, nedum libros, utinam orbi Christiano nescire licuisset; verum etiam ex præclarissimis illis documentis, quæ leguntur in Capitulari Aquisgranensi cap. LXXX. ubi Verbi Dei præconibus, & iis, quibus ex officio incumbit cura Animarum, norma prædicandi, & fideles ad bonos mores informandi his verbis statuitur: *Sed & omni instantia admonete eos*, idest fideles, *de dilectione Dei & Proximi, de Fide, & Spe in Deo, de humilitate & patientia, de castitate & continentia, de benignitate & misericordia, de eleemosynis, & Confessione peccatorum suorum, & ut debitoribus suis, secundum Orationem Dominicam, debita sua dimittant, scientes certissime, quod qui talia agunt, Regnum Dei possidebunt*. Venerabilis etiam *Beda*, qui octavo sæculo floruit, in Epistola ad *Egbertum* Eboracensem in Anglia Archiepiscopum scribens, ipsum etiam rogat, *ut populis sufficientes Doctores vitæ salutaris adhibeat, & hoc eos inter alia discere faciat, quibus operibus maxime Deo placere, a quibus debeant se abstinere peccatis, quam frequenti diligentia signaculo se Dominicæ Crucis, suaque omnia munire; quam salutare sit omni Christianorum generi quotidiana Dominici Corporis ac sanguinis perceptio, juxta quod Ecclesiam Christi per Italiam, Galliam, Africam, Græciam, ac totum Orientem solerter agere noverat. Quod videlicet genus Religionis*, inquit, *ac devotæ sanctificationis tam longe a cunctis pene Provinciæ nostræ laicis per incuriam docentium, quasi peregrinum abest, ut hi, qui inter illos religiosiores videntur, nonnisi in Natali Domini, & Epiphania, & Pascha sacrosanctis Mysteriis communicare præsumant: Cum sint innumeri innocentes & castissimæ conversationis pueri ac puellæ, juvenes, & virgines, senes & anus, qui omni die Dominico, sive etiam in Natalitiis Sanctorum Apostolorum & Martyrum, quomodo ipse in Sancta Romana Ecclesia fieri vidisti, Mysteriis cælestibus communicare valeant. Ipsi etiam conjugati, si quis sibi mensuram continentiæ ostendat, & virtutem castitatis insinuet, idem & licenter possint, & libenter facere velint.* (a)

„ (a) De Sacra Eucharistiæ communione pige-
„ ret hic non adnotasse, quæ legenda mihi oc-
„ currerunt in Concilio quodam Reispacensi an-
„ ni 799. ut arbitror, quod lucem videbit in no-
„ va Conciliorum editione; ibi enim can. VI.
„ de Eucharistia sic statuitur: *Vos admonemus;*
„ *ut inter tertiam & quartam dominicam* (perce-
„ ptio Eucharistiæ, quæ hic *Sacrum Sacrificium*
„ appellatur) *a vobis non negligatur; cum et-*
„ *iam & Græci & Romani seu & Franci omni*
„ *dominico communicent*.

D. Antiqua est, ut video, doctrina de frequenti Communionis usu, & tamen paucis abhinc diebus obvium quemdam habui Theologum, qui multis argumentis mihi persuadere volebat, doctrinam de frequenti Communionis usu non solum contrariam esse præsenti Ecclesiæ praxi, qua fideles ad annuam dumtaxat Communionem in Paschate peragendam obstringuntur, sed etiam alienam esse a communi opinione illorum Theologorum, qui antiquæ retinendæ disciplinæ tenacissimi docent, a frequenti Communione Christianos arceri ac submoveri debere. Esto nunc, si placet, istius controversiæ Arbiter, & Judex.

M. Nec præsenti Ecclesiæ praxi, nec sententiæ Theologorum, qui sunt studiosi antiquæ disciplinæ cultores, adversatur, sed potius apprime consentaneus est frequens Communionis usus. Ecclesia quippe non hanc legem de annua Communione in Paschate peragenda sanxit, ut a sacræ Communionis frequenti usu dignos arceret, quæ omnes stimulat, & hortatur, ut eam vitam agant, quæ hunc Angelorum cibum quotidie mereatur accipere; sed ea tantum lege sategit pia Mater Ecclesia, ut in tanta morum laxitate, cum eo frigiditatis, & teporis venissent Christiani, ut in plures annos Communionem differrent, semel ad minus singulis annis in Paschate, omnes sacrorum Mysteriorum essent participes, hoc

est,

est, Christi Domini Corpus acciperent. Porro, frequentem Communionem semper suasit Ecclesia, Regulas tamen præscripsit, ad quas Communionis frequentia aut raritas exigi debeat. Veris Christianæ vitæ cultoribus, & animabus puris frequentiorem Communionem multum spiritualis fructus afferre semper credidit Ecclesia. Hinc trium priorum Ecclesiæ sæculorum Christiani, quorum omnium cor erat unum, & anima una in Domino, quotidie, vel frequenter cælesti Eucharistiæ cibo reficiebantur. At Sanctum dandum esse canibus, margaritas ante porcos projiciendas, & Sacram Communionem hominibus in peccata mortifera relapsis impertiendam esse statim, ac e cæno emerserunt, vel sua crimina adhuc fumantia præcipiti Confessione in aurem Sacerdotis susurrarunt, nunquam existimavit Ecclesia, nunquam docuerunt Sancti Patres, nullus unquam affirmabit Theologus, saltem ex his, qui saniori Theologiæ Morali sunt addicti. Venerabilis itaque *Beda* non omnes promiscue Christianos octavi sæculi ad frequentem Communionem hortabatur, sed dumtaxat eos, qui erant *Innocentes*, ait enim: *Cum sint innumeri innocentes, & castissimæ conversationis*. Sed enim *innocentes* dicuntur hi, qui tametsi peccatis venialibus obnoxii sint, Baptismi tamen gratiam inviolatam, & incolumem tenent; vel hi, qui baptismalis quidem gratiæ jacturam fecerunt, sed peccatorum suorum maculas, sincera, ferventi, & accurata pœnitentia eluerunt, atque ad laudabilis vitæ Christianæ Institutum, & ad optimam frugem sese receperunt. Id genus Innocentes Christianos ad frequentem Communionem perpetuo invitavit, & etiamnum invitat Ecclesia. Cæterum, Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ non omnibus indiscriminatim Christianis fuisse antiquitus administrata, facile colligitur, non solum ex constanti Sanctorum Patrum doctrina, quam hic adducere, & explicare nimis longum esset, sed etiam ex ea consuetudine, quæ sæculis Ecclesiæ septimo, & octavo obtinebat, juxta quam, his, qui Judicum sententia capite plectebantur, Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ ob tres causas denegabantur, quarum prima hæc erat, quod Author vitæ, Author gratiæ Christus Dominus, aut iis dandus non esset, quibus vita non concedebatur, aut quibus donaretur ipse, iis vita quoque donari deberet. Altera ea erat, quod peccata per pœnitentiam obliterata, jam non deberent inquiri, nedum puniri per Judices publicos. Tertia tandem ratio petebatur ex incerto exitu, & fructu Confessionum, & Pœnitentiarum hujusmodi præfestinatarum, quas sinceras non esse, continua experientia, heu nimium! docet. Hinc est, quod antiqui Patres, ut videre est apud Sanctum Augustinum Epistola LV. veteris editionis, pro reis sententia Judicum damnatis, tam studiose, tam sollicite deprecarentur, ut vita diutius producta sinceram pœnitentiam non verbis tantum, sed factis, mi-seri illi probarent. Scilicet, probe sciebant veteres Patres, paucas horas ad mortem sancte obeundam Viris sceleстissimis sufficere vix posse, rarumque & arduum esse post longam ætatem prave & nequiter actam cum Deo reconciliari, quia multorum annorum debita, vix, ac ne vix quidem pauculis horis exolvuntur. Hæc consuetudo reis, ultimo deputatis supplicio, Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ denegandi viguit in Galliis usque ad finem sæculi decimi quarti, seu ad annum usque MCCCXCI. quo Carolus VI. Galliarum Rex permittere cœpit, ut reis non multo post ad patibulum ducendis, Presbyter concederetur, qui eorum Confessiones exciperet. Mos tamen adhuc obtinet in Galliis, reis ultimo afficiendis supplicio Eucharistiæ Sacramentum denegandi.

D. Certe probare neutiquam possum hanc consuetudinem, quæ adhuc, ut dicis, observatur in Galliis, abnuendæ videlicet Eucharistiæ reis, sententia Judicum morti addictis, maxime cum videam, Romæ, in tota Italia, & in aliis Orbis Christiani Regionibus hunc morem esse receptum, ut reis ultimo puniendis supplicio Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ impertiantur.

M. Ut ut sit de hac consuetudine, quæ etiamnum observatur in Galliis, & quam damnate non ausim, certo affirmare possum cum doctissimo *Ludovico Thomassino* Tom. 2. *Veteris & novæ Disciplinæ* Cap. LXXVI. nihil omnino decerpi honoribus, qui sacrosanctæ Eucharistiæ debentur, dum ejus participes fiunt rei, qui mox proprio cruore scelera sua sunt abstersuri, quia Hostiæ pro omnium hominum salute oblatæ non potest non congruere, quidquid hominum eorumdem saluti conducibile est atque proficuum. *Joannes Chiffletius*, qui Dissertationem hoc de argumento, quod in præsentia versamus, edidit, complures profert Pontificum Bullas evulgatas in gratiam piarum Sodalitatum, quæ reis & carceratis juvandis dicatæ sunt, potissimum vero, ut Eucharistiæ Sacramento muniantur ante mortem. Profert etiam multos Scholasticos Doctores, & casuum conscientiæ Tractatores recentiores, quorum alii censent, non ea ipsa die capitali supplicio affici debere reos qua Eucharistiam perceperunt; alii vero existimant, etsi ea ipsa die morte afficiantur, nihil tamen inde dedecoris resilire in sacram Eucharistiam, cum patrata facinora vindicari ac puniri jubeat lex justitiæ, nec id alienum esse possit a Christo, qui lex princeps est justitiæ. Cæterum, quamvis laudanda & probanda sit illa consuetudo, quæ mox inolevit, Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ administrandi reis, qui sententia Judicum damnati propediem in patibulo sunt morituri, nihilo secius ex antiquo more denegandi reis utrumque Sacramentum, & ex doctrina Sanctorum Patrum, qui præproperas Confessiones & pœnitentias graviter suspectas habent, facile colligere possumus, quam recte se gerant illi Confessarii, qui peccatoribus sæpius in eadem flagitia relabentibus, nec ulla conersionis sinceræ conversionis indicia præbentibus absolutionis bene-

beneficium non impendunt, donec sinceram suam conversionem dignis pœnitentiæ fructibus probantes, absolutionis salubriter accipiendæ capaces evaserint. Hæc sedulo meditare, charissime Discipule, & si aliquando, divina disponente Providentia, contingat, ut curam Animarum suscipias, fac ut in administratione Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ duas istas Regulas semper præ oculis habeas, quarum prima hæc est: Sacerdos, ne potestate clavium sibi divinitus tradita abutatur, peccatores in mortalia continuo relabentes flagitia, atque scelestæ vitæ seriem post iteratas Confessiones minime emendantes, absolutionis beneficium statim donare non debet, donec dignis pœnitentiæ fructibus conversionis sinceritatem probaverint. Altera Regula ista est: Christiani, qui post amissam Baptismi innocentiam, ii potissimum qui in lethalia peccata iteratis lapsibus recidunt, non debent ante dignos sinceræ pœnitentiæ fructus ad sacram Communionem accedere. Has duas Regulas ex Sanctorum Patrum doctrina depromptas, si aliquando ad regimen animarum admotus diligenter observes, & te ipsum salvum facies, & eos, qui te audient.

D. Præclara ista moralia documenta memoriæ meæ adamantino clavo infigere satagam, quibus, si ut par esset, uterentur animarum Rectores, non tot profecto essent larvatæ pœnitentiæ, & sacrilegæ Communiones, nulloque negotio extirpari possent omnes abusus, qui in administrationem Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ irrepserunt; cum e contra violatis illis Regulis, omnis Disciplina Ecclesiastica labefactetur, omnis Christianorum salus prodatur, omnis sinceræ conversionis spes extinguatur, omnibus vitiis aditus & impunitas aperiatur, necesse sit. His igitur saluberrimis documentis præsenti Colloquio, & Historiæ Ecclesiasticæ sæculorum septimi & octavi finem imponamus.

H I S T O R I A

E C C L E S I A S T I C A

IX. Ecclesiæ Sæculi,

Variis Colloquiis digesta.

ANimus quidem erat, duo, quæ sequuntur Ecclesiæ sæcula, nonum videlicet & decimum connectere, eorumque simul describere historiam. Sed attenta ubertate rerum, quæ in historia noni Ecclesiæ sæculi examinandæ occurrunt, & in pauca, sine aliqua Historiæ Ecclesiasticæ imminutione, contrahi haud possunt; consultius esse duxi, ne hic Tomus in majorem, quam par sit, excresceret molem, decimi Ecclesiæ sæculi historiam ad proximum Tomum remittere, & hic seorsim noni sæculi concinnare historiam, quam juxta facilem ac expeditam nobis hactenus a principio præscriptam methodum, sex Colloquiis compendiose narrare, ac dilucide explanare pro viribus satagam. In primo Colloquio exhibebo Statum Ecclesiæ tam in Oriente, quam in Occidente sub Imperatoribus & Principibus Christianis. In altero contexam seriem Episcoporum, qui nono Ecclesiæ sæculo Sedes Romanam, & Constantinopolitanam tenuerunt, prætermissa omnino serie Episcoporum Ecclesiarum Alexandrinæ, Antiochenæ, & Hierosolymitanæ, quia prædictæ Ecclesiæ, ut jam in superioribus Colloquiis ostendimus, a septimo sæculo, quo a Barbaris, seu Saracenis occupatæ & oppressæ fuerunt,

runt, Catalogum dumtaxat conſervarunt Epiſcoporum Hæreticorum, maxime *Jacobitarum*, qui illas rexerunt, & de quibus nihil aliud quidpiam compertum habemus præter ea, quæ in Colloquio ſecundo in hiſtoriam ſæculorum ſeptimi, & octavi ex *Papebrochio*, ex *Bollandi Continuatoribus*, & ex *Euſebio Renaudotio*, jam obſervavimus. In tertio Colloquio proferam in medium graves contentiones & controverſias, quæ nono ſæculo Eccleſiam haud parum perturbarunt. In quarto diſſeram de Conciliis, quæ ad Fidem ſtabiliendam, & ſanciendam Eccleſiæ diſciplinam, fuerunt variis in locis convocata. In quinto, Virorum illuſtrium, qui ſæculo nono doctrinæ & pietatis laude claruerunt, Geſta atque Opera indicabo. In poſtremo tradam Synopſim Doctrinæ Moralis Chriſtianæ, & Diſciplinæ tam Eccleſiaſticæ, quam Monaſticæ, quæ nono ſæculo viguit.

COL-

COLLOQUIUM PRIMUM,

In quo exhibetur Status Eccleſiæ tam in Oriente, quam in Occidente ſub Imperatoribus, & Principibus Chriſtianis.

D. FUitne nono ſæculo ſub Imperatoribus Orientis tranquillus Eccleſiæ Status, maxime poſt mortem *Irenes* Auguſtæ, quam, ut in præcedentibus Colloquiis obſervaſti, *Nicephorus* Patricius Conſtantinopolitanus, & Logotheta generalis Imperio dejectam in *Lesbum* Inſulam relegavit an. 802. in quo exilio ærumnis confecta obiit, ipſe vero per tyrannidem Imperium invaſit?

M. Eccleſia in Oriente ſumma pace potita eſt imperante *Irene* fœmina piiſſima, *cujus opera Deus cuncta, quæ prior diſcordia, inſtar ſerpentis lubriciſſimæ, Eccleſiæ irrepens diſtraxerat, in rectæ fidei unam confeſſionem clementiſſima benignitate adduxit*, inquit *Ignatius* Diaconus in Vita Sancti Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani loquens de ſeptima Synodo generali *Irenes* Imperatricis opera congregata. At exauctorata *Irene*, quæ a Græcis colitur die XIII. menſis Auguſti, Eccleſia multis procellis fuit agitata a *Nicephoro*, qui, in Monaſterio recluſa *Irene*, & *Bardanio*, cognomento *Turco*, qui invitus a militibus fuerat Imperator ſalutatus, amoto & excæcato, tyrannice Imperium occupavit, & filium ſuum *Stauracium* manibus *Taraſii* Patriarchæ Conſtantinopolitani Imperatorem coronari curavit, *hominem*, ut ſcribit *Theophanes*, *ſive vultus ſpeciem*, *ſive corporis robur*, *ſive denique mentis captum ſpectes*, *ad eam dignitatem plane ineptum*. Nicephorus potitus Imperio *Paulicianis* novis Manichæis impenſe favit, eiſque, teſte Theophane, libere cum aliis vivendi, & Civitatis jure citra metum utendi facultatem dedit: *ex quo multos levioris ingenii homines nefariis eorum opinionibus depravari contigit*. Chriſtianos pios crudeliter perſecutus eſt. Epiſcopos, Clericos, & Monachos peſſime habuit, & a Magiſtratibus opprimi, conculcari, hiſque in ſervorum modum, eorumque bonis impune abuti juſſit. *Theodorum Studitam*, *Joſephum* Theſſalonicenſem Epiſcopum ejus fratrem, *Platonem*, & alios Monachos Urbe ejecit, & in exilium ablegavit eo ſolo nomine, quod ipſi ſe ſegregaſſent a communione *Nicephori* Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui *Joſephum* Presbyterum & Œconomum Magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ a *Taraſio* deceſſore Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani ob conciliatas inceſtas nuptias *Conſtantini* Imperatoris filii *Irenes* cum pellice *Theodote*, depoſitum, in priſtinum Presbyteri locum reſtituerat. Tyrannicas in populum exactiones, & tributa inſolita, quibus Eccleſiam opprimebat ſceleſtus ille, & inexplebilis avaritiæ Imperator, enumerat Theophanes, quas ſummatim ex eo indicat Baronius. Hinc *Theodoſio* Patricio familiari ſuo illum de nimia erga Eccleſias ac populum duritie arguenti reſpondit immaniſſimus ille Imperator: *cor ſuum, ut olim Pharaonis, obduruiſſe*. Bellum cum Saracenis habuit, a quibus pacem turpiſſimis conditionibus redimere coactus eſt. Sed non diu tam ſcelerati capitis pœna dilata eſt. Ingreſſus quippe *Nicephorus* in Bulgariam cum exercitu, & proſperis aliquot præliis redditus inſolentior, tandem a *Crummo* (is erat Bulgarorum Rex) victus, captus ac interemptus eſt. *Amputatum Nicephori Caput adventantibus variis Nationibus oſtentandum per dies multos in Romanorum dedecus, & vituperium in ligno ſuſpendit Crummus Rex Bulgarorum*, inquit Theophanes. In hoc prælio omnis fere Græcorum nobilitas periit, multique e militibus capti, qui fidem ejurare nolentes Martyrio coronati ſunt, quorum memoriam Menæa Græcorum ad diem XXIV. menſis Julii celebrant. Sic extinctus eſt impius *Nicephorus* anno DCCCXI. poſtquam imperaſſet annos octo, menſes totidem, & dies XXVI. *Stauracius* ejus filius multis vulneribus in prælio ſauciatus Conſtantinopolim deſperata valetudine delatus, dum novas cædes molitur, atque Imperium uxori ſuæ *Theophaniæ* firmare cogitat, *Michael Curopalates*, ab avo ſuo dictus *Ranghabe*, conſiliorum ejus executionem antevertens, a Senatu & exercitu Imperator eſt ſalutatus, & *Stauracius* frater *Procopiæ* uxoris Michaelis Curopalatis in Monaſterium detruſus eſt.

D. *Michael Curopalates* ad Imperium evectus reparavitne ea, quæ illius deceſſor *Nicephorus* Eccleſiæ intulerat damna?

M. Inter optimos Imperatores jure merito annumerandus eſt *Michael Curopalates* cognomento *Ranghabe*. Teſtatur ſiquidem *Theophanes*, ad innumeras iſtius Imperatoris virtutes ac probos mores acceſſiſſe, *quod cum pietate & recta in Deum fide excelleret, eorum, qui ſe quocumque prætextu, ſive legitimo, ſive perverſo, Eccleſiæ cœtu ſejunxerant, ærumna graviter offenderetur. Quapropter, Sanctiſſimum Patriarcham* (Nicephorum Conſtantinopolitanum) *ceteroſque omnes, qui pacis commune bonum promovere po-*

terant, *assiduis precibus & hortatibus interpellare non desistebat*, *præ cæteris vero Theodorum studii Præpositum*, *& Platonem*, *& Josephum Thessalonicæ Archiepiscopum*, *Theodori fratrem arctiori custodia mancipatos*, *una cum studitarum Monasterii primoribus ad concordiam & unitatem revocare studebat*, *quæ res ei feliciter successit*. Zelo quoque maximo pientissimus Imperator accensus animadvertere voluit in Hæreticos *Paulicianos* novos Manichæos, capitis pœna Nicephori Patriarchæ & aliorum Orthodoxorum hortatibus pronunciata. Sed, ut scribit Theophanes, aliorum male feriatorum consiliis, pœnitentiæ ab illis hæreticis ineundæ obtentu, ne sententiam executioni mandaret, impeditus est. Eorum tamen haud paucos capitis abscissione damnavit. Verum, quod dolendum est, brevi admodum tempore habenas Imperii moderatus est *Michael*, quippe qui, repudiatis pacis conditionibus, quas ei *Crummus* Bulgarorum Rex offerebat, exercitum anno DCCCXII. in Thraciam duxit, eique *Crummus* numeroso exercitu obviam venit. Conserto prælio Imperator cum multis suorum velocissima fuga pugna sese subduxit, adeo ut *Crummus* ipse spectaculi novitate deterritus, insidiarum in suos structarum, quod oculis probabat, apparatum existimaret. Ubi vero tam præcipitis fugæ veritatem compertam habuit, stragem Romanorum maximam edidit, & insignem victoriam reportavit. (*a*) Militares copiæ de Imperatoris fuga certiores factæ, *Leonem Armenum* ut periclitantem Christianam Rempublicam sustineret, & projectum colligeret Imperium, rogarunt. *Leo Armenus* primum simulata modestia aliquo tempore pendulus hærere visus est; at, rogante *Nicephoro* Patriarcha Constantinopolitano, ut Clavum regeret Imperii, quo *Michael* tanto ferendo oneri impar se se sponte abdicabat, Imperii insignia suscepit, & a Nicephoro Patriarcha coronatus est. *Michael* vero, *Procopia* ejus uxor, eorumque liberi *Theophylactus*, & *Ignatius*, qui postea Constantinopolis Patriarcha fuit, Monasticum habitum induerunt, & jussu *Leonis* Imperatoris ad Insulam *Proten* fuerunt relegati. Sed *Theophilactus* & *Ignatius*, priusquam in exilium ducerentur, virilibus orbati, seu castrati sunt.

„ (*a*) De hoc Crummo videnda omnino quæ
„ tangit Theophilactus in historia martyrum XV.
„ Bulgarorum, volgata ex MS. Cod. Oxoniensi
„ in nova operum Theophilacti editione Veneta
„ anni 1758. tom. III. pag. 497. ubi Crubus
„ pro Crummo appellatur, cui & filius datur
„ Ombritagus, sub quo martyrium passus ibidem
„ legitur Cinamon Adriapolitanus. Porro Ombritagus
„ iste idem creditur sapientissimo editori
„ opusculi hujus P. Fineto cum Mortagone,
„ qui apud Ducangium tertius a Crummo Bulgarorum
„ Rex statuitur, ac defunctus anno 826.
„ Successores ejus in Regno ibidem percensentur.

D. Leo Armenus fuitne in administratione Imperii & in procuranda Ecclesiæ pace similis decessori suo *Michaeli*?

M. Leo Armenus coronatus Imperator die X. mensis Julii an. DCCCXIII. multum *Michaeli* decessori suo dissimilem se præbuit. Nam, licet in rebus Imperii administrandis solers ac vigilans fuerit, (Bulgaros siquidem ingenti prælio vicit, & contra Arabes feliciter pugnavit) in his tamen, quæ ad Religionem attinent, summam impietatem prodidit, cujus etiam infausta præsagia in ipsa sua coronatione dedit, quæ descripsit *Ignatius* Diaconus in Vita S. Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani. Inauguratus *Leo Armenus* Imperator falsum quemdam Vatem nomine *Sabbatium* consuluit, qui ei, & filio *Constantino* duos supra triginta Imperii promisit annos, si omnem Imaginum memoriam, & cultum abolere vellet. Ea diuturni Imperii spe inescatus ambitiosus, & sacrilegus Imperator, instaurata Iconomachorum Hæresi, in omnes Christianos Imaginum cultores anno secundo Imperii sui tanto furore sævire cœpit, ut *vidisses velut in captivitate hostili Sacrarum Ædium conculcari donaria*, *& quæ vulgo intacta fuerant atque inspectata*, *prophanis trahi manibus*, *ac promiscue plebis exponi spectaculo*: *ab Ecclesiis expelli Pastores*, *& Lupos gregibus præfici*: *fugari qui rectam doctrinam profitebantur*, *quibus vero execrationi illa erat*, *eos in domesticos*, *& necessarios recipi*: *Clericos ludibria atque verbera expertos*, *firmissimis undequaque ergastulis detineri*: *Nazaræus nostros verberibus*, *fame*, *siti*, *diuturnis carceribus ac laboribus maceratos*, *ad extrema usque pericula inter cruciatus perseverare*, *& horum quidem alios gladio vitam amittere*, *alios culeis inclusos vinctosque saxorum more alto pelago demergi*; *fœminas vero*, *viris spectantibus*, *denudari*, *ac velut reas equuleo distendi ac cædi*, *omnia virili sensu Christi causa perferentes*. His verbis *Ignatius* Diaconus in Vita S. *Nicephori* Patriarchæ Constantinopolitani describit motam a *Leone Armeno* Imperatore in Christianos Imaginum cultores persecutionem, in qua præsertim enituit virtus *Studitarum*, & maxime Sancti *Theodoci* eorum præpositi, & Sancti *Nicolai*, qui in Monasterio Studitarum sub Theodoro vivebat, & ut videre est in Vita Sancti Nicolai Studitæ, quam doctissimus noster *Combefisius* Tomo I. Supplementi Biblioth. Græco-Latinæ ex codice Regio describit ab Auctore Anonymo exaratam. Dum sic in Imaginum cultores fureret Leo Armenus, contigit, ut *Michaelem*, ob linguæ vitium *Balbum* appellatum, læsæ Majestatis reum capitali sententia damnaverit. Sed cum ad supplicium duceretur Michael Balbus, *Theodosia* Imperatrix *Leoni* marito suo persuasit, ut, ob Festi Natalis Christi reverentiam illius interitum procrastinaret. Annuit Imperator uxoria supplicatione victus, & in carcerem Michael Balbus vinculis constrictus reductus est. Qui postridie litteras ad conjurationis conscios misit, quibus minabatur, se omnes Imperatori indicaturum, nisi celeriter adessent. Quo factum est, ut hi ad Regium Palatium sese actutum contulerint, seque cum Clericis commiscentes, strictis ensibus, dum Imperator hymnos, ut consueverat, in Ecclesia auspicatus esset, ex angulo prosilierint, eumque

mul-

multis vulneribus confecerint. Ejus cadaver effræni licentia sicarii per Circum traxerunt, illius uxorem, nempe *Theodosiam*, & quatuor ejus liberos, *Symbatium* videlicet, cui per inaugurationis solemnia inditum erat *Constantini* nomen, *Basilium*, *Gregorium*, & *Theodosium* e Palatio ejecerunt, hosque omnes lembo impositos in Insulam *Proten* duxerunt. Ibi excisi, seu castrati cum essent, *Theodosium* mori contigit, sicut scribit *Constantinus Porphyrogenneta* lib. 2. Chronographiæ. Sic misere periit *Leo Armenus* die Natalitio Christi Domini anno DCCCXX. postquam imperasset septem annos, menses quinque, & dies quindecim.

D. Quis in Imperio Orientis successit *Leoni Armeno*?

M. *Michael Balbus*, qui Leoni Armeno mortem machinatus fuerat, eo occiso, pedes adhuc in custodia constrictus Imperator est acclamatus, & malleo confractis compedibus, pedore carceris adhuc conspurcatus, ad Sanctæ Sophiæ Templum deductus & inauguratus a Nicephoro Patriarcha Constantinopolitano. *Amorio*, quod Phrygiæ Oppidum est, oriundus erat Michael Balbus, & impium prædecessorem suum Leonem Armenum nequitia æquavit, immo & superavit. In primis, scelestissimi Imperatoris *Constantini Copronymi* Vitam, ceu exemplum quoddam, formamque propositam habens, accuratissime eum reddere satagebat. Modo Sabbatis jejunandum esse sanciebat, modo adversus divinos Prophetas linguam acuebat, ac tum futuræ resurrectioni, tum bonis illam comitantibus fidem detrahebat. Non esse prorsus Diabolum, ut quem Moses non tradiderat, obganniebat. Fornicationem amplexabatur, ac solum, qui est super omnia, Deum, juramentis adhibendum statuit; *Judam* petulca & effræni lingua, Beatis accensebat. Salutaris Paschæ Festum cavillabatur, tanquam male nec legitimo tempore celebraretur. Litteras cum sacras, tum prophanas sic aspernabatur, ut nec pueros illis imbui sineret, sicut testatur *Constantinus Porphyrogenneta* lib. 2. Chronographiæ. Præterea, *Michael Balbus* Judæorum, Manichæorum, cæterarumque id genus pestium colluvione, conflata secta in Phrygia orta, a teneris annis in Patria sua infectus, crudele bellum sacris Imaginibus indixit. *Methodium*, qui postea Patriarcha Constantinopolitanus fuit, & *Euthymium* Sardium Antistitem, viros sanctissimos in exilium extrusit, quod sacrarum Imaginum cultum negare nollent, & immaniter persecutus est. *Euphrosinam* Monialem, quam deperibat, e Monasterio rapuit, sibique matrimonio copulavit. *Thomam* quemdam tyrannidem sibi parantem, ope Bulgarorum devicit, & omni crudelitatis genere laniavit. In quatuor superstites Leonis Armeni filios atrociter sævit, eosque castrari jussit, quorum unus in sectione mutus effectus est, alter obiit. Sub hoc Imperatore bipedum nequissimo, Imperium Romanum magnam diminutionem passum est. *Creta* siquidem a Saracenis occupata est circa annum DCCCXXII. Siciliam vero anno DCCCXXVIII. invaserunt Africani proditione *Euphemii*, qui tamen in Syracusana obsidione cæsus, perfidiæ suæ pœnas luit. Exinde, *Calabriam*, *Apuliam*, & plerasque Italiæ partes occuparunt Saraceni. *Dalmatia* Imperatorum Orientis jugum excussit. Obiit tandem flagitiosissimus Imperator anno DCCCXXIX. postquam annos novem, & totidem menses Imperium tenuisset. Moriens *Theophilum* filium suum Imperii reliquit hæredem.

D. Patris sui *Michaelis Balbi* impietatem sectatusne fuit *Theophilus* Imperio potitus?

M. Patris sui *Michaelis Balbi* impietatis æmulus, perinde ac Imperii hæres fuit *Theophilus*. Iconoclastarum siquidem Hæresi, quam a suis majoribus acceptam cum lacte suxerat, impense addictus, *Theophanem*, & *Theodorum*, Viros religione spectatissimos acriter insectatus est. Religiosam turbavit plebem, variique generis malis afflixit, nec, quamdiu Imperii habenas moderatus est, quiete eam agere permisit. Hinc, teste *Constantino Porphyrogenneta*, cujus historiam e Græco in Latinum vertit noster Combefisius, *congruentem hanc a Deo mercedem retulit, ut nihil præclari facinoris in bellis ediderit, sed victus semper, nec ut decet Imperatorem, domum redierit*. Expeditiones quinque adversus Saracenos suscepit *Theophilus* Imperator, & in ultima datus in fugam, *Amorium*, Urbem a Barbaris expugnatam, multa hominum millia cæsa, Primarios Duces, aliosque Viros illustres in captivitatem abductos vidit, quorum libertatem, cum oblata etiam pecunia a Barbaris impetrare haud posset, in mœrorem incidit, inde in dysenteriam, qua periit Anno 841. postquam imperasset annos XII. menses tres, & dies XVIII. Refert *Zonaras* Scriptor Græcus, quod Theophilus Imperator, paulo antequam moreretur, veritus, ne, se mortuo, *Theophobus* Persa & insignis Dux, quo in bellis contra Saracenos usus fuerat, tyrannidem invaderet, eum interfici, caputque illius sibi afferri jusserit, manuque imposita & contrectatis capillis dixerit: *jam neque ego Theophilus sum, neque tu Theophobus*; iisque dictis, animam exhalaverit. Quamvis autem Theophilus impietatem patris sui in propaganda Iconoclastarum hæresi æmulatus fuerit, testantur tamen Historici Græci, *Constantinus Porphyrogenneta*, *Zonaras*, *Cedrenus*, & alii, ipsum fuisse juris exactorem severissimum. At enim statim ac ad Imperium provectus est, cædem *Leonis Armeni* Imperatoris ultus est, Parricidis Capite damnatis. *Euphrosinam* ad Monasterium, ubi primum comam posuerat, redire compulit. Privatorum causas interdum audire solebat. Annonæ, rerumque vænalium pretium moderabatur. Urbem meretricibus purgavit, libidinem domuit, & a divitiarum cupiditate fuit omnino alienus. *Theodoram* e Paphlagonia ortam, fœminam sanctissimam duxit uxorem, eamque *Icasiæ* nobilitate, pulchritudine & doctrina longe præstantiori his omnibus virginibus, quas ipse uxorem ducturus in suum Palatium accersiverat, prætulit. Cum enim *Theophilus* omnes illas virgines obambulans spectaret, aureum pomum præ

nens, futurarum pignus nuptiarum, *Icasiæ* pulchritudinem admiratus ait: *a muliere emanarunt mala*, cui illa placide & cum honesto rubore solerter respondit: *sed & res meliores e muliere exuberant*. Qua virginis Responsione attonitus Imperator, ea præterita, Malum Aureum *Theodoræ* dedit, eique nupsit, ex qua suscepit *Theclam*, *Annam*, *Anastasiam*, *Pulcheriam*, *Mariam*, & *Michaelem*, quem adhuc puerulum *Theophilus* Imperator moriens Imperii reliquit hæredem sub *Theodoræ* Augustæ Matris tutela. Hic obiter advertas, quæso, nonnullos esse, qui post Baronium existimant, *Theophilum* Imperatorem, antequam efflaret animam, erroris sui pœnituisse, & *Theodoræ* conjugis suæ, aliorumque fidelium precibus, a pœnis Inferni fuisse liberatum. At ipse facilius assentior doctissimo nostro *Combefisio*, qui has Græciæ sequioris fabulas esse ait in Notis *ad Orationem Historicam in Festum restitutionis Imaginum* a se publicatam *in Auctario Bibliothecæ Græco-Latinæ*, in qua hæc fabula legitur (*a*).

„ (*a*) Cum summam hanc rerum ab Iconomachis Imperatoribus gestarum legerem, venit in mentem, num eorum memoriam Græci dein sub Imperatoribus Catholicis viventes diris execrati unquam fuerint palam in eorum liturgiis, quemadmodum æternis acclamationibus memoriam perennarunt eorum Imperatorum, qui catholica dogmata defenderant, præsertim de sacris imaginibus. Consului eam in rem epistolam Synodi secundæ Nicænæ ad Alexandrinos, quam tamen auctam credo novis acclamationibus & diris a Synodo Constantinopolitana anni 842. sub Michaele & Theodora ejus matre Imperatoribus; adjectis aliis additionibus legi quotannis solebat Dominica secunda Quadragesimæ, a Græcis appellata Dominica orthodoxiæ, eo quod festa dies tunc celebraretur de restituto sacris imaginibus cultu. Multa ibi occurrunt nomina Imperatorum Catholicorum cum faustis acclamationibus; multæ ibi pariter execrationes in hæreticos Iconoclastas vel nomine ipso expressos; nihil tamen adversus Iconomachos Imperatores offendi. Cur ita? ex metu ne? non arbitror; sed ex nominis imperialis reverentia.

D. Cum *Theodora* Augusta, ut observasti, fuerit religiosissima fœmina, nullus dubito, quin, ea rerum summa potiente, novam in Orientem faciem induerit Imperium, refloruerit Religio, suusque sacris Imaginibus honos restitutus fuerit.

M. *Theodora* Augusta Clavum Imperii regens, nihil secundum Deum antiquius habuit, quam ut sacrarum Imaginum abolitum cultum instauraret. Eam ob rem, ut pium istud, quod inierat, consilium facilius ad optatum exitum perducere posset, habito Constantinopoli Concilio, *Joannem* Pseudo-Patriarcham Constantinopolitanum (*a*), medullitus Iconoclastam, e Solio Patriarchali dejecit, & in ejus locum sufficit *Methodium* Presbyterum sanctitate vitæ & doctrina celeberrimum, fideique Confessorem eximium, qui a *Theophilo* Imperatore Iconoclasta crudeliter flagris cæsus, tumuloque inclusus, per annos aliquot modico pane & aqua sustentandus fuerat detentus. Major Iconoclastarum pars, mutatis animis & sententiis, ad Ecclesiæ unitatem & secundæ Synodi Nicænæ fidei professionem rediit. Monachos, & Episcopos, quos *Theophilus* Imperator solum vertere coegerat, in libertatem asseruit, & ab exilio revocavit *Theodora* Augusta. Sancti *Theodori* Studitæ, egregii sacrarum Imaginum defensoris, corpus, quod post annos undeviginti ab ejus obitu integrum repertum est, & miro odore fragrans, Constantinopolim transferri curavit. Denique, ut Imperium a fæce Hæresum omnino repurgaret, novos Manichæos, *Paulicianos* videlicet, de medio tollere jussit, si resipiscere, & ab errore resilire nollent.

„ (*a*) In hunc Joannem anathema quotannis pronunciarunt Græci in epistola olim solita recitari Dominica Orthodoxiæ; de qua in nota superiori. In ea pariter anathema dicitur geminis ante illum Patriarchis Theodoto & Antonio.

Tam felicem Imperii statum vecordia *Michaelis* Imperatoris, & Avunculi ejus *Bardæ* interpellavit ambitio. *Bardas* quippe *Theodoræ* Augustæ frater rerum Præfecturam ambiens author fuit Michaeli Imperatori, ut Matrem suam *Theodoram*, qua cum annis quatuordecim Rempublicam administraverat, in ordinem redigeret, ipsique omnium rerum curam demandaret. Imprudentissimus Princeps tam pravis Consiliis auscultans, totius Imperii administrationem arbitrio *Bardæ* avunculi sui permisit, eum Cæsaris dignitate decoravit, seque totum ludis, aurigationibus, perpotationibus, aliisque id genus voluptatibus dedit. Quio, per immanitatem a sæculis inauditam, *Michael* Imperator malignis *Bardæ* consiliis inductus, *Theodoram* Augustam matrem suam e Palatio ejecit, eamque cum suis filiabus attonderi & Moniales fieri jussit. Quo indutæ habitu, ac omnibus spoliatæ opibus in Cariani Palatium ablegatæ sunt, ubi *Theodora* Augusta paulo post obiit. At non diu Deus præpotens scelerum ultor distulit pœnas, quæ *Bardam* primarium omnium illorum malorum authorem juste manebant. Anno enim DCCCLXVI. *Michael* Imperator *Bardæ* superbiam perosus, eum per *Basilium* Macedonem trucidari jussit. Cujus cadaver fæde discerptum lacerumque plebs per vicos & plateas ignominiose traxit. Occiso *Barda*, Michael Imperator *Basilium* Macedonem Imperii consortem fecit, qui, pro ea, qua Michaelem prosequebatur, amicitia, cum sæpius eum reprehenderet, & a vitiis, in quibus se se turpiter volutabat, ad meliorem frugem revocare pro viribus niteretur, sibi concitavit odium Imperatoris, qui ex diuturna in vitiis consuetudine jam callum in malo obduxerat. Quapropter, *Michael* Imperator omnis

omnis reprehensionis impatiens, Basilium Imperio exuere, vitaque privare in animum induxit. Sed *Basilius*, ut insidias sibi ab Imperatore struđtas anteverteret, eum vino obrutum interfecit anno DCCCLXVII. cum annis imperasset viginti quinque, hoc est, undecim solus, & quatuordecim cum matre sua *Theodora*. Sublato e vivis *Michaele* Imperatore, solus imperavit *Basilius*, qui Catholicam Religionem fovit, & auxit, Imaginum cultum promovit, Saracenos variis in Regionibus Imperii, & Manichæos profligavit, multas extruxit atque restauravit Basilicas, Judæos plurimos sua munificentia pellexit ad fidem. *Bulgaros* recens ad Religionem Christianam conversos missis Sacerdotibus & Monachis piissimis in fide confirmavit. Ecclesiæ fines propagavit, misso ad Russos, sive Ruthenos, Antistite, qui eos fidem Christianam edoceret. Sub eodem *Basilio* Imperatore convocata est Constantinopoli an. DCCCLXIX. sedente *Hadriano* II. Summo Pontifice, octava Synodus generalis, in qua S. *Ignatius* legitimus Patriarcha Constantinopolitanus Sedi suæ restitutus est, & *Photius*, qui eam malis *Bardæ* artibus invaserat, dejectus est; quam Concilii sententiam in Photium latam confestim executioni mandari jussit Imperator. His præclaris Gestis magnam sibi gloriam comparavit *Basilius* Imperator, quam postea fallaciis & præstigiis insignis cujusdam Magi & Impostoris *Theodori Sanatabereni* Monachi Photio amicissimi delusus haud parum obscuravit. Nam *Photium* perniciosum Schismaticum an. DCCCLXXVIII. quo S. Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus obiit, ad Sedem Constantinopolitanam, qua juste abdicatus fuerat, revocavit, & in pristinam Patriarchatus dignitatem recepit. Deinde, ejusdem nequissimi viri *Theodori Santabareni* calumniis inductus, filium suum *Leonem* omnibus Imperialibus ornamentis exutum in carcere per septennium detinuit, donec quadam die, *Basilio* Senatui convivium exhibente, Psitachus flebili voce ingeminarit: *Heu*, *Heu Domine Leo*! qua voce multi e Senatoribus in fletus prorumpentes etiam atque etiam Basilium Imperatorem rogarunt, ut innocentissimum filium suum *Leonem* tandem aliquando in libertatem assereret, quorum precibus flexus Basilius filium suum e vinculis eduxit, eumque Imperii successorem designavit. Tandem anno DCCCLXXXVI. *febris ardoribus violentiori æstu ejus omnem vitalem humorem exhaurientibus ac consumentibus, vita excessit Basilius, cum imperasset cum Michaele ejus decessore annum unum, alios vero decem, & novem solus rerum summam administrasset*, ut ait *Constantinus Porphyrogenneta* in ejus Vita, quæ post Baronii obitum publicata est. *Leo* hujus nominis VI. ob eximiam, qua pollebat, eruditionem, *Sapiens*, seu *Philosophus* appellatus, successit Patri suo *Basilio*, tenuitque Imperium annos XXV. menses duos & dies decem, vitamque protraxit ad annum usque DCCCCXI. quare opportunius de eo sermonem habebimus in primo Colloquio in Historiam decimi Ecclesiæ sæculi. Satis sit hic obiter observasse, *Leonem* VI. Imperatorem in custodienda Republica solertem fuisse, eumque in liberalibus disciplinis eruditum, multa scripsisse Opera, de quibus late agit *Baronius*. Indicat etiam *Labbeus* loca, in quibus hæc *Leonis* Imperatoris Opera typis mandata fuerunt. *Opus Basilicorum*, idest, *Regiarum Constitutionum*, in septem Tomos in folio distributum, Parisiisque typis excusum, præcipuum *Leonis* Imperatoris laborem fuisse asserunt Viri eruditi, eique attribuunt varia in laudem Mysteriorum Beatissimæ Virginis, aliaque Opuscula.

D. Statum Ecclesiæ sub Imperatoribus Orientis nono sæculo haud parum turbatum fuisse probe intelligo. Ostende modo, si placet, quo loco res Ecclesiæ fuerint eodem sæculo in Occcidente?

M. Nonum sæculum in Occidente læta ac magnifica habuit initia, quibus tamen (ut solenne est accidere rebus humanis) perturbatus cursus ac infelix exitus successit. *Carolus* Francorum Rex, cognomento *Magnus*, sed animi rerumque præstantia *Maximus*, acceptum a Patre *Pipino* Galliarum Regnum, ut jam in præcedentibus Colloquiis observavimus, in eam amplitudinem, & majestatem evexit, ut nullum in Orbe potentius foret, nullumque fortunatius. Parebat ejus legibus non solum Gallia omnis, sed etiam magna Italiæ pars, *Germania*, *Noricum*, *Pannonia*, *Dacia*, & aliæ Septentrionales Regiones, eidemque manum Hispania dare gestiebat. Pro ea singulari observantia, qua Sedem Apostolicam colebat *Carolus Magnus*, Romam anno DCCC. venit ut liberaret ac vindicaret *Leonem* III. Summum Pontificem, qui anno DCCXCIX. pravorum quorumdam hominum factione impetitus, oculis linguaque mutilatus, & indignis modis vexatus fuerat (*a*). Tanti sceleris atrocitate permotus *Carolus Magnus* Romæ Conventum habuit, in quo *Leo* III. a criminibus sibi falso impactis spontaneo juramento sese purgavit, & postea, ipso Natalis Christi die Carolum Magnum Imperatorem, & Augustum declaravit anno DCCCI. sicque in Carolo Magno Imperialis dignitatis titulum in Occidente renovavit Pontifex ille Maximus, qui jam a trecentis, & amplius annis, stante in Italia Gothorum Regno, penitus defecerat, ut recte explicat *Sigonius* lib. 4. de Regno Italiæ ad annum DCCCI. ubi inquit: *Hunc dignitatis Imperatoriæ titulum, cum in Momyllo Augustulo, ultimo Occidentis Imperatore, ante trecentos ferme annos, sub Regnum Gothorum in Italia, defecisset, in eodem Occidente Pontifex renovavit, ut haberet Ecclesia Romana adversus Infideles, Hæreticos, ac Seditiosos Tutorem, cujus Officium repudiasse jampridem Imperator Orientis videretur*. Inauguratus Imperator Carolus Magnus, *omisso Patricii nomine*, quo antea nuncupabatur, *Imperator, & Augustus*, teste *Eginhardo* in Annalibus, appellatus est, misitque anno DCCCII. Legatos in Orientem, ut ejus nuptias cum *Irene* Imperatrice, ad quas ipsa lubenter inclinabat, conciliaret, eaque ratione duo Imperia in unum coa-

lescerent. **At Legati, cum Constantinopolim advenissent**, spectatores facti sunt non fœderis nuptialis, sed luctuosæ tragœdiæ. Sub horum siquidem oculis *Nicephorus* Patricius Constantinopolitanus, ut jam observavimus, *Irenem* bene meritam de se Imperatricem in *Lesbum* Insulam ingenti satellitum manu stipatam ablegavit, Imperiumque invasit. Spe sua frustratus *Carolus*, omnes suas curas, & cogitationes ad pristinum Imperio Occidentis conciliandum splendorem contulit. Bellum Saxonicum, quod triginta tres annos duraverat, anno tandem DCCCIV. feliciter confecit, & Saxones sæpe rebelles, sæpe domitos, Christianam Religionem postea amplexos, atque authoribus rebellionis profligatis, incredibili numero per Gallias, & Germaniam sparsit. *Danos* cum eorum Rege *Godefrido* compressit. *Mauros* Italiam populantes repulit. Multos in Germania populos ad Fidem Christianam adduxit. Litteras in Galliis instauravit, fovit, amplificavit. Plures liberos ex octo, quas duxit, uxoribus suscepit. Nunquam tamen castitatem conjugalem introductione concubinarum (sicut falso scripserunt Neoterici) fœdavit. Regnum suum in Testamento, quod condidit Carolus Magnus, inter tres filios superstites divisit. *Carolo* majori natu Belgicam Galliam ac Germaniæ magnam partem; *Pipino* Italiam, Bajoariam, & partem Alemanniæ; *Ludovico* Aquitaniam & Gallias Lugdunensem & Narbonensem concessit, eisque singulis Ecclesiæ causam accuratissime commendavit. Verum, *Carolo*, & *Pipino*, vivo adhuc parente, defunctis, solus superstes *Ludovicus* paternam in ditionem ex asse successit. Postremo, *Carolus Magnus* cum Aquisgrani hiemaret, mense Januario valida febre correptus est, & accedente ad febrem lateris dolore, abiit e vivis anno ætatis suæ LXXII. V. Kalend. Februarii, ut ait *Eginhardus* in ejus Vita. Sepulchro Caroli Magni, teste eodem *Eginhardo*, appositum est istud Epitaphium: *Sub hoc conditorio situm est corpus Caroli Magni, atque Orthodoxi Imperatoris, qui Regnum Francorum nobiliter ampliavit, & per annos XLVII. feliciter tenuit. Decessit Septuagenarius, anno Domini* 814. *Indictione VII. V. Kalend. Februarii*. De sanctitate Caroli Magni Imperatoris multa habet *Baronius* ad annum Christi DCCCXIV. legendus est etiam *Bollandus* ad diem XXVIII. mensis Januarii, ubi agendo de publica S. Caroli Magni veneratione, Breviaria complurium Ecclesiarum a se visa testatur, in quibus V. Kal. Februarii *Carolus* Imperator Officio novem vel trium lectionum colitur. Citat etiam *Bollandus* Wandelbertum, aliosque Martyrologos, apud quos eadem die nomen *Caroli* legitur, refertque ex Breviariis *Mindensi* & *Rotomagensi* publicas precationes eo quoque die recitari solitas.

„ (*a*) Non dubito quin aliquantulum exaggeratum sit in narrandis fœdis illis injuriis Leoni III. Pontifici illatis; cum historici ea in re plurimum varient. De oculis offensis conveniunt omnes; de lingua mutilata pauci afferunt. Quin & de oculis, quamvis erutos tradunt plures, **Agnellus tamen Ravennas** in suo Pontificali Ravennatensi offensos tantummodo, non erutos scribit. At scriptori in Romanos Pontifices iniquiori non est omnino cur fidem præstemus.

D. Qua de causa mox dixisti, lætis ac magnificis initiis, quæ sæculum Ecclesiæ nonum in Occidente habuit, perturbatum rerum cursum, & infaustum successisse exitum?

M. Id dixi, quia amplitudo, majestasque Galliarum Regum Imperiali dignitate nono Ecclesiæ sæculo aucta tamdiu steterit in apice, quamdiu vixit Carolus Magnus, cui vix parem in omni virtutum genere sive quæ præcesserunt, sive quæ postea insecuta sunt sæcula pepererunt. At, eo mortuo, initium malorum a domesticis turbis, & nefario Principum scelere prodiit, filiis videlicet adversus optimum parentem conjurantibus. Quod quidem quo pacto contigerit, breviter hic enarrabo. *Ludovicus* Galliarum Rex, & Occidentis Imperator, *Pius* cognominatus, *Caroli Magni*, & *Hildegardis* filius totam Patris sui luce functi Ditionem obtinuit, præter tamen Italiæ Regnum, quod Pipini fratris sui filio *Bernardo* contigit. Matrimonium cum *Irmingarde* iniit *Ludovicus Pius*, ex qua tres liberos suscepit *Lotarium*, *Ludovicum*, & *Pipinum*. Mortua vero *Irmingarde* priore conjuge, Ludovicus Pius *Juditham* filiam *Welphi*, seu *Guelphi* comitis in Bavaria secundam duxit uxorem, ex qua natus ei est *Carolus*. Tres liberi Ludovici Pii ex *Irmingarde* priore conjuge geniti haud æquo animo ferentes, quod Carolus ex *Juditha* secunda uxore natus ipsis æquaretur, in patrem temere insurrexerunt, eumque captum in Campo, qui est inter Argentariam & Basileam, quique ab eorum perfidia dictus est *Mendacii Campus*, Imperio dejecerunt, & *Juditham* novercam in Monasterio recluserunt. Tentavit *Gregorius* Summus Pontifex hujus nominis IV. pacem conciliare Ludovicum Pium Imperatorem inter & ejus filios, & ea de causa in Gallias concessit, ut se honorarium pacis arbitrum interponeret. Quapropter, audiri minime debent quidam Scriptores, qui dicunt, hunc Summum Pontificem malevolo in Ludovicum Pium animo in Gallias venisse, & ejus perduellibus filiis impensius favisse. Frustra tamen Pontifex hanc concordiam conciliare studuit, cumque nihil obtinere posset, Romam rediit mœrens ac dolens miseram sortem Ludovici Pii, qui a filiis suis *Compendium* deductus, ibique in Generali Conventu gladium deponere, sumptoque cilicio, se reum male administrati Regni fateri, & Imperium *Lothario* filio suo cedere coactus est anno 833. At tanta rerum indignitate Galliarum Proceres, populique commoti, Ludovicum Pium injuste depositum Imperio pristinæ dignitati sequenti an., seu DCCCXXXIV. in integrum restituerunt. Quæ restitutio in Conventu apud Theodonis Villam an. 835. habito, a Primoribus Regni & ab Episcopis fuit approbata, atque omnia, quæ in Ludovicum Pium Imperatorem, præsertim in Conventu Compendiensi, acta decretaque fuerant, proscripta penitus & abro-

abrogata sunt. Imperio restitutus Ludovicus Pius filios suos Pipinum & Ludovicum ad se redeuntes amantissime complexus est, perduellione ipsis condonata. At *Lotharius* primo genitus Ludovici Pii Imperatoris filius, qui patrem contumeliosius cæteris exceperat, tardius cum eo reconciliatus, Gallias civili bello permiscuit, Italiam perturbavit, donec tandem, a patre indulta ei venia, pax inter illos utcumque redintegrata est. Obiit Ludovicus Imperator XII. Kalend. mensis Julii anni DCCCXL. Vixit annos LXIV. Rexit Aquitaniam per an. 37. Imperium vero gubernavit per annos XXVII. & menses sex, ut testantur Annalistæ Metensis & Fuldensis. Ejus Corpus *Drogo* ipsius Frater & Episcopus Metis apud Sanctum Arnulphum, una cum Episcopis, Abbatibus, Comitibusque congruo honore sepulturæ tradidit. Fuit *Ludovicus Pius* optimus Imperator, justus, liberalis, & virtutum patris sui Caroli Magni imitator. Ea, quæ perperam gesserat contra fratres suos *Drogonem*, *Hugonem*, & *Theodericum*, quos adhuc impuberes & invitos tonderi præceperat, vel contra alios suos agnatos, & præcipue adversus *Bernardum* Italiæ Regem nepotem suum, quem turbas excitantem oculis orbari consenserat, sincera & publica pœnitentia eluit expiavitque. Præterea, quam insignis illius pietas fuerit, ostendunt infinita bona ab eo Ecclesiis & Monasteriis data, necnon præclarum Elogium, quod de ejus virtutibus celebrat *Theganus* Trevirensis Chorepiscopus. Illius etiam zelum & ardorem in propagandis liberalibus disciplinis, Scripturarumque & SS.Patrum Codicibus asservandis, unde ad configendas hæreses tela depromerentur, laudibus extollit *Jonas* Aurelianensis Episcopus in Epistola, qua *Carolo Calvo* Galliarum Regi suum de imaginibus nuncupavit Opus. Sub Ludovico Pio Imperatore an. 825. habita est Parisiis Synodus pro cultu imaginum, de qua Parisiensi Synodo opportunius in quarto Colloquio differemus.

Lotharius, qui a patre suo Ludovico Pio jam ab anno DCCCXXIII. ad Imperii consortium adscitus fuerat, statim ac illum vita functum fuisse accepisset, universæ Monarchiæ acquirendæ avidus fratrum suorum ditiones invadere, & omnia ad se trahere molitus est. Quocirca, *Ludovicus* & *Carolus* ejus fratres in communis causæ discrimine belli conjunctis viribus ei strenue restiterunt, eumque duplici prælio debellarunt, uno ad Vicum Fontanetum in Burgundia anno DCCCXLI. altero ad Argentoratum anno sequenti. Victus Lotharius pacem interpellavit, quæ demum his conditionibus conclusa est, ut *Lothario*, præter Imperium Romanum, ea Galliæ pars cederet, quæ Scaldi & Rheno continetur, adjuncta etiam Burgundia, cæterisque usque ad Mediterraneum subjectis Provinciis; *Ludovico* Germania omnis a sinu Baltico usque ad Rhenum, tresque ultra Rhenum darentur Civitates (vini habendi gratia) *Moguntia* videlicet, *Spira*, & *Wormatia*; denique *Carolo* tribueretur Francia Occidentalis ab Mosa flumine usque ad Mare Britannicum, cum. *Occitania*, & *Marca Hispanica*. His hoc pacto compositis, *Lotharius*, postquam ab obitu patris sui Ludovici Pii quindecim annis imperasset, pœnitentia ductus ob ea, quæ in patrem, fratresque olim gesserat, atque peccata in Deum commissa, sæculo & Imperio nuncium remisit, & in pœnitentis animi signum habitu Monastico in Prumiensi Monasterio, quod quinque circiter millium passibus ab Urbe Trevirensi distat, indui voluit anno DCCCLV. ubi paulo post vita decessit. Tres liberos reliquit Lotharius, *Ludovicum*, cui jam Italiam concesserat, & quem Imperii collegam renunciarat; *Lotharium*, cui eam Galliæ partem dedit, quæ postea ab illo *Lotharingia* dicta est, concessit; & *Carolum* natu minimum, cui *Provinciam* dedit. Mortuo Lothario successit in administratione Imperii *Ludovicus* illius filius hujus nominis II. Fuit Princeps litteratus, pius, justus, Ecclesiæ defensor, largus eleemosynarum largitor, & belli etiam artibus clarus. *Adelgisum* siquidem Beneventi Ducem, qui stimulatus a Græcis arma sumpserat, compescuit, & in Insulam Corsicam fugere compulit. Normannos in Gallia tumultuantes repressit, Saracenos Italiam devastantes debellavit, & ex ejus finibus expulit. *Lotharius* ejus frater *Waldradæ* pellicis amoribus captus, *Theutbergam* conjugem suam *Bosonis* filiam falsis criminibus impetitam repudiare voluit. Qua de causa ad *Nicolaum* Summum Pontificem scripsit, quo prudenter tam injustæ petitioni respondere cunctante, Lotharius hujus moræ impatiens coegit Synodum Aquisgranensem octo Episcoporum, quorum principes erant *Guntarius* Agrippinensis, ac *Teutgardus* Trevirensis Antistites, qui ejus cum Waldrada nuptias approbarunt (*a*). Quorum iniquissimum Decretum, & a *Nicolao* Pontifice Maximo juste reprobatum, in alia Synodo, Metensi videlicet, iterum confirmari curavit Lotharius, misitque Romam Legatos eosdem Guntarium, & Teutgardum Antistites, quos Nicolaus Papa dignitate amovit, duasque illas Synodos, habito Romæ Concilio, damnavit. At, cum isti Antistites, Pontificia auctoritate despecta, sese pro Episcopis gererent, institit *Nicolaus* Papa ut eorum loco alii crearentur Episcopi. Quod tamen a Lothario obtinere non potuit. Post vero multas tergiversationes, & ludificationes Lotharius ab Imperatore *Ludovico* in auxilium contra Saracenos accitus, Romam venit anno 869. ubi ab Hadriano II. Nicolai successore per mendacium veniam impetravit, postquam nimirum sub Communionem Dominici Corporis, se, post interdictum, *Waldrada* pellice abstinuisse, pejeravit. Sed Deus tanto sacrilegio debitas pœnas diu non distulit. Nam in reditu lethali morbo confectus Lotharius, paucos post menses Placentiæ in pœnam sui perjurii repentina morte e vivis sublatus est. Ejus Regnum *Carolus*, a calvitie dictus *Calvus*, Galliarum Rex, & *Ludovicus* Germaniæ Rex partiti sunt. Mortuo autem Mediolani absque prole anno DCCCLXXV. *Ludovico* II. Imperatore anno Imperii sui vicesimo, *Carolus* dictus *Calvus* hujus nominis II. *Ludovici Pii* ex *Juditha* filius, protinus in Italiam e Gallia,

quam regebat, advolavit, & delusis *Ludovici* Germaniæ Regis fratris sui filiis, quos Pater capessendi Imperii cupidus miserat, ne *Carolus Calvus* Imperio potiretur, a Joanne VIII. Pontifice Maximo Imperii coronam accepit anno DCCCLXXV. Porro, *Carolus* II. Imperator cognomento *Calvus* Princeps fuit versipellis, superbus, ambitiosus, in bellis timidus ac ignavus. Incursiones & deprædationes, quibus Normanni Gallias vexabant, cum armis impedire haud posset, tributi pensitatione cohibere coactus est. Regnum nepotibus suis *Carolomanno*, *Ludovico*, & *Carolo Crasso*, Ludovici Germaniæ Regis filiis eripere molitus est. At ipsi collecto exercitu illum ad Andernacum vicerunt. Fugiens autem *Carolus Calvus* Imperator *febre correptus*, ut ait Annalista Bertinianus, *pulverem bibit, quem sibi nimium dilectus ac credulus medicus Judæus nomine Sedecias transmisit, ut ea potione a febre liberaretur, insanabili veneno hausto inter manus portantium, transito monte Cinisio, perveniens ad locum, qui Brios dicitur, undecimo die post venenum haustum, in vilissimo tugurio mortuus est* II. Nonas Octobris anni DCCCLXXVI. Imperii II. *Ludovicus* ejus filius, *Balbus* ab impedita lingua nuncupatus, ei in Gallicum Regnum successit, sed non in Imperium, sicut luculenter probat *Sirmondus* in Notis ad Concilium Trecense II. Explodi ergo debet vulgaris error quorumdam, qui *Ludovicum Balbum* Imperatoribus accensent, cum tamen certum sit, eum a *Joanne* VIII. Pontifice Maximo accepisse quidem Coronam Regiam, sed non Imperium. Mortuus est *Ludovicus Balbus* Galliarum Rex anno DCCCLXXIX. ac tres reliquit liberos, scilicet *Ludovicum*, *Carlomannum*, quos ex *Ansgarda* priore conjuge suscepit, & *Carolum* dictum *Simplicem* ex *Adelaide* altera uxore genitum, quem moriens in cunis reliquit. *Ludovicus* primogenitus filius Ludovici Balbi, qui in Regno Gallico successit patri suo an. 879. appellatur in serie Galliarum Regum Ludovicus III. cui an. 882. vita functo successit in Regno Gallico *Carlomannus* ejus frater, qui Regnum gubernavit usque ad an. 884. quo anno, ut ait Continuator Lambecianus, *in quadam venatione ictibus cujusdam Apri fertur occisus*; *re autem vera a suo satellite in eadem venatione non sponte vulneratus occubuit*. Mortuo Carlomanno Galliarum Rege ad Thronum Francicum admotus non est *Carolus* dictus simplex Ludovici III. & Carlomanni frater, eo quod annos tantum septem cum natus esset, ad tuendum a frequentibus Normannorum incursionibus Galliarum Regnum conferre nihil poterat. A spe tamen & jure regnandi non omnino exclusus est, sed *Hugonis* Abbatis fidei curæque concreditus est. Franci itaque post obitum Carlomanni Galliarum Regis evocarunt ad Galliarum Regnum gubernandum *Carolum* a corporis habitudine dictum *Crassum* filium Ludovici Germaniæ Regis, & Imperatorum Lotharii, & Caroli Calvi nepotem, qui jam anno DCCCLXXX. a Joanne VIII. Pontifice Maximo Romæ Imperator fuerat inauguratus. At *Carolus Crassus*, adversus Normannos Gallias infestantes re infeliciter gesta, corpore & animo male affectus adeo ægrotare cœpit, ut, volens nolens, Imperio, simul, & Regno Gallico se abdicare compulsus fuerit anno DCCCLXXXVII. eoque, ut est rerum humanarum vicissitudo, calamitatis incidit, ut ab *Arnulpho* Carlomanoi Bavariæ quondam Ducis filio notho, & a Proceribus Germaniæ Rege electo victum precario quærere cogeretur. Mortuus est *Carolus Crassus* anno sequenti, seu DCCCLXXXVIII. Sunt quidam Historici, qui putant, *Arnulphum*, post abdicationem Caroli Crassi, Imperatorem fuisse. Sed Arnulphus jure dici haud potuit Imperator, nisi postquam a *Formoso* Pontifice Romano coronatus est, & *Augustus* declaratus, quod solum contigit anno DCCCXCVIII. Antequam autem *Arnulphus* a *Formoso* Papa *Augustus* renunciaretur, *Guido*, seu *Wido* Spoleti Dux a Pontifice *Formoso* Imperii Corona redimitus fuit anno DCCCXCI. Ab hoc Guidone *Berengarius* Forojuliensis Dux Imperii æmulus Bello victus ad *Arnulphum* Germaniæ Regem confugit, eumque Italiam invadendi spe eo facile pellexit. Interim *Guido* Imperatoris nomine Italia potitus obiit anno DCCCXCIV. & *Lambertus* ejus filius Imperii Coronam adeptus est, qua tamen ab Arnulpho Germaniæ Rege anno 896. spoliatus est, vixit tamen usque ad annum DCCCXCVIII. quo ab *Ugone* filio *Manfredi* comitis Mediolanensis fuit occisus. *Arnulphus* vero Imperium rexit ab anno DCCCXCVI. quo a *Formoso* Papa fuit coronatus Imperator, usque ad an. DCCCXCVIII. quo e vivis excessit, & filium puerulum septennem, dictum *Ludovicum* reliquit, qui patri in Regno Germaniæ successit, sed non in Imperio, sicut opportunius ostendam in Colloquio primo in Historiam decimi Ecclesiæ sæculi, ubi texam seriem Imperatorum, qui decimo sæculo summa rerum in Occidente potiti sunt.

„ (*a*) Placet hic non reticere aliquid, quod „ mihi Vaticanos Codices evolventi occurrit. „ Io hoc Aquisgranensi Concilio lata sententia „ est pro dissolutione conjugii Lotharium inter & „ Theutbergam; recitatur in editis Labbei sententia Episcoporum pro ea dissolutione; sed scripta „ duorum illorum Episcoporum, quibus a Concilio injunctum est, ut rem totam discuterent, „ & seorsum ambo mentem suam de scripto „ proderent, nequaquam recitantur. Revolvens „ igitur in eadem Bibliotheca Codicem 576. Palatinum incidi in Concilium hoc, in quo præter edita Epistolam reperi sic inscriptam: *Domino gratia Dei beatissimo & dignitate Pontificali reverentissimo A. præsuli dignissimo, suus in Christo filius &c. A. orat salutem &c.* Hanc „ Epistolam ad Adventium Metensem Episcopum, præcipuum Lotharii in ea causa fautorem, scriptam prior ejus nominis litera indicat; a quo vero data sit ignoro. Porro quicunque tandem ille fuerit, probare nititur jure „ divortii excludi a toro potuisse Theutbergam „ ream incesti, sive crimen illud commissum „ fuerit ante, sive post conjugium; eaque reje-

„ cta

„ cta integrum Lothario mansisse Valdradam as-„ sumere in conjugium. Scriptum hoc in Vati-„ cano Codice fine caret, & avulsis hinc inde „ foliis luxatum est.

„ Demum ex Hincmaro notat Pagius Synodos „ in causa Theutpergæ tres Aquisgrani convenis-„ se; semel anno 860. Januario mense, in qua „ canonica monitione Lothario indicitur, ut a „ Theutperga adultera segreget sese; iterum ve-„ ro ibidem convenientes Episcopi Theutpergam „ canonicæ pœnitentiæ submittunt. Tertia tan-„ dem Synodus illa est, cujus hic Gravesonius „ meminit.

D. *Carolum Crassum* Regno Galliarum fuisse abdicatum, jam accurate observasti; at necdum indicasti eum, qui post abdicationem & mortem Caroli Crassi, in Gallicum Regnum ei successit.

M. Franci, amoto Carolo Crasso, eoque mortuo anno DCCCLXXXVIII. pari consensu & voluntate, annuente etiam *Arnulpho* Germaniæ Rege, donec *Carolus Simplex* filius Ludovici Balbi adolesceret, Galliarum Regem crearunt *Odonem* comitem Parisiensem, *Roberti* Andegavorum comitis filium, *virum strenuum, cui præ cæteris formæ pulchritudo, & virium sapientiæque magnitudo inerat. Qui Rempublicam viriliter rexit, & contra assiduas deprædationes Normannorum indefessus propugnator extitit*, inquit Annalista Metensis. Unctus fuit *Odo* a *Walterio* Archiepiscopo Senonensi anno 888. Sunt nonnulli Historici, qui affirmant, *Odonem* sibi nomen Regis tribuisse, non quod fuisset revera coronatus Galliarum Rex, sed quia dumtaxat tutor erat *Caroli Simplicis*, qui, licet verus ac legitimus esset Galliarum Rex, Regno tamen administrando, utpote puerulus, impar erat. At, mea quidem sententia, longe probabilius est, *Odonem* Galliarum Regem a Francis, nulla tunc *Caroli Simplicis* habita ratione, creatum, sibi Regnum vindicasse. Quod cum multi Francorum Proceres ægre ferrent, *Carolum Simplicem* ex Anglia, quo fuerat a matre abductus, revocarunt, ad Regium culmen sublimarunt, & a *Fulcone* Remensi Archiepiscopo inaugurari curarunt an. 893. Suam tamen dignitatem Regiam strenue in Galliis tuitus est *Odo*, ut constat ex Bellis, quæ *Odonem* inter, & *Carolum Simplicem* postea exorta sunt, & quæ manifestissime evincunt, *Odonem* non tutorem Caroli Simplicis, sed tanquam legitimum & proprietarium Galliarum Regem fuisse coronatum. *Odo* Galliarum Rex die III. mensis Januarii anno DCCCXCVIII. diem extremum clausit, eoque e vivis exempto, omnes Galliarum Regni Proceres *Carolum Simplicem* Regem agnoverunt. Sed de Carolo Simplice, & de aliis, qui decimo Ecclesiæ sæculo Galliarum Regnum administrarunt, sermonem instituemus in Colloquio primo in Historiam decimi sæculi.

D. Quo loco in Germania, Gallia, & Italia res Ecclesiæ nono sæculo fuerint, hactenus dilucide exposuisti. Sed necdum Ecclesiæ statum sub Regibus, qui eodem sæculo Hispaniæ & Angliæ Regnis præfuerunt, exhibuisti, quem tamen ad pleniorem Historiæ notitiam hic prætermittere non debes.

M. In Hispania *Alphonsus* dictus *Castus* nono sæculo annos XLIII. vel, ut alii volunt, XLIV. regnavit. Is ille est *Alphonsus*, cujus eximias dotes in Historia superioris sæculi perstrinximus, quod anno septingentesimo octogesimo tertio Hispaniarum Regnum esset adeptus. Fuit *Alphonsus Castus* religiosissimus Princeps, bellica gloria, & pacis artibus celeberrimus, qui insignem victoriam de *Abderhamano* Saracenorum Cordubensium Rege, *S. Jacobo* Auspice, reportavit, cujus felicem exitum ex *Tudensi* fuse narrat *Baronius*. Paulo antequam moreretur *Alphonsus Castus*, in Procerum Conventu, *Ramirum* filium *Veremundi* Regis suum Regni Successorem designavit. *Ramirus* post obitum *Alphonsi Casti*, Hispaniarum Regno potitus, conserto cum Saracenis prælio, sexaginta, vel, ut alii dicunt, septuaginta eorum millia internecione delevit, an. DCCCXLVI. Hanc celebrem de Saracenis reportatam victoriam, Hispani acceptam referunt S. Jacobo Apostolo, & præcipuo Hispaniarum Patrono, qui in Acie perspicue visus est, equo albo insidens, deferensque album vexillum adversus hostes fortiter dimicare. Normannos etiam numerosa classe universam Gallæciæ Oram infestantes, inito prælio devicit *Ramirus* Rex. Septuaginta eorum naves partim captæ, partim submersæ in navali pugna. Obiit *Ramirus* Hispaniarum Rex anno DCCCL. His temporibus multi Christiani a Saracenis, Cordubæ pro Fide occisi, martyrii palmam consecuti sunt, quorum martyrium *Sanctus Eulogius* Archiepiscopus Toletanus electus tribus libris celebravit. Mortuo *Ramiro* Hispaniarum Regi *Ordonius* ejus filius successit, & Regium insigne animumque suscepit. Princeps fuit miti ac tractabili ingenio, suavissimis moribus, æquique tenax. Bellum contra Saracenos feliciter gessit. Civitates plurimas ab eis dirutas instauravit. Vita functus est *Ordonius* Hispaniarum Rex anno DCCCLVI. cum regnasset XVI. annis, ut diserte asserit *Alphonsus Magnus* illius filius in suo Chronico his verbis: *Suprafatus Rex*, idest, Ordonius, *post XVI. annos completos morbo podagrico correptus, Oveto est defunctus, & in Basilica S. Mariæ cum prioribus Regibus est tumulatus*. Unde sequitur falli Baronium, dum scribit, Ordonium Hispaniarum Regem annos dumtaxat XII. regnasse, eumque anno DCCCLXII. vivere desiisse. Ordonium in Hispaniarum Regni administratione excepit *Alphonsus* hujus nominis III. ejus filius, & ob egregias corporis, animique dotes, atque præclaros de Mauris reportatos triumphos, *Magni* cognomen consecutus. *Sampirus* Asturicensis Episcopus, cujus Historiam *Sandovallius* publicavit, narrat, Alphonsum Magnum Hispaniarum Regem post varias victorias de Saracenis relatas, duos Presbyteros Romam ad Joannem VIII. Pontificem Maximum anno DCCCLXXVI. misisse, qui ab eo peterent, ut Ecclesia B. Jacobi Apostoli consecraretur, & celebraretur

Con-

Concilium. Epistola Joannis VIII. ad Alphonsum Regem est cccix. in Registro Epistolarum Joannis VIII. qui ei concedit, ut Ovetensis Ecclesia Gallæciæ Metropolitana efficiatur. Ea vero Epistola, qua Summus ille Pontifex annuit, ut Ecclesia Sancti Jacobi consecretur, est ordine cccx. Has Joannis Octavi Papæ literas, ubi accepisset Alphonsus Rex venit cum uxore sua, & filiis, ac Episcopis, & totius Regni comitibus, consecrataque Ecclesia, coegit Synodum, in qua Ovetensis Urbs Metropolis declarata fuit, actumque insuper de restituendis Sedibus a Saracenis depopulatis, & de Episcopis, qui eis præfici debebant. Hujus Synodi Ovetensis Acta, quæ nunquam hactenus fuerant edita, publicavit Eminentiss. Card. *de Aguirre*, eaque inseruit Tom. 3. Conciliorum Hispaniæ (*a*). Regnavit Alphonsus Magnus in Hispania ab anno 866. usque ad an. 910. quo sponte Regnum abdicavit, illudque *Garsiæ* filio suo, qui tamen nihil non moliebatur, ut illum e Regno dejiceret, raro sane exemplo tradidit, victus tot tumultuum in Regno ab eo excitatorum tædio, & anno sequenti abiit e vivis. Sed de Statu Ecclesiæ sub Hispaniarum Regibus, qui Hispaniarum Regnum nono sæculo potiti sunt, hæc pauca deflorasse sufficiat.

„ (*a*) Ovetense Concilium vulgavit quidem „ Sandovallius, sed simul illigavit anno 877. quod „ & Pagius admittit, & re discussa recognoscit.

Ad statum quod attinet Ecclesiæ sub Regibus, qui nono sæculo Angliæ Regnum administrarunt, breviter dicam, res Ecclesiæ eo in Regno optimo loco fuisse ob pietatem Regum, qui ei præfuerunt. *Egbertus* siquidem abnepos *Inæ* Occidentalium Saxonum in Anglia Regis, qui octavo sæculo Regnum suum Romano Pontifici vectigale fecit (quod Sancti Petri denarium vocant) West-Saxiæ Regnum adeptus, anno æræ Christianæ octingentesimo, *Bernulphum* Merciorum Regem, & *Baltredum* Cantiorum Regem debellavit, eorumque Regna, necnon & Northumbriam adjunxit Regno West-Saxiæ, ita ut in unam Monarchiam tot Britanniæ Regna inter se olim omnino divisa, tum temporis coaluerint. *Egbertus* Angliæ Rex, post fusam ingentem *Danorum* multitudinem irruptionibus Angliam infestantium, obiit anno DCCCXXXVIII. filiumque suum *Ethelvulphum* Regni reliquit hæredem, qui compositis Regni sui rebus, Romam, Religionis ergo, sese contulit, & a Leone IV. Summo Pontifice humanissime exceptus, Ecclesiæ Romanæ eam Insulæ partem, quam *Egbertus* pater ad Regnum adjunxerat, vectigalem fecit (*a*), & postquam per viginti annos Angliæ Regnum sapienter administrasset, pie decessit an. 857. Quatuor superstites reliquit filios *Ethelbaldum*, *Ethelbertum*, *Ethelredum*, & *Alfredum*, qui postremus, licet ætate minor esset, animi tamen & constantia, & pietate suis fratribus, qui ante ipsum in Anglia regnarunt, se prodidit majorem. Is quippe a patre suo Ethelvulpho Romam missus, & a Leone IV. Pontifice Maximo Rex inauguratus, Regnum Angliæ adiit anno DCCCLXXII. sed Danorum, qui ferro flammaque omnia in Anglia sus deque miscebant, incursionibus vexatus, ad extremas angustias redactus est, & in Insulam *Adelingiam* pius Princeps sese recipere coactus est, ibique permansit, donec, congregatis undequaque auxiliis, Danos conserto prælio strenue aggressus est, eosque, divino nutu victoria potitus, incredibili cæde prostravit, Regnumque suum, a quo exulabat, recuperavit universum. Qui ex illa ingenti clade residui fuerunt Dani, datis obsidibus, Christo se nomen daturos polliciti, Victoris animum miseratione permoverunt. *Godrus*, seu *Gormundus* Danorum Rex cum triginta proceribus, & populi maxima multitudine, susceptus est e sacro Fonte ab *Alfredo* Angliæ Rege, qui ei dedit Provincias Orientalium Anglorum, & Northanymbrorum, *ut eas sub fidelitate Regis foveret jure hæreditario, quas pervaserat latrocinio*, sicut ait *Willelmus Malmesburiensis* lib. 2. *de Gestis Regum Anglorum* cap. 4. Restitutus in Regnum suum, Alfredus votum, cui sese obstrinxerat priusquam victoria potiretur, solvit, & Andeligianam Arcem in Cœnobium Monachorum commutavit, ut fuse narrat *Asserus* Schireburgensis Episcopus in libro *de Alfredi rebus Gestis* pag. 18. Leges Sanctissimas condidit ac promulgavit Alfredus Rex, totusque pietati, & litteris deditus, ita tempus omne suum dividebat, ut ex horis viginti quatuor, quibus dies naturalis constat, octo in Oratione, Lectione, & Scriptione; octo in cura corporis necessaria; octo in expediendis Regni negotiis consumeret. *Missam quotidie audire*, *Psalmos quosdam*, *& Orationes*, *& Horas diurnas*, *& nocturnas celebrare*, *& Ecclesias nocturno tempore orandi causa clam a suis adire solebat & frequentabat*, teste mox laudato *Assero*, apud quem de pietate & doctrina Alfredi Anglorum Regis, de ejus in Ecclesias & pauperes liberalitate, atque de cæteris, quibus exornatus fuit, eximiis dotibus, plura legi possunt. Obiit religiosissimus iste Anglorum Rex anno Christi nongentesimo, Regni sui tricesimo, eoque mortuo, *Eduardus* ejus filius Angliæ Regnum obtinuit, quod quanta modestia, quanta justitiæ laude gubernaverit, ostendam in colloquio primo in Historiam decimi Ecclesiæ sæculi. Hic tantum velim obiter observes, quantum in Religione, & in Sedem Apostolicam observantia antiqui Angli distent a modernis, qui variis (proh dolor!) erroribus seducti, ab avita Majorum suorum Religione recesserunt, tamque infenso odio Ecclesiam Romanam prosequuntur, ut modo omnibus promiscue sectis suos cœtus ac peculiares Ecclesias impune habendi in suo Regno potestatem ultro permittant, solis vero Catholicis cœtus & Ecclesias habere districte inhibeant.

„ (*a*) Vectigal ab Angliæ Regibus ex dona„ tione Ethelvulfi pendendum Ecclesiæ Romanæ „ non petebatur tantummodo ex provinciis a „ patre ejus regno adjectis, sed ex toto Angliæ „ regno quod possidebat. Ita sentiunt auctores „ fere omnes rerum Anglicanarum, teste Spel„ manno, qui in nota ad diploma Ethelvulfi ita „ mo-

„ monet": *donationis beneficium porrigunt auctores* „ *ad totam Angliam*.

D. Statum Ecclesiæ sub Principibus Christianis, qui nono sæculo tam in Oriente, quam in Occidente, rerum potiti sunt, plane perspectum habeo. At nunc scire velim, an Christiana Religio sæculo nono apud barbaras & infideles nationes fuerit propagata?

M. Complures Nationes barbaræ & infideles nono Ecclesiæ sæculo Fidei Christianæ lumine fuerunt illustratæ. In primis, *Carolus Magnus* Imperator ad promovendam *Nordalbingorum* conversionem misit *Heridacum* Presbyterum, & post *Heridacum*, ad tentandam eorumdem populorum conversionem, a *Paschali* Pontifice Maximo, & a *Ludovico Pio* Imperatore missus est *Ebbo* Archiepiscopus Remensis. Verum, quod Carolus Magnus per *Heridacum*, nullo fructu, quod *Paschalis* Summus Pontifex, & *Ludovicus Pius* Imperator per *Ebbonem* Archiepiscopum Remensem, adjutore *Hadligario*, parvis initiis apud Nordalbingos tentaverant, gentium videlicet Septentrionalium conversionem; feliciter tandem perfecit *Anscharius* Monachus, qui sub finem anni DCCCXXVI. in Danorum Regionem a *Ludovico Pio* Imperatore, Evangelii prædicandi causa missus, dein, post biennium apud Suecos anno dimidio commoratus, postea, curante eodem Ludovico Imperatore, *Hammaburgi*, seu Nordalbingorum, populorum, videlicet, trans Albim incolentium, Archiepiscopus creatus est anno 832. Insuper, a Gregorio IV. Summo Pontifice *Anscharius* constitutus est *Legatus in omnibus circumquaque gentibus Sueonum*, idest, Sueeorum, *Danorum*, *necnon etiam Sclavorum, vel in ceteris ubicumque illis in partibus constitutis, divina pietas ostium aperuerit*, sicut in ejusdem Gregorii Papæ litteris legitur. In conversionem Septentrionalium Regionum *S. Anscharius* annos fere octo & triginta insumpsit, eamque sæpius ab aliis tentatam, ad optatum exitum perduxit, ut testatur *Adamus Bremensis* lib. 1. cap. 16. his verbis: *O mira Omnipotentis Dei providentia de vocatione gentium, quam disponit artifex, ut vult, & quando vult, & per quem vult! Ecce quod longo prius tempore Willebrordum, & Ebbonem, aliosque voluisse legimus, nec potuisse; tum Anscharium nostrum & voluisse & perfecisse, miramur.* Et in fine Historiæ suæ: *Hæc sunt*, inquit, *quæ de natura Septentrionalium Regionum comperimus ad honorem Sanctæ Hamaburgensis Ecclesiæ proponenda, quam tanto munere divinæ pietatis præditam videmus, ut innumerabilem populorum multitudinem, quorum hæc Metropolis facta est, labore suæ prædicationis ex magna jam parte conversos habeat ad Christianitatem, ibi solummodo ponens evangelizandi silentium, ubi Mundus habet terminum: quæ salutifera gentium legatio primum ab Ansgario incepta, prosperis semper usque in hodiernum diem aucta est incrementis.* Præter Danos, & Sveones, idest, Suecos, Sanctus Anscharius ad Fidem Christianam adduxit Frisios Orientales cis *Todam* fluvium incolentes in pagis *Ruistri*, *Abstorga*, seu *Osterga*, *Nordendi*, ac *Wanga*, ut legitur in Vita ejusdem Sancti Anscharii Archiepiscopi Hammaburgensis, & Bremensis Septentrionalium Regionum Apostoli, quam a Sancto *Remberto* ejus discipulo descriptam referunt *Mabillonius* parte II. sæculi IV. Benedictini, quod est Ecclesiæ nonum, & *Bollandus* ad diem III. mensis Februarii, qua colitur S. Anscharius.

Eodem sæculo nono, hoc est, anno DCCCLXI. *Bogoris* Bulgarorum Rex, hortante sorore sua, quæ Bello capta, Christianam Fidem susceperat, cum suis populis baptizatus est, & *Michaelis* nomine a *Michaele* tum temporis Orientis Imperatore donatus est. Post aliquot vero annos rebus Ecclesiæ optime in Regno suo constitutis, *divina inspiratione commonitus*, ut ait Annalista Metensis, *Regnum terrenum dimisit* (*Bogoris* Bulgarorum Rex) *ut in Cælis æternaliter regnaret cum Christo, & ordinato in loco suo in Regem majori filio suo, comam capitis deposuit, habituque sanctæ conversationis suscepto, Monachus effectus est. Eleemosynis, vigiliis, orationibus die noctuque intentus. Interea filius ejus, quem Regem constituerat, longe a paterna intentione & operatione recedens, prædas cœpit agere, ebrietatibus, comessationibus, & libidinibus vacare, & omni conamine ad gentilitatis ritum populum noviter baptizatum revocare. Quod cum Pater audisset, nimio zelo accensus, sacrum habitum deposuit, & cultu Regio indutus, adsociatis sibi Deum timentibus, filium persecutus est, quem mox absque difficultate cœpit, oculosque ejus effodit, & in carcerem misit. Deinde, convocato omni Regno suo, filium juniorem constituit, interminatus coram omnibus similia fore passurum, si in aliquo a recta Christianitate deviaret. His ita gestis, deposito cingulo, & resumpto sacræ Religionis habitu, ad Monasterium regressus, in sancta conversatione reliquum vitæ præsentis tempus duxit.* Hoc præclaro *Bogoris* Bulgarorum Regis exemplo excitatus *Ratislaus* Moraviæ Princeps, abjectis Idolis, Christianam Fidem cum populo suo anno DCCCLXVI. Imperante in Oriente *Michaele*, amplexus est, ad quam conversionem haud parum contulerunt *Methodius*, ejusque frater *Cyrillus*, ut videre est in eorum Vita ab Auctore Anonymo descripta, & ab *Henschenio* ad diem IX. mensis Martii recitata. Sed tempus est ut præsenti Colloquio finem imponamus, aliud postridie habituri de serie Episcoporum, qui nono Ecclesiæ sæculo Sedes Romanam, & Constantinopolitanam tenuerunt.

COLLOQUIUM II.

In quo texitur Series Episcoporum, qui nono Ecclesiæ sæculo Sedes Romanam, & Constantinopolitanam tenuerunt.

D. Leonem hujus nominis Tertium sub finem octavi Ecclesiæ sæculi *Hadriano* I. Romano Pontifici successisse, memini te obiter observasse in Colloquio secundo in Historiam præcedentis sæculi. Sed quot annos sederit *Leo* III. & quæ in suo Pontificatu laude ac commendatione digna gesserit, impræsentiarum narrare & breviter exponere debes.

M. Mor-

M. Mortuo *Hadriano Primo* Pontifice Maximo die xxv. mensis Decembris anno DCCXCV. *Leo* hujus nominis Tertius Pontifex Romanus fuit ordinatus die XXVII. mensis Decembris ejusdem anni, seditque, teste Anastasio Bibliothecario, annos viginti, menses quinque, dies sexdecim, & ex hac vita migravit die undecima mensis Junii anni DCCCXVI. Multa in suo Pontificatu præclare gessit, quæ hic perstringemus. In primis, *Leo* III. Summus Pontifex anno septingentesimo nonagesimo sexto misit ad *Carolum Magnum*, tanquam Ecclesiæ defensorem, claves aureas ex Confessione, seu Sepulchro Sancti Petri acceptas, & Vexillum Urbis Romæ, quod Carolus Magnus grato animo suscepit, & magnam thesauri *Avarorum* partem, quam *Henricus* Dux Forojuliensis ad ipsum transmiserat, dono dedit eidem Summo Pontifici, quem semper singulari observantia coluit, & sceleratorum quorundam hominum factione pene oppressum, in pristinam libertatem, ac dignitatem vindicavit. Enim vero, refert *Anastasius* Bibliothecarius, *Leonem Tertium* Summum Pontificem a factiosis hominibus anno DCCXCIX. Romæ comprehensum, effossis oculis, abscissa lingua, & multis plagis saucium ac cruentatum, in tetrum carcerem fuisse conjectum, ipsum tamen, insigni miraculo, restitutis oculis, & lingua sanatum, atque adventante *Winigiso* Duce Spoletano cum suo exercitu e carcere liberatum, adiisse Spoletum, ubi tantisper recreatus, se ad Carolum Magnum contulit, bello tum temporis Saxonico implicitum, qui Romam Sanctum illum Pontificem magno cum honore reduci, & in Sedem Apostolicam, applaudentibus Clero, populoque Romano, restitui curavit. Quin & ipse Carolus Magnus, ut tanto sacrilegio debitas pœnas exigeret, Romam venit anno DCCC. ubi, convocata Episcoporum Synodo, causam Pontificis judicari mandavit. *Visum est autem*, inquit Annalista Lambecianus, qui hoc tempore vivebat, piissimo *Principi Carolo, & universis Episcopis, & Sanctis Patribus, qui ibi adfuerunt, ut, si ejus*, idest Leonis III. *voluntas fuisset, & ipse petiisset, non tamen per eorum judicium, sed spontanea voluntate se purificare debuisset, & ita factum est. Et ipso Sacramento expleto, incipiebant illi Sancti Episcopi cum universo Clero, seu ipso Principe Carolo cum devoto Christiano populo Hymnum Te Deum laudamus &c. quo expleto & ipse Rex & universus populus fidelis cum eo dabant laudem Deo, quia ipsum Apostolicum Leonem & sanum in corpore & animo meruerunt habere.* Mansit Leo Tertius Romæ usque ad annum DCCCIV. quo a Carolo Magno rogatus ut sedulo inquireret, an re vera Sanguis Christi Domini, ut fama vulgaverat, Mantuæ fuisset repertus? Primum in Longobardiam profectus est, ut Imperatoris desiderio faceret satis. Dein, recta ad ipsum Imperatorem perrexit, a quo pietate & humanitate incredibili exceptus est. Sunt nonnulli, qui post Baronium existimant, *Leonem III.* inde cum Carolo Magno *Werdam* accessisse, ibique ejus rogatu *Sanctum Suvibertum*, post lectam ipsius Vitam, exploratamque ejus miracula, post multas preces & jejunia, de Episcoporum consensu, solemni ritu, inter sacrosanctum Missæ Sacrificium, Sanctorum Confessorum publicis tabulis adscripsisse, Festumque in ejus venerationem indixisse, atque confluentibus devotionis ergo populis Indulgentias promulgasse. Quod ex Epistola S. *Ludgeri* Monasteriensis Episcopi ad *Risfridum* Trajectensem Episcopum adstruere conatur Cardinalis *Baronius*. Verum, totam illam narrationem, & *Ludgeri* Epistolam commentitiam esse, multis momentis evincunt periti Critici, præcipue doctissimus Pater *Joannes Morinus* in Commentario *de administratione Sacramenti Pœnitentiæ* lib. 10. cap. 20. ubi hæc habet: *Conficta est Epistola ante forsan trecentos annos, aut, ut maxime, ante quadringentos, nomine Sancti Ludgeri ab aliquo Werdensi Monacho, in sui Monasterii commodum & gloriam .... Deinde Sancti Suviberti in Sanctorum Catalogum relationem eodem modo & ordine enarrat, quo nunc & ab annis quadringentis celebrari solet. Certum est autem, hanc celebrationem cœpisse trecentis post Leonem Tertium annis & amplius. Primus, quem perhibent antiqua documenta, solemniter a Pontificibus canonizatum fuisse, est Hugo Carthusianus, & Gratianopolitanus Episcopus; secundus est Sanctus Bernardus. Sed considera quæ Epistolæ, sive Bullæ Pontificum de istorum Sanctorum Canonizatione referunt, & ea compara cum iis, quæ Auctor ille de Sancti Suviberti Canonizatione scribit, deprehendesque cæremonias hodiernas a Leone Tertio multo diligentius, & copiosius, quam ab Innocentio II. aut Alexandro Tertio fuisse observatas. Quod argumentum certum est istius Epistolæ Auctorem post annum MCC. scripsisse. Ante Innocentium II. & Alexandrum Tertium, simplex admodum erat Canonizationis ritus, ut ex Petro Damiano constat in fine vitæ Sancti Romualdi, testaturque Cardinalis Baronius ad annum Christi MXXVII. Obtinebatur ab iis, quibus curæ erat illa Canonizatio, a Sede Apostolica facultas Altare supra Corpus defuncti erigendi. Eo erecto, peracta erat Canonizationis solemnitas. Post illud tempus cæremoniæ sanctæ illius actionis paulatim factæ sunt augustiores.* Demum, post alias adductas rationes concludit Morinus: *Multa sunt alia ejusdem criminis argumenta, quæ longum esset persequi. Undique enim rimosa est Historia ista, & fabellis veritati assutis satiscit.* Legi possunt etiam *Henschenius* ad diem XXVI. mensis Martii in Commentario prævio ad Vitam Sancti *Ludgeri*, & *Cointius* in Annalibus Ecclesiæ Francorum ad annum DCCCV. ubi non pauca adversus eam *Sancti Ludgeri* Epistolam, quam supposititiam esse censent, annotarunt. Expungi itaque debet, juxta peritos illos Criticos ex Actis Leonis Tertii Summi Pontificis hæc Sancti Suviberti Canonizatio Werdæ, præsente Carolo Magno, celebrata. Romam reversus Leo Tertius Ecclesias Urbis instauravit singulari munificentia, cujus monumenta exhibet *Anastasius* Bibliothecarius in ejus Vita. Retinendæ antiquitatis adeo tenax fuit

Sum-

Summus ille Pontifex, ut Symbolum cum additamento particulæ *Filioque*, quod Romana Ecclesia necdum ei inseruerat, a Francis decantari moleste admodum tulerit, nec ad illud additamentum sua authoritate approbandum, induci unquam potuerit, exoratus licet a Legatis a Carolo Magno, eam ob rem, Romam missis, *Bernario* nimirum Wormaciensi Episcopo, *Jesse* Ambianensi Antistite, & *Adhelardo* Corbejensi Abbate. Quare sibi semper constans Leo III. duas Tabulas argenteas in Basilica S. Petri ad Confessionem, seu Sepulchrum ejusdem S. Petri affigendas curavit, in quarum una Symbolum græce scriptum, in altera latine exaratum legebatur, utrobique sine hoc additamento *Filioque*. Meminit illarum Tabularum Anastasius Bibliothecarius; Acta vero Collationis, quam Leo III. Summus Pontifex habuit cum Legatis Caroli Magni, circa Quæstionem de additamento particulæ *Filioque*, descripta a *Smaragdo* Abbate, ex quo *Sirmondus* ea tomo II. Conciliorum Galliæ inseruit (*a*). Denique, Leo Tertius meritis plenus obiit, & post mortem Sanctorum Fastis adscriptus est, ut videre est apud Henschenium ad diem XI. mensis Aprilis, quo Sanctus Leo Magnus colitur, ubi laudatus Author ex MSS. Catalogo Ecclesiæ Sancti Petri refert Historiam translationis Corporis Sancti Leonis Magni, una cum Ossibus aliorum *Leonum* Summorum Pontificum Secundi, Tertii, & Quarti, solemni ritu in novum Templum factæ, die XXVII. mensis Maji an. 1607. præsente Paulo Papa V. qui eorumdem Sanctorum Corpora videre voluit.

„ (*a*) Acta collationis Leonis III. cum Legatis Caroli Magni nactus ego sum olim in „ vetusto Codice bibliothecæ Universitatis Taurinensis, eaque cum editis contuli, ex qua variantes plurimæ expressæ sunt, quas ego in nova Conciliorum editione prolaturus sum.

Post Leonis Tertii mortem, quæ, ut jam diximus, contigit die XI. mensis Junii anni DCCCXVI. vacavit Sedes Pontificia dies decem, teste Anastasio Bibliothecario, & die vicesima secunda ejusdem mensis, & anni, *Stephanus* hujus nominis V. Patria Romanus, Pontifex Maximus consecratus est. Qui, ut primum fuit inauguratus, in Gallias profectus est, ut *Ludovicum Pium* consecraret Imperatorem, una cum *Irmingarde* ejus conjuge. Quo magnificentiæ apparatu, quibus lætitiæ signis a Ludovico Pio Imperatore Sanctus ille Pontifex in Galliis fuerit exceptus, accurate describit *Theganus* Chorepiscopus Trevirensis, & Auctor coævus in libro, quem de Gestis Ludovici Pii edidit his verbis: *Perrexit Dominus Ludovicus obviam supradicto Pontifici, obvians ei in Campo magno Remensium. Descendit uterque de equo suo, & Princeps se prosternens omni Corpore in terram tribus vicibus ante pedes tanti Pontificis, & tertia vice erectus salutavit Pontificem ..... Postea, Pontifex honoravit eum magnis honoribus, & multis, & Reginam Irmingardem, & omnes Optimates, & Ministros ejus. Et in proxima die Dominica, in Ecclesia ante Missarum solemnia, coram Clero, & omni populo consecravit eum, & unxit Imperatorem, & Coronam auream miræ pulchritudinis, & pretiosissimis gemmis ornatam, quam secum apportaverat, posuit super caput ejus. Et Irmingardem Reginam appellavit Augustam, & posuit Coronam auream super caput ejus. Quamdiu ibi erat Beatissimus Papa, quotidie Colloquium habebant de utilitate Sanctæ Dei Ecclesiæ. Post quod Dominus Imperator eum honoravit magnis, & innumeris donis tripliciter, & amplius quam susceptisset ab eo .... dimisit eum ire Romam cum Legatis suis, quibus præcepit ubique in itinere suo honestum exhibere servitium*. Romam reversus *Stephanus* V. diem ultimum paulo post clausit die XXIV. mensis Januarii anno DCCCXVII. unde menses septem dumtaxat Pontificatum tenuit, & in ejus locum die XXV. mensis Januarii ejusdem anni suffectus est *Paschalis* hujus nominis I. Patria Romanus, & eximiis exornatus virtutibus, castimonia præsertim, pietate, beneficentia in pauperes, assiduitate in Orationibus, Religiosæ vitæ amore conspicuus, ut videre est apud Anastasium Bibliothecarium in ejus Vita. Statim post consecrationem suam *Paschalis* Summus Pontifex Legatum ad *Ludovicum Pium* Imperatorem misit, *qui negotio peracto, & petitis impetratis, super confirmatione scilicet pacti, & amicitiæ, more Prædecessorum suorum, reversus est*, inquit Auctor Vitæ Ludovici Pii Imperatoris. Communis est Historicorum opinio, *Paschalem* I. Romanum Pontificem ab eodem Imperatore *Ludovico Pio* obtinuisse confirmationem Pipinianæ, & Carolinæ donationum, insuper Sardiniæ donationem, Edicto, quod incipit: *Ego Ludovicus*, expressam impetrasse. Verum, his merito non assentitur Clarissimus *Pagius* in Critica Baronii ad annum DCCCXVII. putatque, hanc Ludovicianam Donationem fictitiam esse, tum quia ex tot Pontificibus Romanis, qui dona a Pipino, & Carolo Magno Ecclesiæ Romanæ concessa memorarunt, nullus est, qui prædictæ Donationis Ludovici Pii Imperatoris meminerit, cujus tam alti silentii nulla ratio assignari potest, nisi quia Summi Pontifices justissimum habentes titulum rerum, quas Ecclesia Romana ex liberalitate Imperatorum possidebat, commentitiam illam Ludovicianam Donationem contempserunt; tum quia etiam *Otho* Primus, & *Henricus* Primus Imperatores singillatim ea enumerant, quæ *Pipinus*, & *Carolus Magnus* Ecclesiæ Romanæ donarunt; eaque diplomatis suis confirmant; at de ista Ludoviciana Donatione ne verbulum quidem faciunt (*a*). Refert *Baronius* in Annalibus litteras, quas Sanctus *Theodorus Studita* dedit ad Paschalem I. Romanum Pontificem, quibus ei significat, quanta in Oriente cultores Imaginum patiebantur incommoda, quibus litteris permotus piissimus Pontifex, quas potuit, Ecclesiæ Orientali tulit suppetias. Contra Iconomachos litteras scripsit gravissimas, & Monachis Græcis ad Ecclesiæ Romanæ gremium confugientibus Monasterium apud Sanctam Praxedem Romæ extruxit, & dotavit. Corpora Sanctæ Cæciliæ Virginis, & Martyris, una cum Corporibus Sanctorum Martyrum *Valeriani* ejus Spon-

Sponsi, *Tiburtii Maximi*, necnon *Urbani*, & *Lucii* Romanorum Pontificum adinvenit *Paschalis* I. eaque transtulit in Ecclesiam Sanctæ Cæciliæ nomine nuncupatam, quam jam jam casuram a fundamentis restauravit, & juxta eam ædificavit Monasterium sub honore SS. Virginum, & Martyrum *Agathæ*, & *Cæciliæ* in loco *Collis jacentis*, ut videre est apud Anastasium Bibliothecarium in Vita hujusce Pontificis. *Lotharium* Cæsarem *Ludovicii Pii* Imperatoris filium Romæ an. DCCCXXIII. Imperatorem coronavit *Paschalis* I. obiitque anno sequenti die decima mensis Februarii, postquam sedisset, juxta accuratiorem Chronologiam, annos VII. & dies XVII. non vero, ut ait *Baronius*, annos VII. menses tres, dies XVI. Post mortem Paschalis I. fuit Interpontificium IV. dierum, & die XIV. ejusdem mensis Februarii, & anni DCCCXXIV. *Eugenius* hujus nominis Secundus ordinatus est Pontifex Romanus. Fuit Vir doctissimus juxta, ac piissimus, Pater pauperum merito dictus, quibus ita consulebat, ut nullibi vilius, quam Romæ annona venderetur. Sub ejus Pontificatu, hoc est anno 815. habita est Synodus Parisiensis pro cultu sacrarum Imaginum, de qua in quarto Colloquio opportunius differemus, sicut & de Synodo, quam Romæ idem Summus Pontifex anno DCCCXXVI. celebravit, quamve *Holstenius* in secunda parte Collectionis Romanæ integram publicavit cum XXXVIII. Canonibus ad restaurandam Ecclesiæ Disciplinam in ea conditis, qui etiam tomo VIII. Conciliorum ex Collectione Romana Holstenii recitantur (*b*). Multi post Baronium asserunt, Eugenium Secundum sedisse annos tres, menses duos, dies viginti tres, & die XI. mensis Augusti supremum diem obiisse. At Clarissimus *Pagius* perdocte ad annum DCCCXXVII. observat, quod cum nullibi apud antiquos dies mortis Eugenii Secundi memoretur, incompertum omnino est, quot menses, & dies supra annos tres, *Eugenius Secundus* Romanam Ecclesiam administrarit, illudque dumtaxat certum, eum tribus annis sedisse. Secundo substitutus est *Valentinus* patria Romanus, qui incredibili omnium ordinum applausu ex Archidiacono Pontifex Maximus fuit ordinatus. Sed hanc tam justam cunctorum gratulationem & lætitiam, cum maxime gestiebat, excepit luctus, & summis gaudiis acerbissimi de morte illius Pontificis intercurrerunt dolores. Quadragesimo quippe die ab inauguratione sua e vivis sublatus est Pontifex ille Sanctissimus. Valentino in Sede Pontificia successit eodem an. DCCCXXVII. *Gregorius* hujus nominis IV. gente etiam Romanus, sed mense & die incertis, cum dies ejus emortualis ignoretur, quemadmodum duratio cessationis Sedis post Valentini Papæ obitum. Testatur Anastasius Bibliothecarius, Gregorium Quartum fuisse genere clarum, divinarum litterarum solertissimum inquisitorem, Ecclesiarum indefessum visitatorem, pauperum patrem, Viduarum nutritorem, ac rerum humanarum contemptorem. Corpus S. Gregorii Magni ad Ecclesiam, ubi etiamnum jacet, transtulit Gregorius Quartus, & Corpora Sanctorum Martyrum *Sebastiani*, *Gorgonii*, ac *Tiburtii* ex Cœmeteriis, in quibus erant recondita, transtulit ad Ecclesiam Sancti Petri. Multas Urbis Basilicas instauravit, ditavit, exornavit. In Gallias venit, sicut in superiori Colloquio observavimus, ut *Ludovicum Pium* cum filiis reconciliaret. Sed Antistites Gallicani, qui falso rumore decepti sibi persuaserant, Summum illum Pontificem eo animo accessisse, ut *Ludovicum Pium* Imperatorem, & Episcopos ipsi addictos excommunicationis fulmine percelleret, asperiores litteras ad eum dederunt, eique depositionem comminati sunt, teste *Paschasio Radberto* Monacho Corbejensi in Vita *Walæ* Abbatis lib. 2. Has Episcoporum Gallicanorum minas merito contemnens Pontifex Maximus, adulationis, superbiæ, & perjurii illos redarguit, appellavitque *Arundines vento agitatas*, ut videre est in Epistola, quam ad eos scripsit, & quæ extat inter Agobardinas. Non diu tamen duravit hæc Pontificem Maximum inter, & Antistites Gallicanos concertatio. Nam statim ac Antistites Gallicani compertum habuerunt, Gregorium Quartum Summum Pontificem in Gallias venisse, ut inter Ludovicum Pium Imperatorem, ejusque perduelles Filios pacis sequester esset, discussis omnibus nebulis, eum ut patrem & Magistrum omnium Ecclesiarum coluerunt, Pontifex vero ut fratres complexus est. Fructu tamen caruit *Gregorii* IV. in Gallias iter, reque infecta, sua relegit vestigia, Romamque reversus est. Discimus ex *Adone* Viennensi, qui nono sæculo vixit, Ludovicum Pium Imperatorem, monente Gregorio Quarto, statuisse ut in suis Ditionibus Festivitas omnium Sanctorum, quam in Urbe Romana Kalendis Novembris jam instituerat Bonifacius Quartus, *perpetuo ageretur*. *Quam Sanctam Constitutionem reverenti amore suscepit omnis Ecclesia*, inquit idem Scriptor in suo Martyrologio, idemque testatur *Sigebertus* ad annum 835. Obiit *Gregorius* IV. postquam sedisset annos sexdecim, octavo Kalend. Februarias, An. DCCCXLIV. ut produnt *Sigonius* lib. V. de Reg. Ital. & *Onuphrius* in Chronico Eccles. (*c*) Post mortem Gregorii IV. cessavit Pontificatus dies quindecim, sicut habent varia MSS. Anastasiana in fine editionis Regiæ citata: quapropter *Sergius* II. ejus successor patria Romanus die X. Februarii ejusdem anni omnium ordinum consensu renunciatus & ordinatus est Pontifex Maximus. *Platina* in Vita Sergii Secundi ait. *Sunt qui dicunt, Sergium primo quidem Os porci appellatum, & ob turpitudinem cognomenti, Sergii nomen sumpsisse, eamque consuetudinem ad nostros manasse, ut qui Pontifices crearentur, suo omisso, majorum nomina sibi inderent, licet ab omnibus non sit observatum*. Verum, hæc fabula est. Observat quippe *Baronius*, primum Pontificem, qui nomen mutavit, fuisse *Octavianum*, qui Joannis XII. nomen assumpsit. Censent etiam multi Viri eruditi, hunc Sergium, qui *Os porci* appellabatur, non fuisse Sergium Secundum, ut visum est Platinæ, & Godefrido Viterbiensi in Chronico, nec Sergium Tertium, ut pu-

... putavit Baronius, sed fuisse Sergium Quartum (a). Nonnulli post Baronium affirmant, Sergium Secundum Pontificem Maximum Indulgentias trium annorum, & trium quadragenarum concessisse omnibus, qui Ecclesiam SS. *Silvestri*, & *Martini* visitassent, quod se in marmorea tabula antiquitus scripta legisse memorat ipsemet Baronius. Verum *Mabillonius* in Præfatione sæculi v. Benedictini, quod est Ecclesiæ decimum, ait vereri se, ut explorata sit hac de re auctoritas, cum sæculo Ecclesiæ decimo extent quidem vestigia Indulgentiarum, sed non hoc modo definitarum. *Papebrochius* etiam in conatu Chronico-Historico Dissertatione XVII. ostendit, Indulgentiarum usum hodie in Ecclesia sub ea formula frequentem, vix ante sæculum XII. in antiquis monumentis reperiri, & tabulam illam, quam se vidisse testatur Baronius, ante pauca sæcula sculptam fuisse. Sed super hac re legenda est jam citata Mabillonii Præfatio num. CVII. ubi de antiquitate Indulgentiarum pluribus disserit. *Ludovicum* Imperatoris Lotharii filium cum Drogone Metensi Episcopo, aliisque Antistitibus ac Proceribus, numerosoque exercitu Romam missum honorifice suscepit *Sergius* II. eumque, ut legitur in Annalibus Bertinianis, Regem inauguravit, non Imperatorem, sicut quidam post Adonem Viennensem, & Baronium falso existimarunt. Obiit Sergius II. sicut habetur in iisdem Annalibus Bertinianis VI. Kalend. Februarii, hoc est, die 28. anni DCCCXLVII. postquam sedisset annos tres sine ulla mensium, & dierum appendice. Post Sergii Secundi obitum, Sedes Pontificia, ut legitur in quibusdam Catalogis, & in Historia Platinæ, vacavit menses duos, & dies quindecim. Quare *Leo* hujus nominis IV. ejus successor, gente Romanus, consecratus est Pontifex Maximus die undecima mensis Aprilis ejusdem anni 847. Eum Pontificatu dignissimum fecerunt pietas, modestia, justitiæ, populique amor, beneficentia in pauperes, assiduitas in vigiliis, & orationibus, eruditio sacra, prudentiæ cum mira simplicitate morum conjunctio. Basilicas, Altaria, & Monasteria in Urbe restauravit, Saracenorum cum magna classe ad Urbem diripiendam properantium impetum fregit. Vaticanum mœnibus cinxit, & *Leoninam* Urbem suo nomine appellavit, & *Alfredum* Ethelvulphi Occidentalium Saxonum in Anglia Regis filium sanctissimis præceptis institutum, Regem inauguravit, & in filium adoptavit. *Holstenius* in Collectione Romana Concilium Romanum sub Leone Quarto habitum, & Canones XLII. Disciplinam Ecclesiasticam spectantes in eo editos, promulgavit. *Labbeus* etiam eosdem Canones in Tomo septimo Conciliorum inseruit. Sed de hoc Concilio sub Leone Quarto Romæ celebrato opportunius in quarto Colloquio disseremus. Ad cælestem vitam migravit Leo IV. die XVII. mensis Julii anni DCCCLV. postquam Ecclesiam Romanam gubernasset annos octo, menses tres & dies sex, sicut diserte legitur in Codice MS. Anastasii Bibliothecarii, Thuaneo in Bibliothecam Colbertinam translato. In vita, & post mortem multis miraculis clarus, Fastis Sanctorum adscriptus est Leo IV. ejusque corpus, ut antea observavimus, una cum Corporibus Summorum Pontificum *Leonum* hujus nominis I. II. & III. transtulit Paulus V. Pontifex Maximus die XXVII. mensis Maji anni MDCVI. Post Leonis Quarti obitum cessavit Sedes Pontificia menses duos, dies duodecim, & *Benedictus* hujus nominis III. patria Romanus, invitus licet ac reclamans electus est Pontifex Romanus. At eodem tempore quorumdam sceleratorum hominum Factio, *Anastasium* Presbyterum olim Cardinalem, qui a *Leone IV.* in Synodo Romæ habita depositus, & anathemate vinctus fuerat, in Sedem Apostolicam per Summum nefas intrusit. Sed Episcopis universoque Clero, & Populo constanter resistentibus, & clamantibus, se velle *Benedictum* Beatissimum Papam, ejectus est Anastasius Antipapa, & summo omnium consensu *Benedictus III.* ordinatus est Pontifex Romanus die vicesima nona mensis Septembris anni DCCCLV. *Hubertum* Clericum *Bosonis* Comitis filium, quorumdam criminum insimulatum, *Benedictus* III. jussit infra dies XXX. Romam venire coram Sede Apostolica responsurum, & ea de re Epistolam dedit ad Episcopos in Regno Caroli Calvi Galliarum Regis constitutos. Variis ornamentis & muneribus, quæ in ejus Vita recenset *Anastasius* Bibliothecarius, Basilicas donavit Benedictus Tertius. Ecclesiam Romanam annos duos, menses sex, & dies decem sanctissime rexit, & e vita excessit die octava Aprilis anni DCCCLVIII. Sublato Benedicto Tertio successit *Nicolaus* hujus nominis *Primus*, electus Pontifex Romanus, præsente Ludovico Secundo Imperatore, & VIII. Kalend. Maji, seu die XXIV. Aprilis ejusdem ann. DCCCLVIII. ut ait Anastasius Bibliothecarius, *coronatur*, *Urbs exultat*, *Clerus lætatur*, *Senatus & Populi plenitudo magnifice gratulatur*.

„ (a) Acris postremis hisce annis agitata controversia est Cl. Fontaninum inter & Muratorium de veritate donationis hujus Ludovici Pii, quam ad fictitia Muratorius rejecit, Fontaninus sinceram defendit, præsertim in libro Romæ edito: *Difesa del Dominio della Sede Apostolica su Parma e Piacenza*. Muratorii momenta eadem sunt, quæ olim Pagius deprompsit. Fontaninus expendit in rem suam scriptorum a sæculo XI. persuasionem. Cl. Dominicus Georgius in suo monitu ad hanc Ludovici constitutionem a se editam juxta codicem Vaticanum seculi XI. addit testimonium scriptoris vereris vitæ Josue Abbatis Vulturnensis, qui anno 817. interfuit conventui Aquisgranensi sub Ludovico Pio, cujus Author is hæc sunt verba: *Tunc quoque Beatissimo Paschali pactum constitutionis & confirmationis faciens* (Ludovicus) *etiam propriæ manus, & trium filiorum suorum signaculo illud corroborans, per Legatum S. R. E. Treodorum Nomenclatorem prædicto Papæ transmisit &c.* Hæc apprime consentiunt cum verbis donationis Ludovici Pii.

„ (b) Ro-

„ (*b*) Romani hujus Concilii acta ego in „ Codice sæculi XII. reperi, & cum editis ab „ Holstenio contuli, variantesque adscripsi evul- „ gandas in nova editione Conciliorum, quæ Ve- „ netiis per hos annos producitur.

„ (*c*) Manet adhuc sub lite num ea quæ le- „ guntur in Martyrologio Adonis de instituto in „ Galliis Festo omnium Sanctorum hortante „ Gregorio IV. sincera sint Adonis, vel ab alio „ in ejus Martyrologio intrusa. Suspicatur vero „ Cl. Georgius ejus Martyrologii restitutor novis- „ simus Gregorium nihil aliud Romæ curasse, „ quam ut hoc festum (ibi alias ex instituto „ Bonifacii IV. celebratum die XIII. Maji, qua „ dedicatio S. Mariæ ad Martyres agebatur) in „ ipsas Kalendas Novembris transferretur, au- „ ctoremque fuisse Ludovico Imperatori, ut in „ Galliis pariter eadem translatio admitteretur, „ ac servaretur. Constat enim ex Martene in „ opere de antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis „ Officiis Festum omnium Sanctorum etiam ante „ Gregorium IV. in Gallia obtinuisse. Vide „ eundem Georgium ad diem Kalend. Novem- „ bris.

„ (*d*) Viderint Docti num admittenda sit „ conjectura hæc mea, quam eorum judicio sub- „ mitto. Joannes secundus alio nomine Mercu- „ rius appellatus est, ut ex marmore, quod ad- „ huc visitur, & plures afferunt, discimus. Num „ iste primus omnium fuerit Pontifex, qui in as- „ sumptione sua paganicum nomen in Joannem „ mutavit? Cl. Muratorius aliud exemplum mu- „ tati nominis a Pontifice detexisse sibi visus est „ in Benedicto VIII. qui alterum nomen gessit „ (facile ante Pontificatum) Theophilacti. „ Quod ego nomen tenuisse etiam Benedictum „ IX. erui ex vetustissimo Catalogo Rom. Pon- „ tificum ab Eccardo vulgato. Vide adnotationem „ meam ad Baronii Annales ad an. 1012. edit. „ Luc.

D. Cum bona tua venia, te hic paululum interpellabo. Nihil siquidem hactenus dixisti de *Joanna Papissa*, quam tamen nescio quis mihi nuperrime dicebat successisse Leoni IV. Pontifici Maximo, & sedisse annos duos, mensem unum, & dies quatuor. Idque ex triplici potissimum capite probare nitebatur. Primo, quia hæc Historia, ut ajebat, de *Joanna Papissa*, legitur in Chronicis *Mariani Scoti*, *Sigeberti*, *Martini Poloni*, & in Speculo Historiali *Vincentii* Bellovacensis Ordinis Prædicatorum. Secundo, quia Statuam Joannæ Papissæ in Ecclesia Senensi inter alias Pontificias *Joannes Launojus* Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, in Dissertatione de *Auctoritate negantis argumenti*, testatur se vidisse anno MDCXXXIV. quo Senas transivit. Demum, quia Romæ in Basilica Lateranensi asservatur etiamnum *Sella perforata*, quam vocant *Stercorariam*, in qua recens electus Pontifex sedet, & ad præcavendam omnem fraudem exploratur illius sexus antequam consecretur. Tuum itaque de hac, quæ circumfertur, *Joannæ Papissæ* Historia judicium scire percupio, cui libentissime adhæsurum me constanter promitto.

M. Decantatam jam pridem, sed male consutam ac consarcinatam fabulam venditavit tibi nugator iste homo, in qua de tempore, nomine & patria istius Papissæ *Joannæ*, res nec veras, nec verisimiles contineri, non solum Catholici Doctores *Labbeus*, *Leo Allatius*, *Natalis Alexander*, & alii complures, Sole clarius commonstrarunt, sed etiam inter Hæreticos, quamvis sint jurati Sedis Apostolicæ hostes, Pseudo-Minister *Blondellus* hoc figmentum edita peculiari Dissertatione egregie confutavit. Certum quippe est (ut alia bene multa prætermittam momenta, queis hæc de *Joanna* Papissa fabula exploditur) certum, inquam, est, *Anastasium* Bibliothecarium, *Adonem* Viennensem Archiepiscopum, & alios antiquos Scriptores, qui Romanorum Pontificum Seriem, vel Catalogum texuerunt, diserte asserere, *Benedictum III.* immediate successisse *Leoni IV.* Fabulantur ergo hi, qui dictitant, *Joannam* Papissam (quam alii patria Anglicam, alii Moguntinam, sibi hac in re non constantes, inscite comminiscuntur) successisse *Leoni IV.* Non inficior tamen, hanc *Joannæ* Papissæ fabulam legi nunc in Chronicis *Mariani Scoti*, *Sigeberti*, & nostri *Martini* Poloni, sicut & in Speculo Historiali nostri *Vincentii* Bellovacensis lib. 25. capit. 36. sed contendo, nullam illius fabulæ in antiquis MSS. horumce Authorum Codicibus haberi mentionem. At enim *Leo Allatius* in *confutatione fabulæ de Joanna Papissa ex monumentis Græcis* luculenter ostendit, hanc de *Joanna* Papissa fabulam non fuisse exaratam in sinceris *Mariani Scoti* Codicibus. Non extat etiam prædicta fabula in antiquis MSS. Codicibus *Sigeberti* Gemblacensis Abbatis, ut præcipue constat ex Autographo Cœnobii Gemblacensis, quod a *Mireo* editum est, & in quo tam putidæ fabulæ nec vola, nec vel minimum reperitur vestigium. Non extat etiam hæc fabula in antiquis MSS. nostri *Vincentii* Bellovacensis Codicibus, sicut clare colligitur ex nostro *Ptolomæo* Lucensi, qui post *Vincentium* Bellovacensem, *Marianum Scotum*, & *Sigebertum* scripsit. Ille quippe Historiam Ecclesiasticam, quæ adhuc in Bibliotheca Vaticana inedita asservatur, post annum millesimum trecentesimum duodecimum concinnavit, & lib. XVI. cap. VIII. de *Leone* IV. Summo Pontifice, cui fabulatores *Joannam* Papissam substituerunt, hæc scribit: *Omnes*, *quos legi*, *præter Martinum* (nostrum videlicet Polonum) *tradunt*, *post Leonem* IV. *fuisse Benedictum* III. *Martinus autem Polonus ponit Joannem Anglicum*. Unde perspicuum est, hanc Joannæ Papissæ fabulam non extitisse in antiquis MSS. Codicibus Vincentii Bellovacensis, Mariani Scoti, & Sigeberti. Alioqui Ptolomæus Lucensis non in uno solo Martino Polono, sed etiam in his mox laudatis Auctoribus, qui ante ipsum scripserunt, hanc de Joanna Papissa fabulam legisset, cum tamen aperte testetur *Ptolomæus Lucensis*, se in uno solo Martino Polono invenisse. Quin, multi sunt hujus temporis Viri eruditi, qui observant, ideo Ptolomæum Lucensem hanc de Joanna Papissa fabu-

fabulam in Martino Polono reperisse, quia ætate Ptolomæi Lucensis, Historia Ecclesiastica, quam adornavit Martinus Polonus, jam hac in parte fuit interpolata, & fabula de Joanna Papissa recens excogitata, in eam intrusa est. Quam certe fabulam nequaquam in Martino Polono offendisset Ptolomæus Lucensis, si sinceros illius Scriptoris Codices nactus fuisset. Testatur siquidem *Leo Allatius* loco superius memorato, extare in Bibliotheca Vaticana antiquissimum Martini Poloni exemplar, in quo post vitam Zeonis IV. nulla prorsus fit Joannæ Papissæ mentio. *Lambecius* etiam libr. II. Bibliothecæ Cæsareæ cap. VIII. testatur quatuor in ea Bibliotheca reperiri Codices MSS. *Martini* Poloni, in quibus fabulæ de *Joanna* Papissa nulla prorsus habetur mentio, indeque jure merito concludit, *Martinum* Polonum falso audire auctorem, vel approbatorem absurdissimi hujus Commenti, ejusque Chronicon nonnisi post illius mortem, quæ anno MCCLXXVIII. contigit, partim malitia Hæreticorum, partim nimia credulitate imperitorum, quorum animos pervulgata hæc de *Joanna* Papissa fabula animos occupaverat, ea labe fuisse infectum. Idem ex vetustis MSS. *Martini Poloni* Codicibus solide evincit eruditus noster *Echardus* in libro a se edito, cui titulus: *Summa Sancti Thomæ vindicata* pag. 567. & pag. 620. & sequentibus, ubi late probat, hanc fabulam de Joanna Papissa non reperiri in antiquis & melioris Notæ MSS. Codicibus Martini Poloni, quos ipse legit, & citat (*a*).

„ (*a*) Ut vera tamen fatear, in Codi-
„ ce Martini Poloni, quem servat Biblio-
„ theca Illustrissimi Capituli Cathedr. Eccles.
„ Lucensis, fabellam hanc de Joanna Papis-
„ sa sub dubio tamen a Martino assertam
„ reperi. Est autem Codex eodem sæculo
„ XIII. scriptus, quo & Martinus vixit, ut
„ patet ex Catalogo Roman. Pontif. eidem
„ adjuncto, in quo Pontificum nomina us-
„ que ad Nicolaum III. qui anno 1277. vi-
„ vebat. Eadem manu scripta leguntur; ce-
„ terorum vero quorumdam extant quidem,
„ sed altera manu antiqua, recentiori ta-
„ men quam quæ in toto Codice, adjecta
„ sunt.

Quantum attinet ad *Joannæ* Papissæ Statuam, quam inter cæteras Pontificias in Ecclesia Senensi vidisse se, testatur *Joannes Launojus* doctor Sorbonicus, fatentur Viri eruditi rem ita se habere. Illa etenim de *Joanna* Papissa fabula ita omnium animos pervaserat, ut ejus Statua inter cæteras Pontificias reposita sit in Ecclesia Senensi, quæ sub hæc novissima sæcula refecta, seu restaurata est. Legi nuperrime in *Musæo Italico* doctissimi Patris Mabill. Tom. I. part. 1. pag. 159. quod, dum ipse Senensem Ecclesiam inviseret, & non sine admiratione pavimentum marmoreis segmentis depictum, quale nusquam alibi invenitur, sicuti Statuas Indigenarum Pontificum, quæ in ea conspiciuntur, avidis oculis lustraret, hanc tamen fabulosæ Joannæ Statuam inter alias Pontificias nec vidit, nec quidquam de ea tum temporis rescire potuit. Sed postea suum natale solum, idest in Gallias reversus, didicit per literas ad se ab Abbate Jacobo *Mignanello* scriptas, hanc fabulosæ *Joannæ* Papissæ Statuam, quæ antehac inter alias Pontificias in Ecclesia Senensi visebatur, tandem sub Pontificatu Clement. VIII. cooperante cum Magno Etruriæ Duce ad *Baronii* preces Cardinali *Tarugio* Loci Archiepiscopo, fuisse non quidem penitus comminutam, sed, mutatis formæ muliebris lineamentis, ex fœmina, factam esse *Zachariæ* Pontificis figuram, apposito *Zachariæ* nomine, ne qua in posterum hac de re, ob servatam Statuæ memoriam suboriri posset suspicio. Porro, hæc fabulosæ *Joannæ* Papissæ Statua in figuram *Zachariæ* Pontificis immutata, perstitit in Ecclesia Senensi usque ad Pontificatum Alexandri VII. qui ex Urbe Senensi cum oriundus esset, prædictam Statuam ab Ecclesia omnino removeri jussit, sicut Cl. *Pagius*, qui an. 1677. per Urbem Senensem transivit, testatur in sua critica Baronii, se audivisse a viro jam ætate provecto, & probatæ fidei, qui locum, ubi antea erat illa Statua, ei indicavit, & operarium Ecclesiæ, aliosque ad rem exequendam adhibitos nominavit.

Denique, prorsus ineptum ac fictitium est quidquid de *Sella stercoraria* effutiunt Hæretici, ut Sedi Apostolicæ, quam cane pejus, & angue oderunt, possint hoc pacto aliquam infamiæ inurere notam. Hæc quippe *Sella stercoraria*, quæ etiamnum asservatur in Basilica Lateranensi, hoc vocabulum traxit, non ex forma (neque enim pertusa est, ut loco mox laudato optime observat *Mabillonius*, qui eam propriis oculis inspexit) sed ex versu Psalmi, qui, Pontifice recens electo in ea sedente, canebatur in Choro: *Suscitat de pulvere egenum, & de stercore erigit pauperem;* ut inde intelligeret electus Pontifex, se ex humili loco ad solium gloriæ, sola misericordia divina, fuisse provectum. Huic cæremoniæ consimilis est alia, quæ in memoriam brevi perituræ gloriæ mundi, in coronatione Pontificis nunc adhibetur, dum videlicet coram ipso e Sacrario, ad Altare pergente, stupa in arundinis apice consulto parata, comburi solet, illudque tritum acclamari: *Sancte Pater, sic transit gloria mundi*. Cæterum, ritus ille de *Sella stercoraria*, qui ad altius insinuandam novo Pontifici humilitatem, primum inductus fuerat, post receptam apud nimium credulos de Pseudo-Papissa fabulam, ita infamis evasit, ut ob hoc Commentum fuerit penitus abrogatus, quod sæculo superiore, post Leonem X. Pont. Max. factum fuisse autumat *Mabillonius*.

D. Placet mihi admodum hæc historica *Joannæ* Papissæ fabulæ confutatio, Sed redeamus modo ad id, unde digressi sumus, nimirum

rum ad Pontificatum *Nicolai* hujus nominis Primi, quam Benedicto III. successisse, & die XXIV. mensis Aprilis anni DCCCLVIII. Romanum Pontificem fuisse consecratum, jam observasti.

M. *Nicolaus* hujus nominis I. *Theodori* Civis Romani filius, multa in Pontificatu gessit pro fide, pro Ecclesiastica unitate, pro Disciplinæ conversatione, ac restauratione. Causæ S. *Ignatii* Patriarchæ Constantinopolitani, & *Photii* ejusdem Sedis invasoris cognitionem suscepit, illiusque exauctorationem, ac illius intrusionem vehementer improbavit, atque irritas declaravit, ut mox fusius explicabimus, agendo de Sancto *Ignatio*, & de *Photio*. Joannem Ravennatem Archiepiscopum jura Sedis Apostolicæ violantem, atque Romani Pontificis Synodo se se sistere detrectantem, excommunicationis fulmine perculit Nicolaus Primus. *Balduinum* Flandriæ Comitem, qui *Juditham* Caroli Calvi Galliarum Regis filiam sibi rapuerat uxorem, & ob id a Gallicanis Episcopis fuerat excommunicatus, *Carolo Calvo*, & *Hermintrudi* Reginæ ejus uxori reconciliavit, obtinuitque, ut nuptias legitimas inter dictum *Balduinum*, & *Juditham* conjungi sinerent. *Lothario* Regi jussit, ut, ejecta *Waldrada* pellice, *Theutbergam* legitimam conjugem suam in Palatium, thorumque reciperet, atque uxorem, ac Reginam haberet. *Engeltrudem* Comitis *Bosonis* uxorem, quæ, viro relicto, hac, illac vagabatur, cum omnibus ejus fautoribus anathemate confixit. *Paulum* Populoniensem, & *Formosum* Portuensem Episcopos misit Legatos ad *Bulgaros*, ut eis recens ad Christianam fidem conversis Evangelium prædicarent. Quin, & ipsemet Sanctissimus Pontifex hanc Bulgarorum gentem Christo nuper acquisitam sanctissimis præceptis instituit, & ad varia ipsius consulta perdocte respondit. Plures Urbis Ecclesias instauravit, Egenorum curam summa cum charitate gessit. Jejuniis, Vigiliis, & Orationibus vacabat, ut testatur *Anastasius* Bibliothecarius in ejus Vita. Tandem sanctitate conspicuus, postquam sedisset annos novem, menses sex, dies viginti, migravit ad Deum Nicolaus I. die XIII. mensis Novembris, anni DCCCLXVII. De Conciliis, quæ sub Nicolao I. in Galliis fuere celebrata, tam in causa *Lotharii* Regis, & *Theutbergæ* ejus conjugis, quam in causa *Rhotadi* Episcopi Suessionensis, & *Hincmari* Antistitis Laudunensis, qui sua Sede depositi, ad Nicolaum I. appellarunt, commodius in quarto Colloquio differemus.

Nicolao Primo Summo Pontifici successit *Hadrianus II.* patria Romanus, qui die decima quarta mensis Decembris ejusdem anni DCCCLXVII. summa omnium gratulatione Pontifex Maximus fuit ordinatus. Decessoris sui *Nicolai* vestigiis insistens Hadrianus II. *Photium* Sedis Constantinopolitanæ invasorem anathemate in Synodo Romana feriit, *Basilio* Orientis Imperatori impense per litteras gratulatus est, quod *Photium* expulisset, & *Ignatium* Sedis Constantinopolitanæ, e qua injuste deturbatus fuerat, restituisset. Præfuit Hadrianus II. per Legatos octavæ Synodo generali, in qua, ut late explicabimus in quarto Colloquio, e Sede Constantinopolitana dejecto Photio, eamdem Sedem recuperavit Sanctus *Ignatius* legitimus Patriarcha. *Lothario* Regi, ut *Theutbergam* Reginam, legitimam conjugem suam, in consortium reciperet, jussit; *Waldradam* tamen Lotarii pellicem, pœnitentiam simulantem, rogante *Ludovico* Imperatore, communioni restituit, ea lege, ut ad Lotharii societatem non rediret. *Lotharium* etiam Regem ficte asserentem, se omnia, quæ jusserat Nicolaus Papa, implevisse, & Waldradam pellicem suam ejecisse, Ecclesiasticæ itidem communioni restituit. *Carolum Calvum*, qui Lotharii in Italia mortui Regnum occupaverat, acriter per litteras increpuit, quod Regnum fratris sui, hæreditario jure ad *Ludovicum* Imperatorem devolutum, contra divinas, humanasque leges, per tyrannidem usurpasset. *Carolomanni*, qui a patre suo *Carolo Calvo* e Regni finibus expulsus, ad Sedem Apostolicam confugerat, patrocinium suscepit *Hadrianus* II. ob idque rogavit Carolum Calvum, ut filium suum Carolomannum in gratiam reciperet, & districte vetuit Episcopis Gallicanis, ne contra Carolomannum excommunicationis sententiam proferrent. *Hincmari* junioris Laudunensis Episcopi, in Synodo Duziacensi depositi, appellationem ad Sedem Apostolicam suscepit Hadrianus II. & alterum in ejus locum prohibuit ordinari Episcopum, donec illius causa, Romæ ad novum examen revocata, discussa, & finita fuisset. Obiit *Hadrianus II.* vitæ sanctitate illustris, anno DCCCLXXII. postquam sedisset annos quinque, sicut testatur *Guillelmus* Bibliothecarius, qui continuavit Historiam Pontificalem, quam *Anastasius* Bibliothecarius in *Nicolao*, hujus nominis primo, terminavit. Quanto tempore, post Hadriani II. Papæ obitum, vacaverit Sedes Pontificia, incompertum est. Convenit tamen inter omnes Historicos, Joannem VIII. genere Romanum XIX. Kalend. Januarii, seu die decima quarta mensis Decembris, ejusdem anni DCCCLXXII. fuisse Romanum Pontificem consecratum. In exordio Pontificatus sui Joannes VIII. coronavit *Carolum Calvum* Francorum Regem, eumque Imperatorem, & Augustum appellavit. Mortuo autem *Carolo Calvo*, in Gallias venit Summus ille Pontifex an. DCCCLXXVIII. ubi Synodum *Trecis* habuit, præsente *Ludovico Balbo* Francorum Rege, quem ipsemet Pontifex Maximus coronavit Regem, sed non Imperatorem. Multi post Cardinalem Baronium laudant quidem *Joannem VIII.* Summum Pontificem, quod *Formosum* Episcopum Portuensem, in Synodo Romana, justis de causis deposuerit, sed eum culpandum esse censent, quod *Photium* in Sedem Constantinopolitanam restituerit. Hinc putat Baronius *Joannem VIII.* ob nimiam suam facilitatem, & indulgentiam erga *Photium*, contumeliæ loco, *Papissam* vulgo dictum fuisse, sicque jactatæ fabulæ de *Joanna Papissa* locum dedisse. Verum, ut cordate fateat, hæc mihi non probatur Baronii conjectura, quæ nullo solido fulcitur argumento. Nam, qui hanc fabulam de *Joanna Papissa* excogitavit, non

non dixit: *Joannam Papissam* sub finem sæculi noni sedisse, sed asserit, eam Leoni IV. qui medio sæculo nono vixit, immediate successisse, quo fit, ut *Joannes VIII.* qui exeunte sæculo nono Sedem Romanam tenuit, locum huic fabulæ, de *Joanna Papissa*, dare haud potuerit. Prætérquam quod *Joanneni VIII.* excusatione dignum esse, dum Sancto Ignatio vita functo, consensit, ut *Photius* Sedem Constantinopolitanam retineret, censet eruditus *Petrus de Marca* lib. 3. *de Concord. Sacerd. & Imp.* cap. 14. In hanc quippe Photii in Sedem Constantinopolitanam restitutionem consensit tantum Summus ille Pontifex, ut bono Ecclesiæ consuleret, necessitati cedens, & rogatus a *Basilio* Imperatore Orientis, retulque auctoritate Summorum Pontificum *Leonis*, & *Gelasii*, qui in rerum angustiis, temperandas esse regulas, docent. Quocirca Joannem VIII. in hac Photii, in Sedem Constantinopolitanam, restitutione, a culpâ liberat *Basilii* Imperatoris, Patriarcharum Orientis, totiusque Synodi Orientalis consensus, quem prævie datum esse, idem Pontifex suis litteris significat, proferique ad confirmationem suæ sententiæ exempla *Athanasii*, *Chrysostomi*, & *Flaviani*, qui a Synodis depositi cum fuissent, a Sede Apostolica in integrum restituti sunt. Sedit Joannes VIII. annos decem, & dies duos, obiitque die decima quinta mensis Decembris, anni DCCCLXXXII. Plures, pro bono Ecclesiæ regimine, ad varios Episcopos litteras scripsit Summus ille Pontifex, quæ extant in Tom. III. Concil. Galliæ. Ea tamen, quæ nomine Joannis VIII. Papæ circumfertur Epistola, *contra Spiritus Sancti processionem a Filio*, & *additionem particulæ*, *Filioque*, *ad symbolum*, ipsi per calumniam afficta est. Perperam etiam *Platina*, in Vita S. Gregorii Magni, quatuor libros de Vita Sancti illius Pontificis adscripsit *Joanni VIII.* Papæ, quos potius certissime constat, tribuendos esse *Joanni* Diacono, qui Vitam S. Gregorii Magni Pontificis, quatuor libris comprehensam, jubente Joanne VIII. aggressus est, eique nuncupavit. In locum demortui Joannis VIII. Papæ, post paucos, ab ejus obitu, dies, suffectus est *Marinus* ex Gallesio Faleriorum; in Etruria ortus. Vir fuit multis virtutibus, & tribus Legationibus, quas Constantinopolim profectus sub tribus Summis Pontificibus *Nicolao I. Hadriano II.* & *Joanne VIII.* magna cum laude obiit, Clarissimus. Hanc supremam Ecclesiæ dignitatem ut primum assecutus est *Marinus*, damnavit, & ab Ecclesiæ communione removit *Photium*. Indulgentiorem tamen se præbuit idem Pontifex erga *Formosum* Portuensem Episcopum, quem Sede sua a Joanne Octavo dejectum in pristinum statum restituit, eumque, ut testatur *Auxilius* Scriptor coævus lib. 2. *de Ordinationibus Formosi*, capite vigesimo, absolvit a juramento, quo invitus Joanni octavo promiserat, se in Laica communione perpetuo mansurum. Sedit *Marinus* annum unum, & menses quinque, obiitque die incerto mensis Maji, an. DCCCLXXXIV. Eodem mense, quo mortuus est *Marinus*, creatus est Pontifex Romanus *Hadrianus* hujus nominis III. patria Romanus, qui Decessoris sui constantiam imitatus, *Photium* communione privavit, nec precibus *Basilii* Orientis Imperatoris flecti unquam potuit. Brevis admodum fuit illius Pontificatus. Invitatus siquidem a *Carolo Crasso* Imperatore, ut in Gallias veniret, cum jam ad medium itineris spatium pervenisset, celeri infirmitate correptus, obiit in Cœnobio Monachorum Nonantulensium, an. DCCCLXXXV. postquam sedisset annum unum, & menses quatuor, ut habent plerique Codices. Ei successit *Stephanus VI.* qui Romæ ex illustri prosapia oriundus, & omni virtutum genere præditus, hanc summam dignitatem promeritus est. Cum primum Stephanus Sextus Pontifex Romanus fuit inauguratus, paterna bona, larga manu, in pauperes effudit, etiamsi Patriarchium Lateranense expilatum invenisset, ob inolitam, videlicet, pessimam consuetudinem, qua post obitum Pontificis universa Palatii Apostolici supellex diripi solebat. Locustas agrum Romanum depascentes aqua benedicta expulit Sanctus ille Pontifex. Pluviam quæ jam pridem fluere desierat, precibus suis impetravit. Ministros vitæ probitate, & sapientia conspicuos, in Concilium adhibuit. *Photium* Pseudo-Patriarcham Constantinopolitanum, ceu Laicum, & ab Ecclesia damnatum, execratus est. Ordinandis Ecclesiis, alendis orphanis, redimendis captivis, sublevandis egenis, & infirmis, omnia bona sua impendit. Orationem habuit in Maleficos, qui gentium more Dæmones consulebant. Acriter etiam in eadem Oratione invehitur in eos, qui immodestia, & confabulationibus Sacra Templa maximo dedecore afficiebant, ut videre est apud *Guillelmum* Bibliothecarium in ejus Vita. Obiit Sanctus ille Pontifex anno 891. cum sex annos in Petri Cathedra sedisset. Post mortem Stephani Sexti, Ecclesia ab his Pontificibus Romanis, qui sub finem noni sæculi, totoque durante sæculo decimo, Apostolicam Sedem tenuerunt, magnam labem passa est. At enim (ut verbis utar doctissimi *Mabillonii*, in Præfatione ad sæculum V. Benedictinum) ad id temporis Sedem Apostolicam tenuerunt plerique piissimi Pontifices, nec quisquam fere omnium ejus sanctitatem antea, majestatemque temeraverat, quin humana, si qua ipsis excidissent, errata, illustri pœnitentiæ exemplo diluissent. Inviolabilis apud eos erat Canonum Sacrorum auctoritas, qua suam ipsi potestatem ultro moderabantur. Et ne longius exempla sumamus, ita sæculo nono vixerunt, post Leonem III. ejusque successores piissimos *Nicolaus primus* re, & nomine Magnus, Hadrianus II. & Stephanus VI. *Sed o lugenda Roma*, inquit *Arnulphus* Aurelianensis Antistes apud *Gerbertum*, in Actis Synodi Remensis, *quæ nostris Majoribus clara Patrum lumina præbuisti*, *nostris temporibus monstruosas tenebras*, *futuro sæculo famosas*, *offudisti*. *A Formoso* Romano Pontifice incepit mali labes, sive is causa fuerit, sive occasio. Nempe hic Portuensis primum Episcopus, a Joanne VIII. in ordinem redactus est in Synodo Romana, interposito juramento, se in Laica Communione perpetuo

permansurum. Hujus exauctorationis causæ fuerunt tres. Prima, quod a Nicolao Primo in Bulgariam missus, Bulgarorum Regem Sacramento obstrinxisset, ne alium Episcopum, ipso superstite, a Sede Apostolica susciperet. Deinde, quod contra præscripta Canonum, per ambitum, ab Ecclesia Portuensi, cujus erat Episcopus, ad Romanam Sedem prosilire conatus esset. Postremo, quod, inconsulto Summo Pontifice, propriam deseruisset Ecclesiam, & relicta Urbe, contra Reipublicæ, & Imperii salutem, cum suis fautoribus conspirasse videretur. *Marinus* Pontifex, ut jam observavimus, a depositione, & juramento absolvit *Formosum*, qui post Stephanum VI. in supremum illum Thronum sublimatus est, primusque translationis exemplum in illa Sede præbuit.

D. Quo anno *Formosus* creatus est Pontifex Romanus, & quo pacto se se in Pontificatu gessit?

M. Eodem mense, & anno, quo Stephanus VI. e vivis sublatus est, hoc est mense Majo, anni DCCCXCI. *Formosus* Portuensis Episcopus electus, & consecratus est Pontifex Romanus. Tentavit quidem *Sergius* S. R. E. Diaconus Pontificatum invadere, sed illius Factio statim concidit, & *Formosi* pars superior evasit, ac Sergium expulit, teste *Luitprando*. Inauguratus Pontifex *Formosus* condemnationem Photii Pseudo-Patriarchæ Constantinopolitani confirmavit. Episcopos, ac Presbyteros a *Photio* ordinatos, ea tantum lege in communionem recepit, ut libellis supplicibus oblatis, se errasse faterentur, & pœnitentiam obirent. Scripsit ad Episcopos Angliæ, & Ecclesiæ Anglicanæ, quæ ob frequentes Danorum incursiones, Episcopis destituta, ad Gentilitatem pene reciderat, sedulo providit. Pro *Caroli Simplicis*, adhuc pueri, ad Regimen Francorum provectione, literas dedit ad *Odonem* Comitem, qui Regium nomen, & supremam potestatem usurpaverat, eumque monuit, ut *Carolum Simplicem* legitimum Gallorum Regem, bello desineret lacessere, donec *Fulco* Remensis Archiepiscopus, qui *Caroli Simplicis* jus tuebatur, Sedem Apostolicam audiisset. *Widonem*, & filium ejus *Lambertum* Italiæ Reges, Romæ unxit, & coronavit *Formosus* Papa. *Arnulphum* Germaniæ Regem, Romam accivit, ut Sedem Apostolicam a tyrannide Principum, qui Italiam bellis infestabant, liberaret, eumque Romæ Imperatorem coronavit. Sedit *Formosus* Papa annos quatuor, & menses septem, obiitque anno DCCCXCVI. ipso die Paschatis, quod hoc anno incidit in diem quartum Aprilis, ut testatur *Hermanus Contractus*, in Chronico juxta editionem Canisianam. *Formosum* Papam fuisse religionis integritate, divinarumque Scripturarum scientia clarissimum, testatur Luitprandus Auctor coævus lib. I. Hist. cap. VIII. (*a*) Nihilo secius in *Formosum* vita functum, atrociter sæviit ejus, in Sede Romana, successor *Stephanus* hujus nominis *Septimus*. Quippe qui mortuum *Formosum* decessorem suum, exhumari jussit, in judicium vocavit, & in Cathedra Pontificia Sacerdotalibus indumentis ornatum collocavit, atque his verbis, quasi adhuc viventem compellavit: *Cum Portuensis esses Episcopus, cur ambitionis spiritu, Romanam universalem Sedem usurpasti?* Quod dicto, Cadaver *Formosi*, sacris vestibus exutum, tribus abscissis digitis, in Tyberim jactari præcepit. Hanc pessimam, quæ *Formoso* Papæ, post mortem obtigit, fortunam, jure merito deplorat *Auxilius* hujus temporis Scriptor Gallus, in libello, quem edidit *super causa, & negotio Formosi Papæ*, per modum Dialogi scripto, ubi hæc habet: *Is est profecto ille*, seu Formosus Papa, *qui in omni vita sua, tantæ gravitatis forma extitit, ut vinum non biberet, carnis gustum nesciret, fœmineæ copulæ expers, octogenarius virgineum corpus suum hominem exuens, terræ commendaret. Iste etiam gentes Bulgarorum, vitam sanctitatis prædicatione confirmans, ut verus Apostolicus, ad fidem adducit. Et cum tanta probitate prædicans toti mundo, ut alter Lucifer illuxisset, vim passus in Sepulcbro, busta diruta, ossa fracta, uti quoddam memphiticum, ejectus est extra publicum; Cui tanto viro examinato ut aurum, nihil juvare potuere scholæ clamantes: O parcite sepulto! est nullum cum mortuis certamen: Sed fuit in eo* (seu Stephano VII.) *licitum, quod libitum. Neque enim ipsis Apostolis datum est de mortuis præjudicare.* Hunc libellum, in quo per modum Dialogi, *Auxilius* Formosum Papam defendit, ex MS. Codice Fiscamnensi erutum, publicavit doctissimus *Mabillonius*.

„ (*a*) Non est cur prætercam aliquid, quod „ forte plures laret, cum tantummodo innotuerit „ ex Epistola P. Ruinarti de MS. quodam codice „ apud Carmelitas Excalceatos Sangermanenses; „ qui sane MS. Codex exhibet carmen Flodoardi de Romanis Pontificibus. Tradit igitur V. „ Cl. agi ibi fusius de rebus gestis a Formoso, „ ibique inter cætera legi, Carolum Simplicem „ Francorum Regem petiisse ab eo Eulogias, nempe *panem Benedictum*. Vide hanc epistolam recitatam a Fabricio *in Biblioth. Medii Ævi v. Flodoardus*.

D. Hic Stephanus VII. qui *Formosi* manibus tum tanta ignominia insultavit, fuitne immediatus illius in Sede Apostolica successor?

M. Mortuo, ut jam diximus, *Formoso* Papa die IV. Aprilis anni DCCCXCVI. *Bonifacius* hujus nominis *Sextus* Sedem Romanam malis artibus invasit, quam, teste *Flodoardo*, dies tantum XV. tenuit. Vir fuit sceleratus, bis depositus, Diaconatu, & Presbyteratu exauctoratus, cujus Antipapæ memoriam damnavit postea Romana, sub Joanne IX. Papa, Synodus. Hunc Antipapam Bonifacium expulit Stephanus Septimus intrusum videlicet intrusus, sed, accedente Cleri consensu, legitimus deinde Pontifex habitus, ne schismate Ecclesia scinderet. Is est *Stephanus* Papa, qui non solum, ut jam observavimus, cadaver *Formosi* decessoris sui in Tyberim projici jussit, sed etiam omnes ordinationes ab illo factas nullas, & irritas declaravit, voluitque, ut ii omnes iterum ordinarentur, quos *Formosus* ad sacros gradus promoverat.

D. Hæc tria Sacramenta, *Baptismus* videlicet *Confirmatio*, & *Ordo*, ut sæpius audivi, imprimi-

primunt characterem, ac subinde iterari non debent. Qui potuit igitur *Stephanus VII.* præcipere, ut ii omnes iterum ordinarentur, quos *Formosus* Papa ad Sacros Ordines provexerat?

M. Theologi, ad excusandum Stephanum Septimum Romanum Pontificem, duabus viis insistunt. Aliqui fatentur, Stephanum Papam hac in causa omni proculdubio errasse, sed ipsius errorem fuisse *conversationis*, non *prædicationis*. Nullo enim modo ad fidem spectabat, quæ de *Formosi* Papæ Ordinationibus id temporis mota est disceptatio. Sed circa duo tantum Capita versabatur, quæ hominum opinationibus erant obnoxia. Primum erat, an *Formosus*, qui depositus fuerat, & contra Canonem decimum sextum Concilii Nicæni Sedem Episcopalem mutaverat, ad Pontificiam dignitatem fuisset canonice promotus? Alterum, an Episcopus depositus, & degradatus valide Sacros Ordines conferre posset? Quæ postrema quæstio tum temporis necdum plane eliquata, & Ecclesiæ disciplinam dumtaxat spectare plerisque videbatur. Hinc alii *Formosi* Papæ Ordinationes validas esse defendebant, alii ex adverso, quorum opinionem sequutus est Stephanus Septimus, eas invalidas, & irritas omnino esse, autumabant. Nec mirum sane cuiquam videri debet, quod ea ætate Theologi de hac quæstione in utramque partem salva, & inculpata fide, altercari potuerint, cum etiam hacce tempestate doctissimus Pater *Joannes Morinus* Congregat. Orat. Presbyter tam in suo libro *de Ordinatione*, quam in Opere posthumo *de Sacramento Confirmationis*, quamvis ultro fateatur, de fide quidem esse, Sacramenta Confirmationis, & Ordinationis, quæ a Catholicis Episcopis conferuntur, imprimere characterem, eaque subinde iterari haud posse; docet attamen, Sacramenta Confirmationis, & Ordinationis, quæ ab Episcopis Hæreticis, Schismaticis, & degradatis administrantur, non imprimere characterem, eaque fuisse in Ecclesia sæpius iterata, ex multis antiquitatis Ecclesiasticæ Monumentis evincit. Quæ sententia licet communis non sit apud Theologos, nulla tamen censura fuit hactenus ab Ecclesia Catholica inusta, sed potius arbitrio, & disputationibus Theologorum permittitur. Verum, si hæc tibi non probetur responsio, aliam ad excusandum Stephanum Septimum tibi suppeditabo, quæ apud Theologos pervulgata est, videlicet Stephanum Septimum Papam non præcepisse, ut hi, qui a Formoso Pontifice fuerant ordinati, iterum ordinarentur, sed eum dumtaxat voluisse, ut piæ quædam adhiberentur cæremoniæ, per quas hi, quos Sacris Ordinibus initiaverat *Formosus* Papa, quosque ob id a suorum Ordinum exercitio suspensos declaraverat *Stephanus Septimus*, conferretur potestas non quidem valide, sed licite tantum Ordines, ad quos promoti erant, exercendi. Sed de *Formosi* Papæ Ordinationibus legendus est *Auxilius* Scriptor coætaneus, qui duobus libellis *Formosi* Ordinationes validas esse, acriter defendit; easque absque piaculo in irritum mitti non posse, multis probat. Legi potest etiam *Gaspar Juenimus* Congreg. Oratorii Presbyter in suo *Commentario Historico-Dogmatico de Sacramentis* Tomo 2. ubi late contra *Joannem Morinum* ostendit, non solum *Formosi* Papæ Ordinationes, sed nec alias factas ab Episcopis etiam Hæreticis, Schismaticis, & degradatis fuisse unquam in Ecclesia iteratas. (*a*)

„ (*a*) Utcunque res sese habuerit, certum „ profecto, assertumque mihi est, Ordinationes „ Formosi a Stephano VII. irritas judicatas fuisse ac nullas, ut ex libellis Auxilii apertissime „ constat; asserit enim scriptor ille Ordinationes „ Formosi ita abrogatas esse a Stephano, ut judicarit nova ordinatione opus fuisse initiatis „ a Formoso, ut munus sacrum implere possent. „ Insuper id plane elucet ex verbis *Insimulatoris*, „ nempe illius, qui contra Ordinationes Formosi adversarii personam induit apud eundem Auxilium; ait enim: Formosus *quod non habuit dare non potuit*, cui defensor earum Ordinationum reponit: *dicis de potestate, non habuit, aut de actu?* Cui aliter: *de utroque. Neutrum sine altero stat; si enim perdidit officium, officium non habet; quod si non habet, jam dare minime potest. Perdidit quidem officium ubi amisit potestatem*. Et inferius defensor earum Ordinationum subjungit, & expendit argumentum de Baptismo, quod semper perseverat etsi baptizatus excommunicetur; tum concludens „ addit: *quod si unum donum per Spiritum Sanctum datum nullatenus potest evacuari, quomodo dicis aliud simile donum* (in Ordinatione collatum) *posse pelli?* Hic profecto non de innovatione cæremoniarum tantummodo, sed „ & de ipsa Ordinatione agi compertum est, „ quod etiam multo clarius inferius explicatur „ illis verbis: *unde apparet quia sicut baptizatus rebaptizari non potest, sic sacratus resacrari non potest*.

D. Exhibuistine integram seriem Pontificum, qui nono sæculo Ecclesiam Romanam gubernarunt?

M. Necdum integram exhibui, sed eam modo paucis absolvo. *Stephanus Septimus*, ut mox diximus, mortuo *Formoso* Papa, Pontificatum obtinuit anno DCCCXCVI. & postquam sedisset annum unum, mensem unum, & dies aliquot, in carcerem detrusus est, ubi strangulatus periit anno DCCCXCVII. sicut probat *Pagius* contra Baronium, qui mortem Stephani Septimi illigat anno nongentesimo. Ab hoc Pontifice deturpatam fuisse Petri Sedem; testatur Baronius ad annum DCCCXCVII. num. x. his verbis: *Stephanum non auderem inter Romanos Pontifices numerare, nisi id factum a majoribus invenissem, utpote tanto indignum nomine, qui primus, & solus nefando, & inaudito sacrilegio, Petri Sedem adeo deturpavit &c.*

Sublato e vivis Stephano Septimo, *Romanus* patria Galesianus, Constantini filius, creatus, & ordinatus est Pontifex Maximus, qui, teste *Platina*,

na, Acta decessoris sui Stephani Septimi, contra *Formosum* rescidit, seditque quatuor dumtaxat menses, & obiit anno DCCCXCVIII. non vero, ut ait Baronius, anno nongentesimo primo. *Romano* in Sede Pontificia successit *Theodorus* hujus nominis *Secundus*, patria Romanus, qui dies tantum viginti Pontificatum tenuit. *Formosi* memoriam vindicavit, & Acta restituit, atque eodem anno DCCCXCVIII. e vivis excessit. In Theodori Papæ locum subrogatus est *Joannes* IX. patria Tiburtinus, qui circa medium Julium an. DCCCXCVIII. Pontifex Romanus consecratus est juxta accuratiorem Clarissimi Pagii calculum. Acta Pseudo-Synodi Romanæ a Stephano Septimo habitæ contra *Formosum* infirmavit, ac nulla esse declaravit Joannes IX. Tria etiam Concilia, teste *Flodoardo*, convocavit, ex quibus duo tantum nunc supersunt, *Romanum* scilicet, & *Ravennatense*, de quibus in quarto Colloquio opportunior differendi se se dabit occasio. Demum, Joannes IX. postquam sedisset annos duos, & dies quindecim, ut in variis Catalogis legitur, vita functus est, circa initium mensis Augusti anni nongentesimi, ut videre est apud citatum *Pagium* in sua Critica Baronii ad hunc annum, ubi diserte ostendit, corrigendum esse Baronium, qui mortem Joannis IX. consignat anno nongentesimo quinto, eique annos tres, & dies quindecim Pontificatus assignat. Sed hactenus satis de Pontificibus, qui nono Ecclesiæ sæculo Sedem Romanam tenuerunt.

D. Seriem Episcoporum, qui nono Ecclesiæ sæculo Sedes Alexandrinam, Antiochenam, & Hierosolymitanam occuparunt, scire profecto non moror, quia illis Ecclesiis, sicut in præcedentibus Colloquiis ostendisti, jam a septimo sæculo Saracenorum tyrannide oppressis, præfuerunt Hæretici, præsertim *Jacobitæ*, quorum Catalogum, prætermissis omnino Patriarchis Orthodoxis, descriptum dumtaxat habemus a quibusdam Scriptoribus Arabibus, quos mihi olim indicasti, Eutychiana hæresi infectis. Missis ergo illis Pseudo-Episcopis, qui sub Saracenorum tyrannide Sedes Alexandrinam, Antiochenam, & Hierosolymitanam tenuerunt, seriem Episcoporum, qui nono sæculo Ecclesiam Constantinopolitanam rexerunt, perdiscere cupio.

M. Seriem Episcoporum Ecclesiæ Constantinopolitanæ perducens in superioribus nostris Colloquiis, usque ad *Tarasium* Patriarcham sanctissimum, & egregium sacrarum Imaginum defensorem, qui postquam Ecclesiam Constantinopolitanam rexisset annos viginti duos, obiit anno DCCCVI. In locum demortui Tarasii suffectus est *Nicephorus*, qui a pueritia ingenuis studiis deditus fuit, Grammaticis scilicet, Poeticis, Rhetoricis, Mathematicis, aliisque Philosophicis disciplinis, cum quibus etiam rerum Theologicarum scientiam copulavit. Ad ætatem virilem postea provectus, Vitam Aulicam aliquandiu peregit, quam paulo post multis molestiarum, & vanitatum generibus obnoxiam expertus, deposito Secretarii munere, quo apud Imperatricem *Irenem*, ejusque filium *Constantinum* defungebatur, vitam solitariam, in Monasterio a se constituto amplexus est, ex quo tamen ægre avulsus ad thronum Constantinopolitanum invitus fuit sublimatus, sicut ipsemet testatur in Epistola ad *Leonem tertium* Romanum Pontificem, his verbis: *ad hanc Episcopalem Sedem invitus multumque reclamans* (*testis est mihi Deus*) *provectus*, *& tyrannide potius quam consulto*, *aut ulla omnino persuasione aliis gubernandis præfectus sum*. Patriatcha Constantinopolitanus inauguratus *Nicephorus* die XII. mensis Aprilis anni DCCCVI. vestigia decessoris sui *Tarasii* in defensione sacrarum Imaginum pressit, ab ejus tamen communione *Theodorus* Studita cum aliis Sanctis Monachis se separarunt, eo quod Nicephorus adulterium *Constantini* Imperatoris, qui legitima conjuge sua dimissa, cum *Theodote* pellice illicitas nuptias inierat, in Concilio Episcoporum, Constantinopoli congregato, approbare visus esset, & *Josephum* Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Œconomum, hujus illiciti matrimonii copulatorem, restituisset in Sacerdotium, quo *Tarasius* Patriarcha Nicephori decessor illum ob eam rem amoverat. Sed in hoc excusandus est Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus, quippe qui necessaria indulgentia usus est, & Imperatori Constantino resistendum non duxit, ne Religionem Catholicam in discrimen adduceret. Certe, negari non potest, *Tarasium* decessorem Nicephori temperamento etiam, & indulgentia usum fuisse in reprobando illicito illo matrimonio, quod *Constantinus* Imperator, legitima repudiata uxore sua, contraxit cum *Theodote* pellice. Quamvis enim *Tarasius* has illicitas nuptias jure merito reprobaverit, se tamen a communione ejusdem Imperatoris non segregavit. Qua in re *Baronius* ad annum DCCXCV. eum excusat his verbis: *Gravis angustia premebat animum Patriarchæ*, *cum vereretur ne nimis exasperando animum Imperatoris*, *& ab Ecclesia removendo*, *eum faceret fidei Catholicæ desertorem*. *Adhuc recentia Ecclesiæ vulnera*, *& vix obducta erant per Concilium ejus opera celebratum Nicææ*, *adversus Iconomachos*. *Adhuc vigebant hostes Ecclesiæ*: *erat ipse adolescens animo mobilis*, *& instabilis*, *& hæreticorum mala propago*, *persacilisque*, *ut levi flatu in hæresim preceps impelleretur*: *hæc*, *inquam*, *& alia hujusmodi alto mentis consilio versans Tarasius*, *sic erroris redarguere voluit Imperatorem*, *ut tamen eum licet pœna illa dignum noluerit ab Ecclesia separare*. Sicut igitur Baronius excusat merito *Tarasium*, qui in reprobandis illicitis Constantini Imperatoris nuptiis, tempestiva indulgentia, justoque temperamento usus est; sic pari jure excusandus est *Nicephorus* in Sede Constantinopolitana Tarasii successor, qui metuens, ne *Constantinus* Imperator Ecclesiam perturbaret, & sus deque verteret, necessario temperamento eum emollire studuit, & *Josephum* adulterinarum licet nuptiarum copulatorem, Presbyteri gradu depositum, in priorem statum restituit. Hunc in modum *Ignatius* Diaconus, deinde Nicææ Metropolitanus, Vitæ Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani Scriptor, eum excusat in narratione de *Theodoro* Studi-

Studita, quam doctissimus noster *Combefisius* accepit a *Leone Allatio*. Novem annos Ecclesiam Constantinopolitanam rexit Nicephorus, sed cum sacrarum Imaginum cultum strenue propugnaret, a *Leone Armeno* Imperatore, qui in omnes Imaginum Cultores immaniter saeviebat, in exilium, ann. DCCCXV. ablegatus est, ubi quatuordecim annos cum transegisset, ab hac mortali vita, migravit ad immortalem, anno DCCCXXVIII. Colitur Nicephorus in Menaeis Graecorum ad diem secundam mensis Martii, multaque etiamnum extant egregie ab eo edita Opera, quae in quinto Colloquio recensebimus.

Post Nicephorum in exilium, jussu *Leonis Armeni* Imperatoris, anno DCCCXV. deportatum, *Theodorus*, dictus *Cassitera*, in Sedem Constantinopolitanam eodem anno intrusus est, qui sacrarum Imaginum Cultores persequutus est, & Iconoclastarum Haeresim, qua erat infectus, impense fovit, obiitque anno DCCCXXI. postquam per annos sex Patriarcharum Constantipolitanum male gessisset. In ejus locum statim Iconoclastae subrogarunt *Antonium* Sylaei Pamphyliae Civitatis Metropolitam, qui *Cassimatas* cognominatus est. Is est ille *Antonius*, cui anno DCCCXIV. *Leo Armenus* Imperator Iconoclasta Sedem Patriarchalem Constantinopolitanam promiserat, si suscepti consilii, omnem Imaginum memoriam abolendi, adjutor esse vellet ac promotor. Quod quidem promptissime facturum se cum promisisset *Antonius* Sylaei Metropolita, & venerandas Imagines Idola esse, sacrilego ore obganniret, Sanctus Nicephorus tum temporis Patriarcha Constantinopolitanus, collecta CCLXX. Patrum Synodo, una quoque congregata Sacerdotum, ac Monachorum Urbis Augustae multitudine, Antonium Sylaei Metropolitam, tamquam Haereticum, anathemate perculit, & Christi hostem declaravit. Verum, Iconoclastae post Theodori Pseudo-Patriarchae Costantinopolitani mortem, quae, ut mox diximus, contigit anno DCCCXXI. praedictum *Antonium* Sylaei Metropolitam eorum Haeresi addictissimum, in illius locum substituerunt. Quam Sedem ab anno DCCCXXI. usque ad annum DCCCXXXII. quo mortuus est, hoc est per XII. annos intrusus ille Pseudo-Patriarcha *Antonius* occupavit. Huic Antonio in Sede Constantinopolitana successit *Joannes*, seu *Jannes* Iconoclasta nequissimus, quem Symeon Metaphraste, dictus *Logotheta*, sic recte depingit: *Homo praestigiis, inquit, divinationibus ex pelvi, omnique impietate immanissimus: Et vero idoneum Organum Regiae impietatis inventus, collata cum eo opera, quae ad interitum existant, propense omnia executus est: quem parturiebat (occultabat tamen) impietatis basiliscum Imperator* (seu Theophilus Michaelis filius) *edidit, peperitque, promulgato Edicto, quo sacras Imagines aboleri juberet*. In libello Synodico mentio fit Pseudo-Synodi Constantinopoli in Blachernis, jubente Theophilo Imperatore, ab isto praestigiatore celebratae: *Theophilus*, sic legitur in eo libello Synodico, *Imperium adeptus, mortuo Antonio, Joannem, qui pelvi inspecta divinare soleret, solio praefecit, & maximam adversus pios persecutionem commovit, ac impiam in Blachernis Synodum congregans, adoratores sacrarum Imaginum anathemati subjecit*. At mortuo Theophilo, & imperante Michaele ejus filio, una cum ejus matre *Theodora* religiosissima foemina, cum *Joannes* Pseudo-Patriarcha Constantinopolitanus in sua Iconoclastarum Haeresi, obfirmato animo permaneret, e Sede Constantinopolitana, quam invaserat, dejectus, ac relegatus est, an. DCCCXLII. postquam sedisset annos integros novem ut legitur in continuatione Chronici Nicephori. Amoto *Joanne* e Sede Constantinopolitana, in ejus locum inducitur, teste Constantino Porphyrogenita, *is, qui multis laboribus, atque aerumnis integram ac illibatam virtutem conservaverat, ac ex diuturno, ut par est, carceris paedore, atque foetore pili defluxerant, quanquam ei Dei nutu, ac Theodorae Augustae assensu Ecclesiae gubernatio clavusque debebatur, Magnus scilicet invictusque Ecclesiae defensor Methodius*. Sub hoc Sanctissimo Patriarcha Constantinopolitano Methodio, sacris Imaginibus debita veneratio restituta est, Episcopi, & Monachi, quos *Theophilus* Imperator in exilium miserat, revocati sunt, Ecclesia suum ornatum recepit, septem Synodi Oecumenicae fuerunt approbatae, & proscripti, toto terrarum Orbe, cuncti Haeretici. Corpus Sancti *Theodori* Studitarum Monasterii praepositi, & sacrarum Imaginum defensoris acerrimi, qui e vita migravit anno DCCCXXVI. Constantinopolim transtulit *Methodius* Patriarcha Constantinopolitanus, anno DCCCXLIV. & anno sequenti, anouente Imperatrice Theodora, Corpus S. Nicephori olim Patriarchae Constantinopolitani, qui pro gloriosae, sincereque fidei defensione sua Sede depulsus, in exilio obierat anno 828. e tumulo retexit, quod, teste Theophane, *undeviginti annorum spatio integrum omnino, putumque remanserat*, & illud transtulit Constantinopolim in celeberrimum Apostolorum Templum. Denique, postquam S. *Methodius* Ecclesiam Constantinopolitanam per quadriennium optime, sanctissimeque rexisset, ad Deum, sempiterna potiturus pace, abiit anno DCCCXLVI. Multa Opera scripsit Sanctus *Methodius*, quae opportunius in quinto Colloquio referemus, atque juxta Criticès artis regulas accurate examinabimus. Defuncto Sancto *Methodio*, suffectus est in Sede Constantinopolitana, Sanctus *Ignatius* Imperatoris Michaelis filius, qui fidei sinceritate, ac morum commendatione hanc Sedem maxime illustravit. In *Gregorium* cognomento *Asbestam*, Episcopum Syracusanum, in Sicilia, sententiam tulit in Synodo, quam Constantinopoli celebravit, eumque Episcopatu deposuit, quam depositionem *Benedictus Tertius* Summus Pontifex ratam habuit, & Sancti Ignatii sententiam confirmavit. At *Gregorius* aegre admodum ferens, se Episcopali Sede fuisse dejectum, auctoritate *Bardae* fratris *Theodorae* Augustae fretus, malis artibus effecit, ut Sanctus Ignatius e Sede Constantinopolitana extruderetur, & in ejus locum *Photius* substitueretur. Quo pacto autem id acciderit, breviter hic enarrabo. *Bardas*

das frater *Theodorae* Augustae, & avunculus Imperatoris *Michaelis*, aestu ambitionis abreptus, persuasit nepoti suo Michaeli Imperatori, ut *Theodoram* Augustam Matrem rerum gubernaculo ablegaret, eamque artonsam Monasterio includeret. Huic tam perverso consilio assentienre Imperatore, tantam ex *Michaelis* vecordia fiduciam sumpsit sceleslissimus *Bardas*, ut omnem Imperii potestatem in se unum transtulerit, nihilque intentatum relinqueret, quo Sanctum Ignatium, quem infensissimo odio prosequebatur, e Solio Patriarchali deturbaret. Porro, duplici potissimum de causa *Bardas* in S. Ignatium infensum gerebat animum. Primo, quia a Sanctissimo illo Patriarcha saepius fuerat admonitus, ut stupri consuetudine, quam cum propria nuru, gravi omnium scandalo, & offensione habebat, tandem aliquando desisteret; seque ad Sacram Synaxim, solemni Epiphaniorum die accedere ausum, Sanctus Ignatius pro pastorali suo officio palam repulisset, & ad sinceram poenitentiam, ob tam enorme crimen, juxta rigorem Canonum peragendam, intrepido animo vehementer fuisset adhortatus. Secundo, quia S. *Ignatius* jussionem Imperatoris, qui suasu *Bardae* ei mandaverat, ut *Theodoram* Augustam attonderet licet invitam, recluderetque Monasterio, exequi, & ut rem prorsus indignam, iniquam, legibusque Ecclesiae adversantem, praestare, constanter recusaverat. Hinc *Bardas* vindictae cupidus occasionem arripuit S. *Ignatium* apud *Michaelem* Imperatorem Majestatis reum postulandi, & ab ipso tandem obtinuit, ut Sanctus Ignatius Sede Patriarchali dejectus, in Insulam *Therebintum* mitteretur in exilium, anno DCCCLVII. eoque depulso Patriarcha Sanctissimo, in Sedem Constantinopolitanam intruderetur *Photius* sibi addictissimus.

D. Quis est iste *Photius*, qui, pulso S. Ignatio, Sedem Constantinopolitanam invasit?

M. Erat *Photius* vir illustribus oriundus natalibus, dignitate Protospathatius, & primus a secretis, ac tanta omnium prope liberalium disciplinarum exoticarum cognitione instructus, ut, teste *Niceta* in Vita Sancti Ignatii, omnium aevi sui eruditorum facile princeps haberetur, immo, & cum Veteribus jam certare posset. At, proh dolor! tot ac tam eximias naturae & artis dotes, improbitas ejus animi, & immensa, qua ferebatur, ambitio, obscurarunt. *Gregorius* dictus *Asbesta* Syracusanus Episcopus, (qui ab aliquot annis, ut jam observavimus, Episcopali dignitate fuerat, justa de causa, a Sancto Ignatio depositus, & cujus nefariis consiliis, teste *Anastasio* Bibliothecario in Historia octavae Synodi, usus fuerat nequissimus *Bardas* ad exauctorandum Sanctum Ignatium) sacris initiavit *Photium*, qui hactenus laicus dumtaxat fuerat, & primo quidem die, seu xx. mensis Decembris ann. DCCCLVII. illum instituit Monachum, altero die ordinavit Lectorem; tertio, Subdiaconum; quarto, Diaconum, quinto, Presbyterum; sexto denique, seu die xxv. Decembris, Natali Christi Domini sacro, inauguravit Episcopum Constantinopolitanum. In hanc Patriarchalem Sedem intrusus *Photius*, implacabili crudelitate *Sanctum Ignatium* legitimum Patriarcham Sanctitate venerandum & aetate provectum divexavit, atque Ecclesiam Latinam, quae S. Ignatii defensionem susceperat, impudentibus calumniis impetivit, quas inter hae praecipuae erant, quod scilicet Latini primam jejunii Quadragesimalis *Septimanam* a reliquo jejunio discerperent; quod Sacerdotibus continentiae jugum imponerent; quod Chrismate inunctos, per Sacerdotes denuo inungere non dubitarent; quod Symbolo fidei processionem Filii a Patre & Spiritu Sancto addidissent. Sed has, & alias id genus calumnias, quas *Photius* Ecclesiae Latinae importavit, & ob quas Ecclesiam Graecam a Latina separavit, *Baronius* in Annalibus, *Leo Allatius* in lib. *de Consensione Ecclesiae Orientalis, & Occidentalis*, Natalis Alexander in fine partis secundae Histor. Ecclesiast. Saecul. IX. & X. aliique doctissimi Viri, egregie confutarunt. Tempore autem Schismatis Photiani causam Ecclesiae Romanae, totiusque Ecclesiae Latinae, strenue propugnarunt, tam illustrissimi Praesules, quam doctissimi Monachi Gallicani, praecipue *Hincmarus* Archiepiscopus Rhemensis, *Odo* Bellovacensis Praesul, *Aeneas* Episcopus Parisiensis, cujus Opus extat Tomo VII. Spicilegii Dacheriani, & *Ratramnus* Coenobii Corbejensis Monachus, qui quatuor edidit libros *adversus opposita Graecorum*, Tomo I. ejusdem Spicilegii Dacheriani insertos. Haec de *Photio* Sedis Constantinopolitanae invasore obiter dicta sint, nam de nefario Schismate, quod conflavit, & etiamnum perdurat, commodius agemus in sequenti Colloquio; libros vero, quos edidit Photius, referemus in quinto Colloquio, ubi Virorum illustrium, qui nono Ecclesiae saeculo floruerant, ad crisim revocabimus.

D. Intrusus ille, Schismaticus & Pseudo-Patriarcha *Photius* occupavitne toto vitae suae tempore Sedem Constantinopolitanam, quam invaserat?

M. *Basilius* Macedo, jam in societatem Imperii adscitus, postquam occidisset *Michaelem* vecordem Imperatorem, qui ei insidias, mortemque machinabatur, sicuti in superiori Colloquio ostendimus, solus Imperio potitus est, cumque esset justitiae & Religionis amantissimus, Photium Sedis Constantinopolitanae violentum invasorem e Throno Patriarchali deturbatum, in Coenobium depulit, anno DCCCLXVII. & Sanctum Ignatium Sedi suae restituit. Quem reducem ab exilio Sanctissimum Patriarcham totus Ordo Patricius occurrens excepit, & frequens, laetitiaque gestiens populus veneratus, atque in templum triumphali apparatu, & faustis acclamationibus prosecutus est. Circa hanc Photii depositionem a Basilio Imperatore factam, jure merito *Baronius* mendacii redarguit *Zonaram* Scriptorem Graecum, qui Photium a *Basilio* Imperatore depositum esse scribit, quod ob necem, quam intulerat Michaeli Imperatori, ab Ecclesiae communione fuisset ab eo separatus. Hoc quippe putidum Schismaticorum commentum est, quod non solum evertit *Nicetas* in vita Sancti Igna-

Ignatii, sed etiam *Basilii* Imperatoris ad *Nicolaum* I. Summum Pontificem Epistola Actioni III. Synodi octavæ inserta, & Epistola Hadriani Secundi Papæ, ad *Basilium* Imperatorem. Nulla ergo hac in re fides habenda est *Zonaræ*, & aliis, qui eum præcesserunt Scriptoribus Græcis, *Leoni Grammatico*, *Simeoni Logothetæ*, & *Georgio Monacho*, qui eamdem fabulam venditarunt, maxime cum nihil simile referat *Constantinus Porphyrogennetus* Scriptor Græcus laudatis mox Historicis antiquior. Sanctus *Ignatius* suæ Sedi restitutus interfuit Concilio Generali octavo Constantinopoli anno DCCCLXIX. celebrato, sub *Hadriano Secundo* Summo Pontifice, & *Basilio* Imperatore, in quo Patres Spiritus Sancti, quo erant congregati, lumine plenissime afflati, in *Photium* Schismaticum anathema pronunciarunt, *Ignatium* vero legitimum Patriarcham agnoverunt & declararunt, atque sententias a Summis Pontificibus *Nicolao Primo*, & *Hadriano* Secundo, in Conciliis Romæ celebratis, in Photium latas approbarunt, sicut data opera ostendemus in Colloquio quarto, ubi agemus de Conciliis, quæ nono Ecclesiæ sæculo fuerunt convocata. Ecclesiam Constantinopolitanam sanctissime rexit *Ignatius* usque ad annum DCCCLXXVII. quo anno migravit ad Dominum, die XXIII. mensis Octobris, annos natus octoginta, sicut testatur *Nicetas*, qui Sancti illius Patriarchæ vitam descripsit.

D. Quem Successorem in Sede Constantinopolitana habuit S. Ignatius?

M. Post mortem S. Ignatii *Basilius* Imperator *Photium* in Patriarchatum Constantinopolitanum restituit, misitque ad Joannem VIII. Summum Pontificem legationem, qua Photium in Sedis Apolicæ communionem suscipi, & in Patriarchali Constantinopolitana Sede confirmari postulavit. Obtinuere præter omnem spem Legati *Basilii*, quæ pro Photio a Joanne Octavo petierunt, indeque *Baronius*, ut jam observavimus, arbitratus est, Joannem Octavum Pontificem Romanum ob nimiam facilitatem & in restituendo Photio pusillanimitatem, *Papissam*, contumeliæ loco, dictum fuisse, sicque locum dedisse de *Joanna Papissa* fabulæ, quæ postea omnium sermone celebrata est. *Photius* Patriarchatu Constantinopolitano potitus est usque ad mortem *Basilii* Imperatoris, quæ contigit anno DCCCLXXXVI. At mortuo *Basilio*, iterum *Photius a Leone* Imperatore, *Basilii* filio, qui vulgo *sapiens* cognominabatur, Sede Constantinopolitana dejectus, & in exilium ablegatus est, quo in secundo exilio vixit Photius ad annum usque DCCCXCI. quo e vivis excessit. Variam Photius, dum viveret, fortunam expertus est, & de eo jure merito dici potest id, quod Sanctus Hieronymus ait de Origene: *ubi bene*, *nemo melius*: *ubi male*, *nemo pejus*.

D. Alios percense Patriarchas, qui, post depositum Photium a *Leone* Imperatore, anno octingentesimo octogesimo sexto Sedem Constantinopolitanam sub finem noni Ecclesiæ sæculi tenuerunt?

M. *Leo* Imperator *Stephanum* fratrem suum, virum omni virtutis laude conspicuum, in locum Photii Sede Constantinopolitana dejecti, & in exilium missi, subrogavit, anno DCCCLXXXVI. Quam Regiæ Urbis Sedem *Stephanus* sanctissime tenuit annos sex, & menses quinque, sicut testatur *Leo Grammaticus*, Continuator Anonymus Theophanis, *Simeon Logotheta*, & *Georgius* Monachus. Quapropter, *Stephanus* Patriarcha Constantinopolitanus obiit anno DCCCXCII. Extat in Actis Bollandianis, ad diem XVII. mensis Maji, Sancti *Stephani* Patriarchæ Constantinopolitani Encomium, ex Menologio Basilii Porphyrogenneti, & ex variis Fastis MSS. Græcorum, qua die apud Græcos Sanctus ille Patriarcha colitur. Stephano in Sede Constantinopolitana successit *Antonius* sanctitate insignis, cognomento *Caulea*, qui, in juvenili ætate Monachus factus, dein Sacerdos, ac sui Monasterii Abbas, tandem ætate jam provectus, ad Patriarchatum Ecclesiæ Constantinopolitanæ fuit evectus, seditque annos duos, ut videre est in Serie Patriarcharum Constantinopolitanorum in corpore juris intexta; obiit itaque Sanctus ille Patriarcha anno octingentesimo, nonagesimo quinto, & colitur tam a Latinis, quam a Græcis die XII. mensis Februarii, qua in Actis Sanctorum Bollandianis refertur *Oratio Nicephori Philosophi* in hujus Sancti Patriarchæ laudem, in qua ob egregias ejus virtutes, præsertim liberalitatem in pauperes, valde celebratur: Nolebat, inquit Nicephorus, una Civitate, etsi tam magna, suam circumscribi commiserationem, sed ad quantum Sol auspicit, eam contendebat extendere: hinc manus scatentis misericordia participes erant Scythæ, & Thraces, & cum aliis Mysi quoque, qui sunt in Asia. Sancto Antonio, qui *Caulea* appellabatur, successit anno octingentesimo nonagesimo quinto Sanctus *Nicolaus* dictus *Mysticus*, qui Ecclesiam Constantinopolitanam sanctissime gubernavit usque ad annum nongentesimum vigesimum quintum, quo ad Cælestem Patriam migravit. Sed de hoc Patriarcha Constantinopolitano iterum redibit sermo in nostris Colloquiis in Historiam decimi Ecclesiæ sæculi. (*a*) Hic tantum velim obiter observes, hunc Sanctum Patriarcham fuisse *Mysticum* appellatum ab Officio, quo Constantinopoli functus est in Palatio Imperatoris. Advertit siquidem *Codinus* in libro *de Officiis & Officialibus Curiæ*, *& Ecclesiæ Constantinopolitanæ*, inter Officiales Palatii Constantinopolitani unum fuisse, qui *Mysticus* dicebatur, quique erat secretioris Consistorii secreti Regius, ac primus Minister, ad quem multæ causæ, præcipue *de Homicidiis*, & *sacrilegiis* deferebantur. Eo itaque munere in Palatio Imperatoris Sanctus *Nicolaus* dictus *Mysticus* Patriarcha Constantinopolitanus integerrime functus est, ejusque nomen inscriptum est in Menæis Græcorum, apud Bollandum ad diem XV. mensis Maji relatis. Sed hæc de Serie Episcoporum, qui nono Ecclesiæ sæculo Sedes Romanam, & Constantinopolitanam tenuerunt, dicta sufficiant.

„ (*a*) Tribus hisce postremis Constantinopolitanis
„ Pa-

» Patriarchis Stephano, Antonio & Nicolao quot-
» annis fausta olim Græci apprecabantur in do-
» minica Orthodoxiæ, nempe secunda Quadrage-
» simæ, ut constat ex Epistola inscripta: *Episto-*
» *la Sanctæ Oecumenicæ Nicenæ Synodi*, quæ ea
» die publice legebatur.

COLLOQUIUM III.

De Gravibus Controversiis, quæ nono sæculo Ecclesiam perturbarunt.

M. Quinque potissimum nono Ecclesiæ sæculo graves obortæ sunt Controversiæ, quarum prima spectat Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum. Altera excitata fuit occasione doctrinæ *Gotteschalci* Monachi Cœnobii Orbacensis, Diœcesis Suessionensis, in Galliis, circa geminam prædestinationem, liberum hominis arbitrium, divinam voluntatem salvandi omnes homines, ac pretium Sanguinis, quem pro hominum salute, in ara Crucis effudit Christus Dominus; quæ quidem Controversia per se satis implexa, valdeque abstrusa, diu multumque Ecclesiam, nono sæculo sollicitavit. Tertia Controversia originem habuit ex modo, quo Christus Dominus e Maria Virgine processit. Qua de re libri ultro citroque conscripti sunt a *Paschasio Radberto*, & *Ratramno*. Quartæ Controversiæ locum dedit funestum Græcorum dissidium, seu nefarium Schisma, quo ab Ecclesia Romana, instigante *Photio* Pseudo-Patriarcha Constantinopolitano, Græci se separarunt: de quo Schismate etiamnum ingemiscimus. Postrema Controversia enata est circa cultum, qui sactis Imaginibus deferri debet; quæ Controversia nono Ecclesiæ sæculo maxime viguit in Galliis, & magno animorum æstu fuit agitata. De quatuor prioribus Controversiis, data opera in hocce Colloquio disseremus; quintam vero Controversiam, quæ pertinet ad Cultum Imaginum, ne longius protrahatur istud Colloquium, consulto remittemus ad proximum, quod crastina luce habebimus, Colloquium, ubi agendo de Conciliis, quæ nono Ecclesiæ sæculo fuerunt celebrata, opportuna sese offeret occasio tractandi de Synodo Parisiensi, in qua de Cultu Imaginibus exhibendo actum est, ibidemque hanc de Cultu Imaginum Controversiam maturo examine discutiemus, & doctrinam, quam nono sæculo Ecclesia Gallicana circa Cultum Imaginum propugnabat, explanabimus.

D. Incipiamus, quæso, a Controversia, quæ spectabat Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, deinde ad alias disceptationes, de quibus in hocce Colloquio pertractandi provinciam suscepisti, recto ordine progrediemur.

M. Controversiæ, quæ circa Sacro-Sanctum Eucharistiæ Sacramentum, nono Ecclesiæ sæculo emersit, origo nata videtur ex *Paschasii Radberti*, Abbatis Monasterii Corbejensis libro, quem de *Corpore & Sanguine Domini* eodem sæculo composuit, in quo dogma de reali præsentia Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento, & de transsubstantiatione tam clare exponit, ac defendit, ut Ecclesia Romana *Paschasium Radbertum* velut Apostolicæ traditionis, hac in doctrina fidum interpretem & egregium propugnatorem etiamnum agnoscat. At ex adverso Hæretici nostri temporis præsentiæ realis Corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento, & transsubstantiationis dogmatis osores, eumdem Paschasium ut novatorem habent, & tanquam realis Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia præsentiæ, (*a*) necnon Transsubstantiationis Auctorem inventoremque injuriis lacessunt, eique varios adversarios ejusdem sæculi noni, & decimi opponunt, quo probent, eum contra fidem antiquitus receptam invexisse novam doctrinam, cui liberis edictis nono sæculo restiterint Anonymus quidem Scriptor, *Amalarius*, *Rabanus & Ratramnus*, sub finem vero decimi sæculi *Herigerus* Abbas Monasterii Laubiensis, quos Scriptores Catholica Ecclesia semper in honore habuit. Non agemus in hocce Colloquio de libro, quem edidit *Paschasius Radbertus*, quique inscribitur: *De Corpore & Sanguine Domini*, quia in quinto Colloquio, ubi referemus Opera Virorum illustrium, qui nono Ecclesiæ sæculo floruerunt, de prædicto *Paschasii* libro nostrum feremus judicium, & eadem opera revincemus temeritatem Hæreticorum, quos asserere non pudet, *Paschasium* in propugnando dogmate de reali præsentia Corporis Christi in Eucharistia, & de Transsubstantiatione novatorem fuisse, qui antiquam fidem ad traditionem (quam Hæretici, si superis placet, se conservasse obganniunt) novis commentis infecit, ut realis præsentiæ, atque transsubstantiationis doctrinam æqualibus, ac posteris suis propinaret. Remisso itaque Paschasii libri examine ad Colloquium quintum, hic tantum breviter, quoad ejus fieri poterit, explicabimus, in quo sita esset Controversia, quæ nono Ecclesiæ sæculo *Paschasium* inter & alios ejusdem sæculi mox laudatos Catholicos Scriptores circa Eucharistiæ Sacramentum suborta est. Asserunt Hæretici perfrictæ frontis audacia, hanc Controversiam in eo positam fuisse, quod *Paschasius* præsentiæ realis, & transsubstantiationis doctrinam nuper a se excogitatam mordicus propugnaret, ejus vero adversarii mox citati avitæ fidei tenaces veram, & realem Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia præsentiam, necnon transsubstantiationis dogma totis viribus impugnarent, & aperte irent inficias. Verum, rem aliter se habere, & Hæreticos turpiter hallucinari, proclive est demonstrare. Status quippe Controversiæ Paschasii, ejusque adversariorum disceptantium non in hoc versabatur, *an Corpus Christi esset vere & realiter præsens in Eucharistiæ Sacramento, nec ne?* sicut comminiscuntur Hæretici; sed in hoc totius controversiæ Cardo volvebatur, *an Corpus Christi in Eucharistia esset illud idem Corpus, quod natum est ex Maria Virgine?* Paschasius siquidem in suo libro *de Corpore & Sanguine Domini* non solum luculenter adstruebat præsentiæ realis Corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento, & transsubstantiationis dogma, sed etiam diserte docebat, Corpus

Corpus Christi in Eucharistia existens, idem esse, quod ex Maria Virgine natum & in cruce passum est. Quantum ad primum doctrinæ Caput, quod præsentiæ realis, & transubstantiationis dogma spectabat, nullum omnino adversarium nactus est *Paschasius*, quia omnes ad unum Catholici profitebantur, verum Christi Domini Corpus, verumque Sanguinem revera existere in Eucharistiæ Sacramento, itemque panem & vinum in illa converti. Id solum nonnulli Catholici in libro *Paschasii* reprehensione, ac censura dignum esse existimarunt, quod diceret, *Corpus Christi in Eucharistia existens, idem esse Corpus, quod ex Maria Virgine natum, & in Cruce mortuum est*, eamque sententiam tuetur Paschasius, ex testimonio S. Ambrosii, deprompto ex capite nono, lib. de *Mysteriis*. Id, inquam, negarunt Paschasii adversarii, videlicet Anonymus Scriptor, *Rabanus*, *Amalarius*, *Ratramnus*, Viri noni sæculi haud incelebres, qui hujus sententiæ novitate, ut ipsis videbatur, perculsi, hanc Paschasii sententiam, scriptis editis, acriter insectati sunt. Hunc verum fuisse istius Controversiæ statum, ex eo maxime liquet, quod mox citati adversarii Paschasii, in dogmate de reali præsentia Corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento, & de transubstantiatione cum Paschasio conveniebant, & in hoc tantum ab eo dissidebant, quod vellent, Corpus Christi in Eucharistia existens, non esse idem Corpus, quod ex Maria Virgine natum, & in Cruce passum est, sicut affirmabat Paschasius. Horumce Scriptorum testimonia, quæ rem plane conficiunt, hic in medium proferre haud pigebit. In primis Anonymus, qui contra Paschasium scripsit, & cujus libellum in Codice Gemblacensi cum *Herigeri* Abbatis Laubiensis in Opusculo invenit, & ad calcem part. II. sæculi IV. Benedictini edidit Mabillonius, sub hoc titulo: *Dicta cujusdam Sapientis de Corpore, & Sanguine Domini, adversus Radbertum*. Hic, inquam, Anonymus confutationem suam a Confessione Fidei Catholice auspicatur, his verbis: *Quod Corpus & Sanguis Domini vera sit caro, verusque sanguis, unusquisque debet credere, nosse, tenere, confiteri, pariter & incunctanter asserere fidelis. Prorsus quisquis hoc negat, esse cognoscitur, & convincitur infidelis..... hoc ergo profecto fidelissime confirmo, & addo, quod sicut veritas est Christus, & verus Agnus Dei, qui quotidie pro vita mundi mystice immolatur: ita procul dubio, ex pane vera caro, & ex vino verus Sanguis ejus, consecratione, Spiritus Sancti potentialiter creatur*. Certe, nemo est, qui non videat, hanc Anonymi Scriptoris fidei Confessionem, esse Catholicam, nec magis diserte ullum Catholicum suam, de reali præsentia Corporis Christi in Eucharistia, & de transubstantiatione, fidem exprimere posse. Hac autem præmissa Catholica Confessione, in hoc dumtaxat Paschasium carpit idem Anonymus Scriptor, quod putet, Paschasium rem prorsus inauditam asseruisse, nempe, non aliam esse carnem in Sacramento Eucharistiæ, quam quæ nata est ex Virgine Maria: *illud*, inquit, *in eo libro*, seu Paschasii, *mihi prorsus inauditum fateor reperiri, sub nomine S. Ambrosii, quod non sit alia Caro Christi, quam quæ nata est de Maria, & passa in Cruce, & resurrexit de Sepulchro. Hæc inquit*, idest Paschasius, *& ipsa est, & ideo Christi est caro, quæ pro mundi vita hodie offertur. Hoc in Capitulo libri* Paschasii *positum est secundo. Similiter dicitur & in octavo* ejusdem libri Paschasii Capite, *vere credo, & hoc, quod conficitur in verbo Christi per Spiritum Sanctum, corpus ipsius esse ex Virgine. Istud plane fateor, nunquam me prius audisse, vidisse, legisse*. Viden hunc Anonymum Scriptorem, qui contra Paschasium scripsit, nullam de reali Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento præsentia, cum Paschasio litem movisse, sed in hoc tantum Paschasium reprehendisse, quod diceret, Corpus Christi in Eucharistia existens, idem Corpus esse, quod ex Maria Virgine natum est? Similiter *Rabanus* Archiepiscopus Moguntinus, alter Paschasii adversarius, in doctrina de reali præsentia Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia, & de transubstantiatione, cum Paschasio plane consentiebat, ut præsertim videre est cap. 10. lib. 7. *de sacris Ordinibus ad Theremasum*, ubi Rabanus hæc habet: *Quis unquam crederet, quod panis in carnem potuisset converti, vel vinum in sanguinem, nisi ipse Salvator diceret, qui panem, & vinum creavit, & omnia ex nihilo fecit? facilius est aliquid ex alio facere, quam omnia ex nihilo creare*. Qui amabo, clarius ad profitendam de reali Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento, præsentia, & de transubstantiatione fidem eo Rabani testimonio adduci potest? nullum ergo Paschasio, circa dogma de reali præsentia Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia negotium facessivit *Rabanus*, sed illum dumtaxat impugnavit, quantum ad hunc loquendi modum, qui novus ipsi visus est, quo Paschasius asserebat, Corpus Christi in Eucharistia contentum, idem esse, quod natum est ex Virgine, & in Cruce passum. Hunc, inquam, Paschasii loquendi modum sibi non probari testatur Rabanus, in Epistola ad *Heribaldum*, ubi hæc habet: *Quidam nuper de ipso Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini, non rite sentientes dixerunt, hoc ipsum Corpus, & Sanguinem Domini, quod de Maria Virgine natum est, & in quo ipse Dominus passus est in Cruce, & resurrexit de sepulchro, idem esse, quod sumitur de altari. Cui errori, quantum potuimus, ad Egilum Abbatem scribentes, de Corpore ipso quid vere credendum sit, aperuimus*. Quibus verbis diserte significat *Rabanus*, se impugnandum dumtaxat suscepisse certum quemdam loquendi modum, quo Paschasius asserebat, Corpus Christi existens in Eucharistiæ Sacramento, idem esse, quod natum ex Virgine & in Cruce passum. Denique, quod *Amalarium* Presbyterum Metensem, & *Ratramnum* Monachum Corbejensem attinet, asserere nullus dubito, illos perperam ab Hæreticis inter impugnatores præsentiæ realis Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento connumerari. *Amalarius* siquidem libr. 3. *de Ecclesiasticis Officiis* capit. XXIV. tam clare profitetur, se credere præsentiam realem Corporis, & Sanguinis Christi in Eu-

chari-

charistiæ Sacramento, ut nullum omnino de ipsius mente dubitandi locum relinquat: *Hic credimus*, inquit, *naturam simplicem panis*, *& vini mixti*, *verti in naturam rationalem*, *scilicet Corporis*, *& Sanguinis Christi*. Ratramnus vero in libro, *quem edidit de Corpore*, & *Sanguine Domini*, non negat præsentiam realem Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia, sicut ostendemus in Colloquio quinto, ubi hunc Ratramni librum examinabimus, sed solum in posteriori libri sui parte, probandum sibi sumit Ratramnus, Corpus Christi in Eucharistia idem non esse, quod ex Maria Virgine natum est, & in Cruce passum est, quia, inquit, Corpus Christi, quod ex Maria Virgine natum, quod mortuum, quod sepultum est, *ossibus*, & *nervis compactum est*, *& hujusmodi membrorum lineamentis distinctum*. Corpus vero Christi in Eucharistia existens *nullis nervis*, *ossibusque compactum*, *nulla membrorum varietate distinctum*, *nulla rationabili substantia vegetatum*, *nullos proprios potens motus exercere*. Quibus verbis non obscure innuit Ratramnus, Corpus Christi in Eucharistia existens idem quidem esse quantum ad substantiam, quod Corpus Christi ex Maria Virgine natum, & in Cruce passum, esse tamen diversum, quantum ad existendi modum; quia Corpus Christi, in statu suo naturali, visibile, & palpabile erat, Corpus vero Christi in Eucharistia contentum, nec palpabile, nec visibile est, utpote Sacramentalibus speciebus velatum. Si ergo ea expendantur, quæ hactenus adduximus Scriptoris Anonymi, Rabani, Amalarii, & Ratramni testimonia, liquido patebit, illos nullam litem Paschasio movisse, de præsentia reali Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia, neque in dogmate de transubstantiatione ab eo dissensisse, sed in eo impugnasse dumtaxat illum loquendi modum, quo Paschasius asserebat, Corpus Christi in Eucharistia existens idem esse, quod Corpus Christi ex Maria Virgine natum, & in Cruce passum, ac sepultum est. Eumdem loquendi modum improbavit etiam decimo Ecclesiæ sæculo *Herigerus* Abbas Laubiensis, cujus Tractatus a Patre *Cellotio* Societatis Jesu, in appendice ad Historiam Gothescalci, sub solo Anonymi titulo vulgatus est, & ideo *Anonymus Cellotianus* antehac audiebat, sed doctissimus *Mabillonius* hunc Tractatum *Herigeri* Abbatis esse detexit, certissimis conjecturis, quæ legi possunt in Præfatione part. II. sæculi IV. Benedictini. Iste autem *Herigerus* licet hunc Paschasii loquendi modum impugnaverit, circa tamen realis præsentiæ Corporis Christi in Eucharistia, & transubstantiationis dogma, idem plane sentit, ac Paschasius, uti commonstrabimus in nostris Colloquiis in Historiam decimi Ecclesiæ sæculi. (*a*)

„ (*a*) Nihil profecto magis infaustis avibus „ conceptum est, quam heterodoxorum commentum autumantium auctorem primum dogmatis „ de præsentia reali in Eucharistia Paschasium „ extitisse. Profecto circa hos annos, & aliquanto etiam citius, vivebat Michael Syncellus „ Hierosolymitanæ Ecclesiæ, quem nemo jure „ merito accusaret de accepto dogmate isto a „ Latino aliquo auctore. Hic vero in suo libello „ *De orthodoxa fide*, ut jam in notis superioribus „ indicavi, hæc de Eucharistia habet: *accedo ad* „ *intemerata mysteria credens illa vere esse corpus* „ *& sanguinem Dei Verbi* (ἀληθῶς εἶναι σῶμα ϗ „ αἷμα τοῦ δι' ἡμᾶς σαρκωθέντος Θεοῦ λόγου) *pro* „ *nobis incarnati*, *qui dedit ipsa fidelibus in cibum*, *& potum in remissionem peccatorum*. Hunc „ Michaelem laudari a Theodoro Studita lib. II. „ epist. 213. dudum ab aliis animadversum est. „ Extat libellus iste evulgatus a P. Montfaucon „ Biblioth. Coislin. cod. 34. fol. 90.

D. Sententia *Paschasii Radberti* asserentis, Corpus Christi in Eucharistia idem esse Corpus, quod ex Maria Virgine natum, & in Cruce mortuum, erat ne aliqua reprehensione, seu censura digna?

M. Sententia Paschasii nulla erat censura digna, utpote apprime Catholica, & perspicuis fulta testimoniis Sanctorum Patrum, præsertim S. Ignatii Martyris in Epistola ad Smirnæos, Sancti Ambrosii cap. 9. lib. de Mysteriis, Sancti Chrysostomi Homil. 24. in priorem Epistolam ad Corinthios, S. Augustini in sermone ad Neophytos, Gregorii Nisseni in Oratione Catechetica cap. 37. sicut videre est apud *Mabillonium* in Præfatione partis II. sæculi IV. Benedictini. Nec enim aliud volebat *Paschasius*, quam Corpus Christi in Eucharistia existens idem esse, quantum ad substantiam, veræque naturæ proprietatem, & integritatem, quod Corpus Christi ex Maria Virgine natum, & in Cruce passum. Qua in re Paschasius veram Ecclesiæ Catholicæ doctrinam tuebatur. Hinc tamen inferri minime debet, sententiam eorum, qui Paschasium impugnarunt, quique dicebant, Corpus Christi in Eucharistia contentum non esse idem, quod ex Maria Virgine natum & in Cruce mortuum est, fuisse Fidei Catholicæ, & SS. Patrum traditioni contrariam. Hæc quippe Paschasii adversariorum sententia Orthodoxa itidem erat, quia illi ultro fatebantur, Corpus Christi in Eucharistiæ Sacramento existens idem esse, quantum ad veræ naturæ proprietatem, quod ex Maria Virgine natum, mortuum & sepultum est, sed solum negabant idem esse Corpus, quantum ad existendi modum, cum quædam Corpori Christi in Sacramento conveniant, quæ ei præcise in statu naturali non competunt, ut exempli gratia, carere extensione locali, per se non moveri, manducari, &c. quod quidem verissimum est, nec unquam a Paschasio negatum. Quapropter, cum utraque sententia tam Paschasii, quam ejus adversariorum, Fidei Catholicæ principiis fuerit consentanea idem plane de hac Controversia, quæ inter illos nono Ecclesiæ sæculo extitit circa diversum loquendi modum de Corpore Christi in Eucharistiæ Sacramento, judicium ferendum esse existimo, quod jam in præcedentibus nostris Colloquiis tulimus de duabus aliis Controversiis, quarum prima orta est in quarto Ecclesiæ sæculo *de una tantum*, *vel tribus in Trinitate admittendis Hypostasibus*. Altera, quæ in sexto Ecclesiæ sæculo mota est, occasione hujusce Scytharum

rum Monachorum propositionis: *Unus e Trinitate in carne passus est*. Sicut enim ostendimus, Catholicos in his duabus Controversiis acriter disceptasse, & tamen in fidei dogmate consensisse, atque de nativa dumtaxat vocum significatione, vel de vario loquendi modo inter se fuisse altercatos: ita accidit in hac Controversia Eucharistica, quam nono Ecclesiæ sæculo, Paschasium inter, & ejus adversarios circa modum existendi Corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento, excitatam hucusque exposuimus. Hæc siquidem Controversia, tota quanta erat, in sola pugna verborum, seu in diverso loquendi modo versabatur. Hinc *Lanfrancus* in Dialogo adversus *Berengarium* ait, utramque sententiam, idest, tam *Paschasii Ratberti*, quam eorum, qui ei adversabantur, facili negotio conciliari posse, ac Corpus Christi Eucharisticum *vere dici posse*, & *ipsum Corpus*, *quod de Virgine sumptum est*, & *tamen non ipsum*. *Ipsum quidem quantum ad essentiam, veræque naturæ proprietatem atque virtutem; non ipsum autem, si spectes panis, vinique speciem*.

D. Gaudeo plane, Scriptores illos Ecclesiasticos, qui nono Ecclesiæ sæculo, certum quemdam Paschasii loquendi modum impugnarunt, in ipso tamen fidei dogmate de reali Corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento præsentia, & de transubstantiatione cum eodem Paschasio convenisse. At nescio quid sibi velint Viri quidam eruditi, quorum cœtui nuperrime interfui, qui affirmabant, *Rabanum*, & *Amalarium*, quos inter Paschasii adversarios mox enumerasti, adhæsisse cuidam fœdissimæ Hæresi *Stercoranistarum*, quos non pudebat asserere, Corpus Christi in Eucharistiæ Sacramento, dum ore sumitur, instar cæni olidi abire in secessum. Certe, duos illos nono sæculi Scriptores in tam fœculentæ hæreseos luto hæsisse necdum in animum meum inducere potui, immo, vix adducor, ut credam, tam sordidam ac propudiosam Hæresim nono Ecclesiæ emersisse sæculo.

M. *Rabanum* Archiepiscopum Moguntinum a nonnullis cum antiquis, tum recentioribus Scriptoribus spurcissimi *Stercoranistarum* erroris fuisse insimulatum negari haud potest. Verum, doctissimus *Mabillonius* in Præfatione partis II. sæculi IV. Benedictini tam putidam labem a *Rabano* abstergit, & gravissimis momentis evincit, ipsum neutiquam Christi Domini Corpus, sed ad summum Symbola sola, seu species Eucharisticas, aliorum ciborum, qui in secessum abeunt, legi subjecisse. Quod sane citra Hæresim dicere potuit *Rabanus*. Eodem pacto excusari potest *Amalarius*, & quædam, duriores licet, locutiones, quibus utitur in sua Epistola ad *Heribaldum*, benigna interpretatione ad hunc Rabani sensum flecti debent. Paulo major est difficultas de Græcis, quibus Cardinalis *Humbertus*, & alii Latini hunc *Stercoranistarum* errorem impegerunt, eo potissimum nomine, quod Græci dicerent, *solvi Eucharistia jejunium*, ex quo Latini inferebant, Græcos ea Stercoranistarum Hæresi esse infectos, eosque putare Eucharistiam, cæterorum instar ciborum communium, egeri, seu abire in secessum. At sæpe laudatus Mabillonius hunc Stercoranistarum errorem amolitur a Græcis, & ostendit, Latinos inconsiderate, minusque perite hoc crimen affinxisse Græcis. Et sane, quando Græci dicebant, solvi Eucharistia jejunium, nihil aliud volebant, quam Sacrificium offerri, seu Missam celebrari haud debere, quam quo solvi jejunium tempore legitime potest. Hic siquidem perantiquus est Græcæ Ecclesiæ ritus, ut in omnibus Quadragesimæ jejunii diebus (præterquam Sabbato & Dominica, & Sancto Annunciationis die) sacrum Missæ Sacrificium non celebretur, sed tantum præsanctificata offerantur, ut moris est apud nos Latinos Sancto Parasceves die. Hanc Græcanici ritus rationem perhibet Balsamon explicando Canonem LII. Synodi quini-sextæ anno DCXCII. Constantinopoli celebratæ, quia, inquir Balsamon, per Sacrificium gaudium & Ecclesiæ solemnis exultatio celebratur, quæ minime convenit diebus pœnitentiæ & luctus, cujusmodi sunt dies jejunii, seu Quadragesimæ. Hinc est, quod Concilium Laudicenum Canone 49. prohibet, ne fiant oblationes ac Festa Martyrum tempore jejunii, & Canone quinquagesimo primo statuit, Festa hæc & Oblationes Quadragesimæ diebus jejunii occurrentes, in Sabbata, quibus Græci non jejunabant, vel in Dominicas Quadragesimæ transferri debere. Ex qua Græcæ Ecclesiæ Disciplina manifestum est, non ideo Græcos tempore jejunii a peragendo Missæ Sacrificio abstinuisse, quod putarent, Eucharistiam, tanquam cæteras escas egeri, & abire in secessum, sicut *Humbertus*, & alii nonnulli Latini minus æque eis imposuerunt; sed quia Missæ Sacrificium cum solemni Ecclesiæ exultatione & gaudio celebrabatur, quod tempori jejunio, luctui & pœnitentiæ ab Ecclesia consecrato non convenire arbitrabantur. Græci itaque insimulari non debent Stercoranistarum Hæresis, quæ an revera aliquando extiterit, dubitant merito etiamnum Viri eruditi, existimantes istud Stercoranistarum vocabulum ionaie non sectæ alicujus fuisse, sed convicii, quod etiam Catholicis objiciebatur. Nam cum Catholici dicerent, sumi ore Corpus Christi, inferebant nonnulli, ergo Corpus Christi secessui obnoxium est, quia (sic isti syllogizabant) omne quod intrat in os, ipso attestante Domino, vadit in secessum. Eamdem Stercoranistarum Hæresim sæculo proxime elapso quidam Calvinianæ sectæ Pseudo-Minister *Marasius* dictus, seu *Du Marais*, Catholicis, qui Corpus Christi ore sumi constanter profitentur, affingere non erubuit. Sed hoc Pseudo illius Ministri turpiloquium, fætidissimumque mendacium est, ipsis Stercoranistarum sordibus fædius ac male olentius. Probabilius itaque est, hoc infame Stercoranistarum vocabulum non sectæ alicujus fuisse, sed convicii, quod etiam in Catholicos jaciebatur. Non me fugit, *Algerum* lib. 2. *de Sacramento Corporis*, & *Sanguinis Domini* cap. 1. & nonnullos alios existimasse, *Stercoranistarum* Hæresim revera aliquando extitisse; sed Algerum, aliosque eam in sententiam adduxit sola auctoritas

Cat-

Cardinalis *Humberti*; qui, disputando contra *Nicetam* Græcum, hanc Stercoranistarum Hæresim Græcis inconsiderate impegit, sicut antea observavimus.

D. Nulla igitur nono Ecclesiæ sæculo circa Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum erupit Hæresis?

M. Antiqua fides, quæ de reali Corporis Christi præsentia in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento & de transubstantiatione a primordiis Ecclesiæ cœpit, nono Ecclesiæ seculo illibata permansit, & summo tam Pastorum, quam Fidelium omnium studio fuit constanter custodita, ut plene ostenderamus in sexto Colloquio in Historiam hujus sæculi, ubi confutabimus figmentum Calvinistarum, qui *Paschasium Radbertum* Scriptorem noni sæculi Doctrinæ de præsentia reali Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia primum Auctorem fuisse effutiunt, ita ut nono sæculo, antequam Paschasius [illegible] ederet librum *de Corpore, & Sanguine Domini*, Antistites omnes, Clerici, & Laici, Christi Corpus & Sanguinem ab Eucharistia reipsa abesse, solamque illius figuram & virtutem in ea extare crediderint. Quod sane purum, putumque Hæreticorum commentum esse ibidem commonstrabimus. Fatendum tamen est *Joannem Erigenam* genere Scotum scripsisse nono Ecclesiæ sæculo librum, quo *Berengarii*, cæterorumque Sacramentariorum Hæresim præformavit. Docuit enim, teste *Hincmaro* Remensi Archiepiscopo in lib. de Prædestinatione cap. 31. *quod Sacramentum Altaris non verum Corpus, & verus Sanguis sit Domini, sed tantum memoria veri Corporis & Sanguinis ejus*. At hic male natus *Joannis Erigenæ* liber, ubi primum in lucem prodiit, in Conciliis proscriptus, a Catholicis Scriptoribus confutatus, omnium Fidelium execrationibus rejectus, natalitiis suis tenebris damnatus est, ut constabit ex his, quæ dicturi sumus in Colloquio quinto, ubi agemus de Operibus Virorum Illustrium, qui nono Ecclesiæ sæculo floruerunt.

D. Veniamus nunc, si placet, ad alteram Controversiam, quæ nono Ecclesiæ sæculo excitata est occasione doctrinæ *Gothescalci*.

M. Duplicem controversiam nono Ecclesiæ sæculo excitavit Gothescalcus Monachus Cœnobii Orbacensis. Prima in hoc sita erat, *an dicenda esset trina Deitas?* Altera contentio, quæ fuit longe gravior, spectabat geminam prædestinationem, liberum arbitrium, voluntatem Dei salvandi omnes homines, & pretium Sanguinis Christi pro omnium salute effusi. Primæ controversiæ locum dedit Hincmarus Remensis Archiepiscopus, qui ex Hymno Martyrum hæc verba: *Te trina Deitas* delenda censebat, ne tres Dii induci viderentur. Repugnavit confestim Gothescalcus cum Ratramno, & hinc occasionem arripuit Hincmarus hæreseos Gothescalcum insimulandi, quasi triplicis divinitatis assertorem: quo etiam nomine Hæreticus audit Gothescalcus apud nonnullos, sed perperam. Hanc quippe consecutionem totis viribus a se amoliri studuit Gothescalcus, eumque a turpi illa hæreseos nota egregie vindicat doctissimus *Petrus Coustant* Monachus Benedictinus Congreg. S. Mauri *in Vindiciis Veterum Codicum confirmatis* parte V. ubi Ecclesiæ Catholicæ *de trina Deitate dicenda* traditionem asserit, *Gothescalcum*, & *Ratramnum* ab injectis suspicionibus purgat, atque violentum agendi rationem Hincmari Remensis Archiepiscopi, qui in eos antiquæ traditionis hac in re propugnatores injuste excanduit, nullo pacto excusari posse, multis contra *Germonium* Veterum Codicum haud æquum æstimatorem probat. Legendus est etiam super hac *de trina Deitate* controversia Clarissimus *Gilbertus Mauguinus* Galliarum Regi a Consiliis Tomo secundo libri *Vindiciarum Prædestinationis & Gratiæ* cap. XLV. Dissertationis Historicæ & Chronicæ, ubi *Gothescalco* in hacce controversia *de trina Deitate dicenda* egregie patrocinatur, multisque argumentis meliorem hujus Monachi, quam *Hincmari* Archiepiscopi Remensis causam fuisse probat, sed potissimum ex judicio Ecclesiæ, quæ in Hymno Festi Corporis Christi Domini, *Sacris Solemniis*, ab Angelico Doctore S. Thoma Aquinate edito ubique canit:

Te, Trina Deitas, unaque, poscimus,
Sic nos tu visita, sicut te colimus,
Per tuas semitas duc nos, quo tendimus,
Ad lucem quam inhabitas.

D. Hanc injustam & violentam *Hincmari* Archiepiscopi Remensis in hac controversia *de trina Deitate admittenda* in Gothescalcum agendi rationem probare certe non possum; nolim tamen Gothescalcum omni errore exsolvere, quia, sicut a Viris eruditis non multis abhinc diebus audivi, in plures circa Gratiam, Prædestinationem, & voluntatem Dei salvandi homines impegit errores, quibus prælusit Wiclefo, Luthero, Calvino, aliisque hujusce farinæ pestibus.

M. Hæc causa Gothescalci circa doctrinam de Gratia, Prædestinatione, & voluntate Dei salvandi homines, quæ sæculo nono graves excitavit turbas, magna animorum contentione nostro sæculo recruduit, aliis in gratiam Gothescalci ejusque doctrinæ Apologias concinnantibus; aliis ex adverso ejus doctrinam ceu Hæreticam proscribentibus. Nolo ipse cum nemine contentionis funem ducere, sed historice dumtaxat hic referam ea quæ tam contra Gothescalcum, quam pro ipsius doctrinæ defensione hinc inde solent adduci momenta. Hi, qui Gothescalco patria Germano hæreseos dicam scribunt, atris coloribus illum depingunt ut Monachum Ordinis S. Benedicti gyrovagum & turbulentum, qui a *Rigboldo* Remensis Ecclesiæ Chorepiscopo contra Canones Presbyter ordinatus Romam se contulit, ac diu multumque divagatus suos cœpit spargere errores, asserens, Deum, sicut quosdam ad vitam æternam prædestinavit, ita alios ad mortem æternam prædestinasse, & cogere homines ad malum: Deum non velle omnes homines salvos fieri, sed eos tantum qui salvantur: Christum pro Electorum dumtaxat salute passum esse non autem pro redemptione omnium hominum. Hos errores dum disseminaret Gothescalcus, in ædibus Comitis *Eberardi* unius e primis *Lotharii*

thorii Imperatoris Optimatibus aliquantisper hospitatus est, ubi dum versaretur, collationem habuit cum *Notingo* de gemina Prædestinatione, sive Electorum ad vitam, sive Reproborum ad mortem. Quod, vulgante fama, statim ac perspectum habuisset *Rabanus* Moguntinus Archiepiscopus, literas direxit ad *Eberardum* Comitem, in quibus eum admonebat, ut Gothescalcum, quem *Sciolum* appellabat, ab hac secta prohiberet. Eodem tempore alias ejusdem argumenti literas *Rabanus* dedit ad *Notingum* Veronensem Episcopum. His literis pulsatus Gothescalcus, ut sibi consuleret, *Eberardi* Comitis ædibus excessit, & postquam Noricum, Sueviam, aliasque quasdam Germaniæ partes peragrasset, ut testatur Annalista Bertinianus, Moguntiam appulit, ubi Rabanus Moguntinus Archiepiscopus Concilium convocavit anno DCCCXLVIII. coram quo citatus Gothescalcus & interrogatus communi omnium consensu damnatus est, ejusque doctrina ceu hæretica confixa. Sed quia Gothescalcus alienæ Provinciæ, hoc est, Remensis, tum origine, tum ordinatione, tum monastica professione subditus erat jurisdictioni, remissus est ad Hincmarum Remensem Archiepiscopum. Comparuit Gothescalcus in Concilio Carisiacensi coacto anno DCCCXLIX. cui *Wenilo* Senonensium, & *Hincmarus* Remorum Archiepiscopus cum multis Episcopis, Abbatibus & selectis Sacerdotibus interfuerunt, a quibus doctrina Gothescalci denuo proscripta est, ipse vero asperis verberibus castigatus libros, quos conscripserat, in ignem projicere compulsus, tandem ad perpetuum ergastulum cellæ Monasterii Altivillarensis Diœcesis Remensis detrusus est. Hoc in carcere reclusum damnatumque Gothescalcum ad saniorem mentem revocare cum non posset *Hincmarus*, scripsit ad *Prudentium* Trecensem Episcopum, qui a Synodo Carisiaca abfuerat, eumque consuluit, quo pacto se se erga Gothescalcum gerere deberet? *Prudentii* precibus ac consilio adductus est Hincmarus, ut cum Gothescalco humanius ageret, eique scribendæ confessionis fidei licentiam daret. Edidit Gothescalcus duplicem confessionem fidei, breviorem unam, prolixiorem alteram. Sed metuens Hincmarus ne Gothescalcus, post utramque fidei confessionem a se editam, bene multos, ex ordine præsertim Monastico, in suas partes pertraheret, Opusculum contra ejus errores ad Reclusos, & Simplices Remensis Diœceseos scripsit. Postremo, cum post multas adhibitas adhortationes Gothescalcus resipiscere & suorum errorum palinodiam decantare nollet, indicta est anno DCCCLIII. Secunda Synodus Carisiaca, cujus magna pars fuit Hincmarus, & in qua rursus damnatus est Gothescalcus, atque contra ipsius doctrinam quatuor condita sunt Capitula, quæ expendemus in proximo Colloquio, ubi agemus de Conciliis, quæ nono Ecclesiæ sæculo fuerunt celebrata. His momentis, sed præcipue Hincmari Archiepiscopi Remensis testimonio moventur plures Viri eruditi, ut credant, Gothescalcum jure ac merito tanquam Hæreticæ doctrinæ assertorem fuisse damnatum, eumque, nullis editis pœnitentiæ signis, in suis tuendis erroribus obstinato animo perseverantem e vivis excessisse.

At, versa vice, non desunt Viri eruditi, qui Gothescalcum ab hæresi vindicant, eumque ab Hincmaro Remensi Archiepiscopo injuste fuisse oppressum his rationibus probant. Primo, quia in causa Gothescalci nulla omnino fides adhibenda est Hincmaro, quippe qui odio plusquam Vatiniano Gothescalcum ad ultimam usque vitæ periodum prosecutus est. Fatentur omnes Scriptores, magnam fuisse crudelitatem, quam post mortem Nicolai I. Papæ in proprium suum nepotem Hincmarum Laudunensem Episcopum usque ad occæcationem, & oculorum evulsionem exercuit Hincmarus Remensis Archiepiscopus. Sed longe major, & atrocior fuit crudelitas, qua Gothescalcum miserabilem Monachum insectatus est idem Hincmarus. Parum quippe huic inclementi Archipræsuli fuit Carisiacensis Synodi sævitia, qua Gothescalcus virgis ac verberibus miserum in modum dilaniatus est, & tanta tetri diuturnique carceris molestia, quam diu patienter tulit ille Monachus, sed etiam ei morituro omnem & spiritualem & corporalem humanitatem, & reconciliationem & Viaticum & Sepulturam Ecclesiasticam denegavit, ejusque invictam in doctrinæ sanæ defensione constantiam, furoris, insaniæ, detestationis, & blasphemiarum nominibus inique infamavit. Hæc fuit in Gothescalcum agendi ratio Hincmari, qui *Caroli* Regis cognomine *Calvi* gratia & favore subnixus, in tantum superbiæ fastum provectus est, ut suis voluntatibus non solum quemquam obsistere non sustineret, sed, quanta pollebat potestate, crudeliter in omnes sibi obsistentes ulcisceretur. Secundo, contra juris regulam Rabanus in Concilio Moguntino, in quo primo damnatus fuit Gothescalcus, præses sedebat, & in ipsum sententiam tulit. Erat siquidem Rabanus in causa cum Gothescalco, ac subinde, dum in eum sententiam tulit, violavit hanc Regulam Juris, quæ prohibet, ne quis judicet in propria causa. Tertio, Formulæ, seu Confessiones fidei, quas Hincmaro exhibuit Gothescalcus, nihil complectuntur, quod non sapiat doctrinam S. Augustini de gratuita Prædestinatione, & de necessitate gratiæ se ipsa efficacis ad omnes & singulos pietatis actus, nihilque ex his extundi potest, quod Hæresim oleat, ut fatentur etiam ejus adversarii, qui dumtaxat asserunt, eum in his fidei Confessionibus consulto suos dissimulasse errores, quos in Germania sparserat. Quarto, Gothescalco misere oppresso protinus accurrerunt Viri doctrina & pietate insignes, qui ejus patrocinium aperte susceperunt. *Lupus* Abbas Ferrariensis, in libro jussu Regis Caroli Calvi a se edito *de tribus Quæstionibus* Gothescalco ejusque doctrinæ plurimum favet, *Ratramnus* Corbejensis Monachus in duobus libris, quos edidit *de Prædestinatione*, Prudentius Episcopus Trecensis in libro, quem composuit *de Prædestinatione*, Lupus Servatus Presbyter Moguntinus in libel-

libello *de tribus Quæstionibus* Gothescalco itidem, ejusque doctrinæ suffragantur. Quin & *S. Remigius* Archipræsul Lugdunensis nomine totius percelebris suæ Ecclesiæ doctrinæ, Gothescalci vindicias egit in libro *de tribus Epistolis*, ubi Gothescalci propositiones de Prædestinatione reproborum ad pœnam, de voluntate Dei erga salutem hominum, & de morte Christi Servatoris nostri, & de generis humani redemptione, Catholicas & doctrinæ Sancti Augustini, totiusque Ecclesiæ consentaneas esse diserte asserit, suumque de damnata Gothescalci doctrina his verbis capite vigesimo quarto ejusdem libri exprimit dolorem: *Et ideo*, inquit, *in hac re dolemus*, *non illum miserabilem*, seu Gothescalcum, *sed Ecclesiasticam veritatem esse damnatam*. Quinto, Patres Concilii Valentini celebrati anno DCCCLV. & Concilii Lingonensis habiti 859. damnarunt quatuor Capitula, quæ contra Gothescalcum in Synodo Carisiaca condita fuerant, eaque repudianda esse sanxerunt *propter inutilitatem*, *vel etiam noxietatem*, *& errorem contrarium veritati*, ut latius expendemus in proximo Colloquio, agendo de Conciliis, quæ nono Ecclesiæ sæculo coacta sunt. Porro, credibile non est, tot Catholicos Scriptores, universam Ecclesiam Lugdunensem, & Patres Conciliorum Valentini, & Lingonensis in defensionem Gothescalci doctrinæ tanto ardore conspirare voluisse, si revera Gothescalcus circa Prædestinationem, circa voluntatem Dei salvandi homines, & pretium Sanguinis Christi pro salute hominum effusi, errores tam graves, qui ipsi affinguntur, disseminasset. Denique, *Nicolaus I.* Pontifex Maximus ab Hincmaro Remensi Archiepiscopo sæpius licet rogatus, ut Gothescalci doctrinam Pontificia auctoritate damnaret, nunquam tamen adduci potuit ut eam proscriberet, quia probe videbat Sanctissimus ille Pontifex latere anguem in herba, & per Gothescalci latus peti doctrinam Sancti Augustini, in qua Gothescalcus adeo versatus erat, ut, teste ipsomet Hincmaro, sententias Aquilini illius Doctoris totas dies memoria proferre solitus esset. His & aliis compluribus momentis, quæ lato, & diserto calamo prosequitur Vir Clarissimus *Gilbertus Mauguinus* Tomo secundo libri *Vindiciarum Prædestinationis & Gratiæ*, Asserunt Viri quidam eruditi, Gothescalcum circa Prædestinationem & voluntatem Dei salvandi homines, non aliam, quam Sancti Augustini, & totius Ecclesiæ Catholicæ doctrinam pro aris ac focis propugnasse, & in ea profitenda constanter ad mortem usque perseverasse. Addunt etiam Viri illi eruditi, qui Gothescalco patrocinantur, quod cum Gothescalcus a Rabano Moguntino Archiepiscopo in Germania, & ab Hincmaro Remensi Archipræsule in Gallia tanquam hæreticus habitus sit, mirum videri haud debet, quod Scriptores cum Germani, tum Galli Gothescalcum hæreseos insimulaverint. Annales siquidem Fuldenses, & cæteri Germaniæ Scriptores quidquid litteris consignarunt de Gothescalco, illiusque doctrina, id totum hauserunt a *Rabano*: Annales vero Bertiniani, Flodoardus, aliique Galliarum Scriptores omnia, quæ de Gothescalco, ejusque doctrina narrant, ex libris Hincmari Archiepiscopi Remensis excripserunt. Tam caute etiam in Gothescalcum actum est, & tam altum ejus ergastuli, seu carnificinæ, silentium fuit, ut hi, qui nono Ecclesiæ sæculo a partibus Gothescalci steterunt, ejusque doctrinæ impense faverunt, *Prudentius*, *Lupus Ferrariensis*, *& Ratramnus* in Regno *Caroli Calvi Remigius*, Lugdunensis Episcopus, *Florus* ejusdem Ecclesiæ Diaconus, totaque Ecclesia Lugdunensis sub *Lothario* Imperatore causam miserabilis Monachi Gothescalci non attigerint, soli Orthodoxæ fidei protegendæ, & vindicandæ unice intenti.

D. Adhuc, ut candide fateat, pendulus hæreo, & libratis æqua lance, quæ hinc inde adduxisti, momentis, certum de Gothescalci doctrina non audeo proferre judicium.

M. Hæc de fortuna Gothescalci, & de turbis occasione ejus doctrinæ nono sæculo excitatis utramque in partem compendiose ventilasse sufficiat. Nec enim expedit, ut tot inter Viros eruditos, qui de hoc facto historico etiamnum digladiantur, meum interponam judicium, arbiter sedeam. Rem igitur in medio relinquo, & utramque opinionem tuo delectui, & arbitrio permitto. Quod si propendeas in sententiam eorum, qui Gothescalcum ab hæresi vindicant, eumque non aliam in tormentis, in carcere, & in morte quam Augustinianam professum fuisse doctrinam autumant; multa in defensionem Gothescalci argumenta tibi suppeditabit mox laudatus *Gilbertus Mauguinus* Galliarum Regi a consiliis, & in suprema Monetarum Curia Præses, Tomo secundo, libri *Vindiciarum Prædestinationis & Gratiæ*, ubi pro Gothescalco amplissimam adornavit Apologiam. Sin vero tibi magis arrideat opinio illorum, qui Gothescalco hæreseos notam inurunt, eumque suos errores nunquam ejurasse pertendunt, legere poteris, si tibi per otium liceat, nostrum *Natalem Alexandrum*, qui in Dissertatione quinta in Historiam noni Ecclesiæ sæculi multis probat, Gothescalcum justa de causa ceu Hæreticum fuisse damnatum, & a suis erroribus nunquam resipuisse. Cavere tamen debes a sententia *Sirmondi*, qui in suo *Prædestinato*, sive in Tractatu de *Prædestinatianorum Hæresi*, probandum ubi sumpsit, Gothescalcum nono Ecclesiæ sæculo recoxisse, seu renovasse Prædestinatianorum hæresim, quod oppido salsum est, & veritati Historiæ omnino, contrarium, tum quia, ut ostendimus in nostris Colloquiis in Historiam quinti Ecclesiæ sæculi, nulla quinto sæculo extitit [illegible] seu Prædestinatianorum Hæresis, sed Semipelagiani, qui Sancti Augustini doctrinam de Prædestinatione gratuita ad gloriam totis viribus oppugnabant, omnes Sancti illius Doctoris Discipulos ignominiæ causa *Prædestinatianos* appellabant, quo populi odium in ipsos concitare, doctrinam de Prædestinatione gratuita in bonorum omnium detestationem pertrahere possent; tum quia etiam Prædestinatianorum Hæresim, nono Eccle-

Ecclesiæ sæculo a Gothescalco non fuisse renovatam, ex eo maxime patet, quod cum Hincmarus Remensis Archiepiscopus Gothescalco Prædestinatianam hæresim in faciem illideret, ejusque ora verberaret, Patres, qui Hincmaro restiterunt, & Gothescalco faverunt, hanc Prædestinatianam hæresim aliquando in Orbe extitisse aperte negarunt. Sic enim loquitur *S. Prudentius* Episcopus Trecensis, capite quarto libri, quem edidit contra Joannem Erigenam: *Tertiam vero Hæresim, quam Pelagianis contrariam asseris, qua ita donum gratiæ prædicatur, ut libertas arbitrii funditus auferatur, nec legimus, nec audivimus.* Et postea subdit: *Nescio quem elogio tertiæ tuæ hæreseos denotare volueris, nisi B. Augustini dictorum, quæ præmisimus, immo Catholicorum omnium, fideliter veraciterque sequaces.* Idem omnino sensus fuit *Flori* Ecclesiæ Lugdunensis Diaconi cap. 4. libri contra eumdem *Joannem Erigenam*, qui, instigante Hincmaro Remensi Archiepiscopo, librum adversus Gothescalcum composuit, qui a capite ad calcem Pelagianorum erroribus scatet. Cum igitur Patres noni Ecclesiæ sæculi hanc Prædestinatianorum hæresim nunquam in Ecclesia grassatam fuisse, diserte profiteantur, falso fobinde asserit *Sirmondus*, Prædestinatianorum Hæresim, quæ trecentis sæculis, ut ait, in Ecclesia conticuerat, nono sæculo fuisse a Gothescalco denuo suscitatam.

D. De duabus prioribus controversiis, quæ nono Ecclesiæ sæculo enatæ sunt, satis huc usque diximus, pergamus nunc ad tertiam disceptationem, quæ eodem sæculo, ut in exordio nostri Colloquii observasti, originem habuit ex modo, quo Christus Dominus prodiit ex utero Mariæ Virginis?

M. Nono Ecclesiæ sæculo in Germania excitata est hæc controversia, *an prodierit Corpus Christi ex Virgine Maria communi via, an singulari?* quam controversiam postea *Ratramnus* Monachus Corbejensis e Germania in Gallias invexit, libellumque edidit *de Nativitate Christi*, qui extat Tomo 1. Spicilegii Dacheriani. In hoc libello *Ratramnus* in Germanos qui Corpus Christi ex utero Mariæ Virginis non via communi, sed singulari prodiisse affirmabant, tanquam in Hæreticos durius invehitur his verbis: *Fama est, & quorumdam non contemnenda cognovimus relatione, quod per Germaniæ partes serpens antiquus perfidiæ novæ venena diffundat, & Catholicam super Nativitate Salvatoris fidem, nescio qua fraudis subtilitate, subvertere molitur, dogmatizans Christi infantiam per virginalis januam vulvæ humanæ Nativitatis verum non habuisse ortum, sed monstruose de secreto ventris incerto tramite luminis in auras exiisse, quod non est nasci, sed erumpi.* Tria autem contra illos Germanos probat *Ratramnus*. Primo, ostendit Corpus Christi *per naturæ januam, per solemnem partuitionis viam* ex utero sacratissimæ Virginis Mariæ processisse. Secundo, *Christum vulvam aperuisse*, ac demum, aperuisse, *non ut clausam corrumperet, sed ut eam suæ Nativitati ostium aperiret, non quo violaret integritatem, sed quo ventris palatium vacuaret.* Ex quibus omnibus in fine concludit Ratramnus, Christum naturaliter & via communi esse natum. Displicuit, & merito quidem, *Paschasio Radberto* Monacho itidem Cœnobii Corbejensis hæc Ratramni doctrina. Quamvis enim Ratramnus aperte Mariæ virginitatem non negaret in partu, id ipsum tamen quod confitebatur, ex obliquo, seu ex consequenti impugnare & evertere videbatur, ita ut una manu destrueret, quod altera adstruebat. Quamobrem Paschasius Radbertus adversus eum scripsit libellum *de Partu Virginis*, in quo refellit Ratramnum quasi omnino sentiret, *Christum communi omnium lege natum esse, neque aliter Virginem Mariam parere potuisse, neque aliter debuisse, quam communi lege naturæ, & sicut mos est omnium fœminarum*: Certum est, Ratramnum hac in re sibimetipsi fuisse contrarium, aut saltem sibi parum constantem visum esse. Nam si Christus aperuit uterum, sicut ipse contendebat, quomodo per clausum exivit? Quis, amabo, non videt, hoc esse purum hominis calidum simul & frigidum ex eodem ore perflantis, aut non sincere agentis effugium. Præterea, *Ratramnus* suorum adversariorum, idest, Germanorum mentem non vere expressit, aut non plene assecutus est; quando capite secundo sui libelli innuit, illos sensisse, Christum non per viam communem, sed per aliam corporis partem penetrando prodiisse. Neque enim alia fuit super hac re Germanorum sententia, quam Paschasii Radberti, qui omnes id unum dumtaxat volebant, Christum via quidem communi, sed clauso virginali sigillo, non communi modo, ex utero Mariæ Virginis in lucem prodiisse. Plura legesis parag. 2. Dissertationis primæ Tractatus quem publici juris feci *de Mysteriis & annis Christi*, ubi late disserui de modo, quo Corpus Christi Domini exivit ex utero Mariæ Virginis.

Aliam controversiam eodem Ecclesiæ sæculo nono habuit *Ratramnus* cum quodam ejusdem Cœnobii Corbejensis Monacho, qui *unam in omnibus hominibus animam esse* pertendebat. Istius controversæ quæstionis statum Ratramnus in Tractatu, quem adversus hunc Monachum composuit, & quem doctissimus *Mabillonius* in Præfatione partis II. sæculi IV. Benedictini testatur, se legisse in membraneo Codice Bibliothecæ Monasterii Sancti Eligii apud Noviomum, exponit his verbis: *Dicit namque*, seu ille Monachus, contra quem scripsit *Ratramnus*, *quod omnis homo unus sit per substantiam, & omnis anima rationalis una sit anima per substantiam. Quod si ita est, sequitur ut non sit nisi unus homo, & una anima, quod absurdissimum fore conspicit prudentia vestra.* Hanc de unitate, vel multiplicitate animæ controversiam ad fidem & Religionem spectare non solum putavit *Ratramnus* nono Ecclesiæ sæculo, sed idem etiam visum est sancto *Thomæ* Doctori Angelico, & omnibus post ipsum Theologis, qui *Averrois* unicum hominum intellectum asserentis errorem confutarunt. Hinc Patres Concilii quinti Lateranensis sub Leone X. Summo Pontifice celebrati solemni decreto sessione octava, quæ habita est die XIX. mensis De-

tembris anni MDXIII. definierunt, animam hominis immortalem esse, atque in pluribus hominibus non unam, sed plures animas esse, & eos, qui contrarium docent, tanquam hæreticos vitandos & puniendos esse sanxerunt. Verum, ut cordate fatear, hanc de unitate, vel multiplicitate animæ controversiam, quæ ex Philosophiæ principiis ortum habuit, nunc facili negotio conciliant Philosophi, qui in suis Scholis, & Pulpitis docent, unam in omnibus hominibus esse animam *unitate specifica*, sed non *unitate numerica*, quia pro Corporum, quibus infunditur, multitudine multiplicatur. Hac solemni Scholarum distinctione evanescit, & in fumum abit illa controversia, quam nonnulli Dialecticæ argutiis plus æquo indulgentes in Ecclesia olim excitarunt.

D. Veniamus nunc ad celebrem illam controversiam, cui nono Ecclesiæ sæculo occasionem, & initium præbuit schisma Photianum, seu a *Photio* Patriarcha Constantinopolitano conflatum.

M. *Photius*, ut jam diximus in secundo Colloquio, postquam Sedem Constantinopolitanam invasisset, & S. Ignatium legitimum Patriarcham, malis artibus *Gregorii* Syracusanis Episcopi, & *Bardæ* avunculi Imperatoris, e solio Patriarchali dejecisset, crudelem persecutionem movit, non solum in Sanctum Ignatium, quem, mutatis sæpius carceribus & exilii locis, atrociter vexavit, sed etiam in Præsules, Clericos, Monachos, bonosque omnes, qui Sanctissimi Patriarchæ innocentiam libere tuebantur, & de injusta ac violenta ejus depositione conquerebantur, desæviit. Qua agendi ratione plurimos Episcopos & Clericos, seu metu exilii deterritos, seu spe præmiorum illectos, partibus suis adjunxit, iisque in Synodo speciem congregatis Sanctum Ignatium solemni judicio exauctoravit, perculitque anathemate, quo facilius populum ab ejus communione absterreret. Dein, versipellis ille Pseudo-Patriarcha Legatos ad Nicolaum I. Romanum Pontificem misit, ut ab eo ordinationis suæ confirmationem impetraret, literasque dedit, quibus subdole significabat, Sanctum Ignatium morbo & senio jam confectum, Constantinopolitano Patriarchatu sese sponte abdicasse, & in ejus locum, suffragiis omnium Metropolitanorum totiusque Cleri seipsum suffectum esse, vimque ab Imperatore *Michaele* sibi factam mentiebatur, ut Patriarchali throni fastigium ascenderet. Lectis & diligenter examinatis literis *Photii*, *Nicolaus I.* Summus Pontifex Legatos misit in Orientem, quibus in mandatis dedit, ut inquirerent, quam ob causam Ignatius Episcopatu cessisset, & utrum in ejus depositione, Canonum tenor fuisset observatus? Constantinopolim cum pervenissent Sedis Apostolicæ Legati, seu minis concussi, seu muneribus a Photio vaferrimo sycophanta inescati, ministerium suum fœda proditione dehonestarunt, & favorem omnem ac patrocinium ei polliciti sunt. Ea Legatorum ignavia in securitatem elatus Photius Synodum Constantinopoli coegit, in qua assentientibus Legatis Summi Pontificis *Rodoaldo* videlicet Portuensi, & *Zacharia* Anagniæ Antistite, S. Ignatius damnatus ac Sede depositus est, nulla veritatis & æquitatis, nulla Sacrorum Canonum disciplinæ Ecclesiasticæ habita ratione. Hæc ubi perspecta habuisset Nicolaus I. Legatos Constantinopolim a se missos, tanquam indignos prævaricatores damnavit, & habita Romæ Synodo *Photium* proscripsit, Sede deposuit, & *Ignatium* legitimum Patriarcham restituit. At, statim ac Photius accepisset, se proscriptum fuisse Romæ veluti Sedis alterius, Ignatii scilicet, invasorem; classicum cecinit, & in rabiem actus literas Encyclicas ad Orientis Patriarchas contra Ecclesiam Romanam dedit, Nicolaum primum Romanum Pontificem semel & iterum duobus in Conciliabulis a se Constantinopoli congregatis (proh scelus!) anathemate feriit, & tractatum edidit adversus Latinorum dogmata, eorumque mores, cujus nonnulla fragmenta passim extant in Operibus *Leonis Allatii*. Nec his contentus *Photius*, ut schisma, quod meditabatur, magis ac magis promoveret, persuasit *Michaeli* Imperatori, & *Bardæ* Cæsari ejus avunculo, ut decretum de Fide emitterent, quo Latinorum de Spiritus Sancti a Patre & Filio processione doctrina, insuper & Presbyterorum Romanorum vita cœlebs, jejunium Sabbati, & alia ejusmodi Latinorum disciplinæ Capita acriter perstringerentur. Nulla quidem hujusce Imperialis Decreti memoria impræsentiarum superest apud Græcos, *Ratramnus* tamen Monachus Corbejensis Scriptor coævus, & testis locuples, qui calumnias, quas Græci impingebant Latinis, quatuor libris dedita opera confutavit, diserte asserit initio libri primi, hoc Decretum datum esse ab Imperatoribus *Michaele*, & *Basilio*: sic enim habet: *Oppositorum, quibus Michael, & Basilius Græcorum Imperatores Romanam Ecclesiam infamare conantur, vel falsa, vel heretica, vel irreligiosa fore cognoscuntur*. Illud Græcorum Imperatorum Decretum, simul & famosos libellos, quos Photius adversus Ecclesiam Romanam scripserat, a Nicolao primo Summo Pontifice ad Galliarum Episcopos fuisse missos, ut eos refellerent, & laboranti Ecclesiæ succurrerent, colligitur ex Epistola *Hincmari* Archiepiscopi Remensis ad *Odonem* Antistitem Bellovacensem: *Domnus Apostolicus*, inquit Hincmarus, *communiter nobis & aliis Episcopis Regni Domini Nostri Caroli Epistolam misit, in qua continetur, quod Græci tam Ecclesiam Romanam specialiter quam omnem generaliter, quæ lingua latina utitur, conantur reprehendere, quia jejunamus in Sabbatis, quod Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere dicamus, cum ipsi hunc tantum ex Patre procedere fateantur. Dicunt præterea, nos abominari nuptias, quia Presbyteros sortiri conjuges inhibemus: quod tamen Chrisma nos ex aqua fluminis conficere fallaciter arbitrantur, reprehendere nihilominus moliuntur: eo quod octo hebdomadibus ante Pascha a carnium, & septem hebdomadibus a casei & ovorum esu more suo non cessamus.*

Has

Has Græcorum confutandi objectiones sibi a Nicolao I. Romano Pontifie demandata provincia impigre, & egregie defuncti sunt Episcopi Gallicani. (*a*) Non resipuit tamen Photius, nec a Sede Patriarchali Constantinopolitana, quam injuste invaserat, nec a schismate, cujus ipse auctor erat, recedere voluit. Quare, ut his Ecclesiæ, præsertim Constantinopolitanæ, malis præsentissimum adhiberet remedium Hadrianus II. Pontifex Maximus & Nicolai I. successor, generale Concilium Constantinopoli celebrari jussit, quod imperante *Basilio* convocatum est anno 869. & est octavum Concilium OEcumenicum, seu quartum Constantinopolitanum, in quo damnatus est *Photius*, & Sedi Constantinopolitanæ restitutus *Ignatius*, sicut latius expendemus in sequenti Colloquio. Verum, hac damnatione nihilo modestior factus est Photius. Quamvis enim solido exilii sui decennio nihil aperte contra S. Ignatium, quem Synodi OEcumenicæ sententia, Romani Pontificis patrocinio, & Imperatoris *Basilii* gratia securum videbat, moliri ausus fuerit, eo tamen vix defuncto Sanctissimo Patriarcha, *Photius* facilitate Imperatoris *Basilii*, & nimia Joannis VIII. indulgentia abusus, communionem Ecclesiæ, Sedemque Constantinopolitanam, ex qua detrusus fuerat a Concilio octavo generali, recuperavit; & inter utramque Ecclesiam, Græcam videlicet ac Latinam, perpetuæ discordiæ semina serere ac fovere non destitit. Quo factum est, ut post mortem *Basilii* Imperatoris *Leo* ejus filius & in Imperio successor, vulgo *Sapiens* cognominatus, *Photium* in suo schismate perseverantem e Patriarchali solio dejectum in exilium ablegaverit, sicque extincto schismate, pax & concordia inter ambas Ecclesias, Græcam scilicet & Latinam, perseveraverit usque ad undecimum Ecclesiæ sæculum, quo *Michael Cerularius* Patriarcha Constantinopolitanus schisma Photianum renovavit, sicut ostendemus in nostris Colloquiis in Historiam undecimi Ecclesiæ sæculi texendo seriem Patriarcharum, qui eo sæculo Sedem Constantinopolitanam tenuerunt. Hic tantum breviter observasse sufficiat, *Sisinnium* II. Patriarcham Constantinopolitanum, qui ab anno DCCCCXCVI. usque ad an. DCCCCXCIX. sedit, tentasse quidem restaurare schisma Photii mittendo suo nomine Epistolam Encyclicam Photii ad Patriarchas Orientis adversus Latinorum de Spiritus Sancti a Patre, Filioque processione doctrinam, illud tamen schisma, cujus renovationem meditabatur, suscitare non potuisse, nec communionis vinculum inter utramque Ecclesiam Græcam & Latinam abrumpere. *Sisinnio* II. in Sede Constantinopolitana successit *Sergius*, qui ejusdem ac Photius cum generis esset, ipsius quoque erga Romanam Ecclesiam invidentiæ hæredem se se prodidit, & easdem a Photio in eam jactas calumnias refricuit, coactaque Synodo confirmavit. Falsum tamen est quod dictitant recentiores Græci Schismatici, hunc *Sergium* Patriarcham Constantinopolitanum nomen Romani Pontificis Sacris e Diptychis expunxisse, & negotium separationis Ecclesiæ Græcæ a Latina ad exitum perduxisse. Id, inquam, falsum esse tribus momentis evinci potest. Primo, quia *Petrus* Patriarcha Antiochenus circa annum MLIV. Michaeli Cerulario asseverante hunc in modum scribebat: *Ipse quoque testis sum irrefragabilis, & alii mecum plerique ex Ecclesiasticis Primatibus sub Beatissimo Patriarcha Joanne, Pontificem Romanum, & ipsum Joannem nuncupatum, in Sacris Diptychis commemorari. Et ante annos quadraginta, & quinque Constantinopolim cum appulissem sub beata memoria Sergio jam dictum Papam, inter sacra Missarum solemnia cum aliis Patriarchis commemorari audivi. Quomodo vero postea ejus commemoratio erasa sit, & quam ob causam ignoro*. Hanc Petri Antiocheni Epistolam refert *Leo Allatius* lib. 2. *de perpetua consensione* cap. 1. Præterea, tantum abest ut *Sergius* Patriarcha Constantinopolitanus schisma renovaverit, ut potius sub *Eustathio*, qui post Sergium Patriarchatu Constantinopolitano ab Imperatore Basilio Bulgaricida donatus fuit, pax, & concordia inter utramque Ecclesiam Latinam, & Græcam adhuc vigeret. Narrat siquidem *Leo Allatius* ex *Galbro Rodulpho* Monacho Cluniacensi, qui hac ipsa ætate scribebat, *Eustathium* in Sede Constantinopolitana successorem Sergii, & alios Græcos Romam missos esse cum muneribus, atque a Summo Pontifice Joanne XIX. postulasse, ut liceret Constantinopolitanam Ecclesiam in suo Orbe, velut Romana in universo, appellari *universalem*; idque *Joannem* Papam paratum fuisse Græcorum votis clanculum annuere; fuisse vero deterritum gravissimis litteris *Vuillelmi* Abbatis Monasterii S. *Benigni* Divionensis. Quod sane manifesto probat, nullum tunc temporis extitisse schisma Græcos inter, & Latinos. Denique, *Manuel Calecas* Auctor Græcus Ordinis Prædicatorum lib. 4. *adversus Græcos*, & Anonymus MS. libelli *de Translationibus Episcoporum* apud Leonem Allatium lib. 2. *de perpetua consensione* cap. VIII. affirmant, septemdecim Sedis Constantinopolitanæ Patriarchas, qui Photio usque ad Michaelem Cerularium successerunt, pacem, & communionem cum Italis, seu cum Ecclesia Latina habuisse. Quæ omnia evincunt, Shisma Photianum non fuisse, nisi undecimo Ecclesiæ sæculo, instauratum a Michaele Cerulario Patriarcha Constantinopolitano, qui Romani Pontificis nomen e sacris Diptychis expunxit, & Ecclesiam Græcam a Latina penitus separavit. Sed de Schismate a Michaele Cerulario suscitato fuse differemus in nostris Colloquiis in Historiam undecimi Ecclesiæ sæculi. (*b*)

„ (*a*) Photii cavillationes hasce nullo validiori „ argumento refutari melius arbitror, quam producto in medium judicio Theophylacti, viri „ schismati Græcorum addictissimi & in Latinos „ maxime infensi, adversus quos opusculum scripsit „ *de erroribus Latinorum*, postremis hisce annis „ vulgatum legendumque in nova editione Theo„ phylacti veneta an. 1753. Hæc vero ibi: *si vere eo dogmate recto constituto* (nempe de pro„ cessione Spiritus Sancti a solo Patre) *ac novitate sublata* (nempe additamento ad Symbolum)

H 2 „ pres-

„ *presbyteri eorum azyma & jejunia sua impensius adament, & recusent, tametsi nos in mansuetudine spiritus postulemus, in istis quoque nobiscum concordes fieri, in hoc tu esto Paulus, qui iis qui sub lege erant factus est, & se purificavit & rasit*. In ipso autem opusculi exordio fatetur non adeo multa esse, in quibus Græca Ecclesia merito a Latina dissentiat; tum addit: *Neque enim multos eorum* (Latinorum) *errores esse scimus; neque tales, qui ad discindendas Ecclesias sint idonei, quandoquidem nullum est, quod ad ipsum fidei caput pertineat*. Excedere tamen in his postremis verbis, fateor, sapientissimum Scriptorem; processio enim Spiritus a Patre & Filio velut ab uno eodemque principio rem esse fidei agnoscendum & profitendum est.

(*b*) „ Mirari subit cur in acclamationibus quotannis iterandis a Græcis in Dominica Orthodoxiæ, de quibus in notis superioribus sæpe admonuimus, eædem faustæ acclamationes fierent Ignatio pariter, & Photio, quin & anathema pariter dictum fuerit iis omnibus quæ *scripta, aut dicta* fuerant in *Sanctos Patriarchas Tarasium, Stephanum, Photium, Antonium, & Nicolaum*. Cum enim Patriarchæ illi, Ignatius & Photius, adeo inter sese pugnasse visi fuerint, non satis utique assequor, cur scripta adversus utrumque eodem anathemate obvolvi potuerint. Literæ illæ acclamationum sub Theodora & Michaele VI. nempe circa medium sæculi XI. prodierunt.

D. Sæpius audivi a Viris eruditis, hanc voculam *Filioque* additam Symbolo in causa fuisse, cur Græci sese ab Ecclesia Romana separaverint. Velim igitur scite quandonam hæc particula *Filioque* inserta fuerit Symbolo, & an illius additio legitima extiterit ratio, cur Græci a Romana, & totius Occidentalis Ecclesiæ Communione deficerent?

M. In præfigendo tempore, quo hæc vocula *Filioque* addita fuit Symbolo, seu quo publice cœpit de Spiritu Sancto decantari in Ecclesia: *Qui a Patre, Filioque procedit*, non una omnium Scriptorum est sententia. S. *Thomas* in prima parte summæ Theologicæ vocem *Filioque* censet Symbolo additam esse *in quodam Concilio generali*, quod nonnulli asserunt fuisse Concilium generale Constantinopolitanum primum, alii Concilium septimum Œcumenicum, quod est Nicænum Secundum. Id tamen, ut candide fatear, omnino incertum est; & in hoc solo consentiunt Scriptores Latini, quod velint ante Schisma Photianum multis in Regnis & Provinciis in Occidente jampridem invaluisse usum canendi in Missa Symbolum cum vocula *Filioque*, hujusque additamenti primos Auctores fuisse Hispanos. Toletana siquidem Synodus tertia, regnante in Hispaniis *Reccaredo*, celebrata anno DLXXXIX. recitavit Symbolum Nicænum, moxque Constantinopolitanum cum his verbis: *Qui a Patre Filioque procedit*. Idem Symbolum cum additione illius particulæ *Filioque* recitatum fuit in Conciliis *Toletano* Octavo ann. DCXII. *Emeritano* an. DCLXVI. *Toletano* duodecimo, ac decimo tertio, Bracarensi quarto, & Toletano decimo quinto. Galli Hispanos æmulati sunt, & sub finem octavi sæculi, postquam videlicet auditum est, Græcos negare Spiritum Sanctum ex Filio procedere, Symbolum Constantinopolitanum particula *Filioque* auctum, in Conciliis Gentiliaco, & Francofordiensi inter Missarum solemnia cani debere præceperunt. Tardius tamen a Romanis hæc vox *Filioque* adjecta Symbolo suscepta fuit, idque doctissimus *Pagius*, aliique Viri eruditi non credunt ante contigisse, quam Symbolum Romæ cani cœptum est, hoc est, ante ann. MXIV. quo *Henricus* Imperator apud Benedictum Octavum Summum Pontificem egit, ut ad publicam Missam in Ecclesia Romana Symbolum concineretur, quemadmodum in Germania jampridem solitum erat. Hoc tamen nonnisi ægre Imperator obtinuit, Romanis Presbyteris minime probantibus concini Symbolum fidei in sua Ecclesia, quæ intemeratam fidem hactenus servaverat. Quocirca, *Baronius*, & *Spondanus* ajunt: *placent ista: sed nobis gratius si venerandæ antiquitati annorum mille magis delatum esset, quam novitati*. Porro, hæc additio voculæ, *Filioque*, occasio, seu prætextus fuit firmandi perpetui Schismatis, quod undecimo Ecclesiæ sæculo instauravit *Michael Cerularius* Patriarcha Constantinopolitanus. Dictitabant siquidem Græci, sancitum olim fuisse Canone speciali Synodi Ephesinæ generalis, *licere nemini fidem alteram proferre, vel conscribere, vel componere, præter eam, quæ a Sanctis Patribus Nicææ congregatis definita est*. Ex quo inferebant, non potuisse, nec debuisse Romanum Pontificem toti Ecclesiæ communi Symbolo hanc vocem *Filioque* addere. Verum, hunc fuisse vanum Græcorum prætextum duplici potissimum argumento demonstro. Primo, quia Romanus Pontifex hanc voculam *Filioque* interseri tandem consensit, quod eam aliæ jam Occidentis Ecclesiæ ad fidei confirmationem, & uberiorem explicationem dogmatis de Processione Spiritus Sancti necessariam jam olim censuerant admittendam. Nec contra adductum Canonem Ephesinum peccavit Romanus Pontifex, dum huic voculæ *Filioque* Symbolo adjectioni consensit, quia etsi ille Canon prohibeat alteram fidem conscribere præter Nicænam, nihilosecius ab eodem Concilio Ephesino constat admissum esse Symbolum Constantinopoli editum, hoc est, Symbolum Nicænum, variis declarationibus, immo non paucis articulis auctum, unde facile colligitur, Patres Concilii Ephesini eo vocabulo *alterius fidei*, quam conscribi vetat, non formulam, quæ explicationem Christianæ doctrinæ normam doceret, prohibere voluisse, sed eam dumtaxat inhibuisse componi fidei Formulam, quæ spuria & peregrina dogmata complecteretur. Hunc enim Canonem ediderunt Patres Ephesini propter Formulam quamdam Nestorianam, quam *Charisius* Presbyter eis detulerat. *Si ergo*, ut verbis utar

Hugo

Hugonis Etheriani lib. 3. *de Hæresibus*, *quas Græci in Latinos devolvunt* capite decimo sexto, *Constantinopolitana Synodus Niceno adjecit Symbolo: In Spiritum Sanctum Dominum & vivificantem, & ex Patre procedentem. Si Chalcedonensis quoque Synodus Constantinopolitano adjecit Symbolo: Perfectum in divinitate & perfectum in humanitate, & Consubstantialem matri secundum humanitatem, Consubstantialem patri secundum divinitatem, nulla insimulatione, nulla reprehensione, nulla calumnia notandus est antiquioris Romæ Antistites, quod causa interpretationis dictionem unam (dico autem ex Filio procedere Spiritum Sanctum) Sanctorum plurium Episcoporum, Sanctissimorumque Cardinalium consensu habito apposuerit.* Secundo, Romanus Pontifex vocem *Filioque* Symbolo adjicere Latinis tantum concessit, ut in Ecclesiis Occidentis recitaretur Symbolo, nec nullo Decreto Græcos ad idem faciendum adstrinxit, quin potius in Concilio Lugdunensi secundo licet a Græcis simul & Latinis cantatum sit intra Missarum solemnia: *Qui ex Patre Filioque procedit*, nequaquam tamen Græci ad Symbolum cum hoc additamento deinceps & perpetuo recitandum obstricti fuerunt, eaque conditione fœdus iniri postulavit Michael Palæologus Græcorum Imperator, *ut sua Ecclesia Symbolum semper dicat, prout dicebat illud ante Schisma usque in hodiernum diem*. Quam pacis conditionem Summus Pontifex Gregorius X. & Episcopi ultro approbarunt; idem concesserunt Græcis Patres Concilii Florentini sessione 25. & Clemens Octavus Bulla XXXIV. decrevit *ut Græci credere teneantur, Spiritum Sanctum ex Filio procedere, sed non teneantur pronunciare, nisi subesset scandalum*. Ea de causa Græci, qui Romanam Ecclesiam colunt, Symbolum libere recitant sine additamento vocis *Filioque*. Quæ cum ita sint, nemo est, qui non videat additionem istius voculæ *Filioque* ad uberiorem fidei elucidationem Symbolo ab Ecclesia Romana insertæ non fuisse legitimam rationem, cur Græci, facto Schismate, ab Ecclesia Latina deficerent. Quapropter crediderim ipse primam mali labem, seu veram istius Græcorum Schismatis causam petendam esse a Patriarcharum Constantinopolitanorum ambitioso conatu, quo jura sibi arrogabant æqualia iis, quibus Romana & Apostolica Sedes potiebatur, ita ut *Œcumenici*, idest Orbis Patriarchæ appellari vellent. Illis constanter, ut par erat, restitere Pontifices Romani usque ad *Michaelem Cerularium* Patriarcham Constantinopolitanum, qui undecimo sæculo ambitionis æstu abreptus Sedi Apostolicæ subesse detrectavit. Post obitum Michaelis Cerularii sæpe actum est de reconciliatione ambarum Ecclesiarum, prout Græcorum Imperatores promovendis rebus suis eam utilem aut necessariam esse judicabant, & in Conciliis generalibus Lugdunensi secundo, Florentino, & Lateranensi IV. Græci cum Latinis concordiam inierunt. Sed ejusmodi uniones nullum fructum tulerunt, quia Græci non aliam Latinis quam græcam fidem dederunt. Si plura de Græcorum Schismate, & de præcipuo illorum errore *de Processione Spiritus Sancti a solo Patre* scire desideres, legesis Dissertationem XVIII. nostri *Natalis Alexandri* in Panoplia adversus Hæreses sæculorum noni, & decimi, & aliam Dissertationem, quæ est ordine prima inter Dissertationes Damascenicas, quas doctissimus noster *Michael le Quien* præfixit fronti Editionis, quam adornavit, Operum S. Damasceni.

D. Cum *Photius* Patriarcha Constantinopolitanus varios Latinorum ritus ab Orientalis Ecclesiæ ritibus discrepantes acriter insectando, nullam de Azymis litem Latinis intenderit, facile adducor ut credam cum *Sirmondo*, cujus Opusculum de *Azymo* jam in præcedentibus nostris Colloquiis citasti, necdum tempore Photii azymorum usum in Ecclesia Romana fuisse receptum. Alioquin, cum Ecclesia Græca semper in Fermentato consecraverit, omni procul dubio *Photius* Latinorum de azymis ritum improbasset, si jam suo tempore Ecclesia Romana eorum usum recepisset, idest, si panes dumtaxat azymos in Sacrificio Missæ adhibuisset.

M. Circa azymorum apud Latinos antiquitatem tres præcipue versantur Theologorum sententiæ. Prima est *Sirmondi* Societ. Jesu, qui in Disquisitione de *Azymo* contendit, usum Fermentati octingentis & amplius annis in Ecclesia Latina solemnem fuisse, usum vero azymorum medio illo intervallo, quod a Schismate Photii usque ad Michaelem Cerularium effluxit, fuisse dumtaxat in ea receptum. Altera sententia est Cardinalis *Bona* libr. 1. *Rerum Liturgicarum* cap. 23. quæ in hoc tantum discrepat ab opinione Sirmondi, quod Sirmondus per octingentorum & amplius annorum spatium excludat in Ecclesia Romana azymorum usum; at vero Cardinalis *Bona* usum tam azymi, quam fermentati promiscue & licite per ea sæcula in Ecclesia Romana adhibitum esse doceat. Postrema sententia est doctissimi *Joannis Mabillonii*, qui tam in Præfatione sæculi III. Benedictini, quam in Dissertatione singulari *de Pane Eucharistico azymo & fermentato* probat, perpetuum fuisse in Ecclesia Latina ab Apostolorum temporibus azymorum usum. Inter tres illos laudatos primi subsellii Scriptores, rem acu tetigisse videtur Cardinalis *Bona*, qui asserit, Ecclesiam Romanam per octingentorum & amplius annorum spatium panem sive azymum, sive fermentatum pro variis temporum, locorum, & personarum circumstantiis indiscriminatim adhibuisse. Suppetunt siquidem gravissima monumenta, queis evincitur, Ecclesiam Latinam per multa sæcula pane tam azymo, quam fermentato in consecratione Eucharistiæ indifferenter usam fuisse. Azymorum apud Latinos ab ipsis Apostolorum temporibus usum probant omnia argumenta, quæ adducit Mabillonius, & præsertim testimonium Sancti *Leonis* IX. Romani Pontificis, qui adversus Michaelem Cerularium Patriarcham Constantinopolitanum scribens, asserit, a morte Christi Salvatoris nostri usque ad suum Pontificatum, hoc est per

per mille ac ferme viginti annos Ecclesiam Romanam azymos panes in Missæ Sacrificio adhibuisse. Verum, quemadmodum ex Mabillonii argumentis evincitur, antiquissimum esse in Ecclesia Romana usum consecrandi in pane azymo, ipsisque Apostolorum temporibus coævum, ita minus evidentia extant argumenta, quibus probatur, Ecclesiam Romanam per aliquot sæcula panem tam fermentatum, quam azymum in confectione Eucharistiæ adhibuisse. Id primo colligitur ex more, qui antiquitus in Ecclesia obtinebat, juxta quem populus Christianus, sicut legitur in multis Conciliis, panem a Sacerdote consecrandum in Sacrificio Missæ offerebat, quem deinde in sacra Communione participaret. Porro, hic panis, quem offerebat populus, & quem Sacerdos consecrabat, alius sane non erat, quam panis communis & usitatus, cum in primis Ecclesiæ sæculis, grassante atrociter Tyrannorum persecutione, sæpe in cryptis & in carceribus, sæpe occulte & ex occasione Sacrificium Missæ celebrari oporteret, nec azymum ubique conficere, aut paratum fideles, præsertim pauperes, habere haud possent. Hinc Tertullianus lib. 2. ad uxorem cap. 5. ait: *Non sciet maritus quid secreto ante omnem cibum gustes, & sciverit panem, non illum credet esse qui dicitur.* Facile autem scire potuisset maritus, vel saltem aliquid suspicari, si panis, quem mulier ad Sacrificium offerebat, & quem a Sacerdote consecratum domi clanculum, vel coram marito manducabat, non fuisset usitatus, seu fermentatus. Externa enim species, quam hic panis consecratus a specie panis communis, idest, fermentati, diversam habuisset, aliquam confestim suspicionem marito ingessisset. Id etiam confirmari potest diserto testimonio Sancti Ambrosii lib. 4. *de Sacramentis* cap. 4. sic fidelem alloquentis: *Tu forte dicis: meus panis est usitatus? Sed panis iste panis est ante verba Sacramentorum, ubi accesserit consecratio, de pane fit Caro Christi.* Panem autem azymum nemo, quem sciam, appellavit unquam panem *usitatum*. Adhæc, accedunt Decreta Romanorum Pontificum *Melchiadis, Siricii*, & *Innocentii Primi*, qui, oblationes in altari consecratas appellant *Fermentum*. De Melchiade hæc in ejus Vita leguntur. *Hic fecit ut oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum.* Idem de *Siricio* Papa legitur in ejus Vita. *Innocentius* vero hujus nominis Primus in Epistolam, quam scripsit ad Eugubinum Episcopum, vetat, ne Fermentum a se confectum, quod per titulos Urbis Romæ, idest per Parochias mitti solemne erat, extra Urbem per Parochias deferretur, *quia*, inquit, *non longe portanda sunt Sacramenta*, quibus verbis aperte innuere videtur Summus ille Pontifex, *Fermentum* istud fuisse Sacro Sanctam Eucharistiam, non vero *Eulogias* simplices, ut visum est Baronio; Eulogias siquidem longe deferri nihil omnino prohibebat. Præterquam quod hæc *Consecrationis* vox, quam usurpant Summi Pontifices *Melchiades*, & *Siricius* cum loquuntur de hoc *Fermento*, quod per Ecclesias mittebatur, non obscure insinuat, hoc *Fermentum* non fuisse *Eulogias*, quæ, ut constat apud omnes, in altari non consecrabantur, sed solum precibus benedicebantur, & in Symbolum Catholicæ in fide, & in charitate communionis fidelibus distribuebantur, & ad absentes, juxta priscum Ecclesiæ usum, deferebantur. His itaque momentis patet, Ecclesiam Romanam per aliquot sæcula panem tam azymum, quam fermentatum in consecratione Eucharistiæ promiscue adhibuisse, ac subinde mirum non esse, quod Photius Patriarcha Constantinopolitanus, dum perstrinxit Latinorum ritus, nullam eis litem de azymis moverit, cum Ecclesia Romana tempore Photii consuetudinem adhuc retineret conficiendi Eucharistiam tam in pane azymo, quam in fermentato. At in undecimo Ecclesiæ sæculo *Michael Cerularius* Patriarcha Constantinopolitanus controversiam contra Latinos *de azymis* excitavit, & propter eorum usum Latinam Ecclesiam proscidit, quia Ecclesia Latina illo temporis intervallo, quod Photium inter & Cerularium intercessit, non permisit amplius promiscuum usum conficiendi Eucharistiam in pane seu azymo, seu fermentato, sed sanxit, ut deinceps in solo pane azymo Latini Eucharistiam consecrarent. Hic tamen obiter velim observes, quod licet Ecclesia Romana permittat etiamnum Græcis Catholicis usum consecrandi Eucharistiam in pane fermentato, usus tamen Ecclesiæ Romanæ in azymo consecrantis longe Scripturæ Sacræ convenientior est, quippe qui defenditur exemplo Christi Domini, quem in azymo, pridie quam pateretur, Sacro-Sanctam Eucharistiam instituisse, ex sacris Evangelistis *Matthæo*, *Luca*, & *Marco*, omnique argumentorum genere demonstravi speciali Dissertatione in Tractatu, quem edidi, *de Mysteriis*, & *annis Christi*, quam, si tibi per otium liceat, lectitare poteris.

D. Narrabat mihi nuperrime quidam *Scoti* Discipulus, subtilem suum Doctorem in IV. Sent. Distinct. 11. quæst. 5. docere, quod *sub Leone Papa* (sunt ipsissima *Scoti* verba, quæ adhuc memoria teneo) *fuit hæresis servans legem cum Evangelio. Et tunc ne viderentur Latini servare legem Judæorum, præceptum fuit conficere in pane fermentato. Sed quando rediit fides, & invaluit, usi sunt Latini pane azymo.* An illa *Scoti* Doctoris subtilis historia vera sit, vel fabulæ loco haberi debeat, paucis declarare non te pigeat.

M. Ubinam gentium subtilis Doctor *Scotus* hanc Historiam expiscatus fuerit, plane me fugit. Certe nihil ejusmodi legitur in scriptis illius Pontificis Romani, qui *Leonis* nomine fuit donatus. Altum quoque ea de re in Epistolis Leonis IX. Papæ silentium. Nullum apud veteres Historicos istius narratiunculæ vel minimum apparet vestigium. Hanc igitur Historiolam summo omnium antiquorum silentio falsitatis convictam, & citra ullam probationem a *Scoto*, aliisque nonnullis Scriptoribus Scholasticis memoriæ proditam omnes hujus temporis Viri eruditi jure merito rejiciunt, eamque inter aniles fabulas ablegandam esse consentiunt, quorum judicio utroque pollice lubens subscribo.

D. Præter illas Controversias nono Ecclesiæ sæculo excitatas, quas hactenus accurate exposuisti, prodieruntne aliquæ Hæreses, quæ Fidei Catholicæ doctrinam oppugnarint?

M. Hæ-

M. Hæresim *Vigilantii*, qui, ut jam diximus in nostris Colloquiis in Historiam quinti Ecclesiæ sæculi, sacrarum Reliquiarum venerationem, Sanctorum cultum & invocationem, necnon sacras peregrinationes damnabat, instauravit nono Ecclesiæ sæculo *Claudius* natione Hispanus, sicut testatur *Jonas* Aurelianensis initio lib. I. de *Cultu Imaginum*, non vero Hibernus, ut fert communis error, quem secutus est *Usserius*. Hic *Claudius*, cum ex Hispania in Gallias venisset, in Palatio *Ludovici Pii* Imperatoris versatus est, ubi Presbyteri munia obivit, & ejusdem Principis clementia Episcopus Taurinensi subrogatus est Ecclesiæ, quo fit ut vulgo nuncupetur *Claudius Taurinensis*. Adversus errores, quos sparsit ille Hæreticus, & quibus infestavit Ecclesiam, perdocte scripserunt *Jonas* Aurelianensis Episcopus, & *Dungalus* Diaconus noni sæculi Scriptores, quorum Opera recensebimus in Colloquio quinto, in quo agemus de Viris illustribus, qui nono sæculo floruerunt, ibidemque referemus libros, quos edidit *Claudius Taurinensis* Hæreticus Antistes.

Eodem sæculo nono *Joannes Scotus Erigena* varios profudit errores, præcipue circa prædestinationem, quam juxta Pelagianorum hæresim explicabat; & circa Eucharistiam, quam verum Christi Corpus, verumque Sanguinem continere infrunito ore negavit, asseruitque, eam dumtaxat esse memoriam, & figuram Corporis Christi Domini. Quocirca hic *Joannes Erigena* prælusit *Berengario*, qui undecimo Ecclesiæ sæculo *Sacramentariorum* parens fuit, & ad suum adstruendum errorem, Scripturæ & traditioni omnino oppositum, infausto maleque nato Joannis Scoti Erigenæ libro plurimum usus est. Sed *de Joanne Scoto Erigena*, ejusque Operibus plura in Colloquio quinto dicemus.

COLLOQUIUM IV.

De Conciliis, quæ ad Fidem stabiliendam, & sanciendam Ecclesiæ disciplinam, nono sæculo fuerunt convocata.

D. CUm Ecclesia ad dirimendas fidei Controversias & sanciendam Ecclesiæ disciplinam Concilia celebrare soleat, Colloquium nostrum ab his Conciliis auspicari debemus, quæ nono sæculo in causa Gothescalci Monachi Corbejensis, & Photii Patriarchæ Constantinopolitani habita sunt. Deinde ad ea progrediemur Concilia, quæ eodem sæculo ad resarciendam Ecclesiæ collapsam disciplinam variis in locis fuerunt convocata.

M. Causa Gothescalci in sex Conciliis, *Moguntino* videlicet, duobus *Carisiacis*, *Valentino III. Lingonensi*, & *Tullensi* ventilata ac discussa fuit. Concilium Moguntinum adversus Gothescalcum anno DCCCXLVIII. in Urbe Moguntina indixit *Rabanus* ejus Urbis Archiepiscopus, cui Gothescalcus professionem suam, quam edidit *de gemina Prædestinatione*, obtulit, una cum libello, in quo eumdem Archiepiscopum in quæstionibus de libero arbitrio, de Voluntate Dei, & de Redemptione Sanguinis Christi pro omnium salute effusi Semipelagianismi insimulavit. In hoc Concilio Moguntino damnatus est Gothescalcus, & ad Archiepiscopum Remensem suum Metropolitam remissus est. Gothescalci causæ cognitionem suscepit *Hincmarus*, eoque instigante in Synodo apud *Carisiacum*, vulgo *Kiersi*, Villam Regiam super Isaram in pago Suessionensi, congregata, non solum damnatus est miserabilis ille Monachus, sed etiam verberibus castigatus libellum, in quo doctrinam suam exposuerat, eamque Scripturæ Sacræ & Sanctorum Patrum præsertim Sancti Augustini menti consentaneam esse pertendebat, coram Patribus igni tradere compulsus est, & in ergastulo cellæ Monasterii Altivillarensis reclusus fuit, ne doctrinam suam, quam Patres Synodi Carisiacæ hæreticam judicarant, aliis instillaret, latiusque propagaret. Alteram Synodum Carisiacam anno DCCCLIII. indixit Hincmarus, in qua ad reprobandam Gothescalci doctrinam quatuor condita sunt Capitula, quorum primum est: *Quod una tantum sit prædestinatio Dei*. Alterum. *Quod liberum hominis arbitrium per gratiam sanetur*. Tertium: *Quod Deus omnes homines velit salvos fieri*. Quartum: *Quod Christus pro omnibus hominibus passus sit*. Verum, hæc Synodi Carisiacæ in Gotescalcum agendi ratio, sicut & quatuor laudata Capitula, quæ ad configendam Gothescalci doctrinam condidit eadem Synodus, valde displicuerunt Patribus Concilii Valentini III. quod jussu *Lotharii* Imperatoris convocatum est anno DCCCLV. & cui quatuordecim Episcopi trium Provinciarum Lugdunensis, Viennensis, & Arelatensis interfuerunt. In hoc siquidem Concilio Valentino congregati isti Episcopi, circa quæstiones de Prædestinatione, & Voluntate Dei salvandi homines, & de Redemptione Sanguinis Christi pro salute hominum effusi, quas *Gothescalcus* & *Joannes Scotus Erigena* in Ecclesiam invexerant, de quibus in Synodo Carisiaca ante biennium actitatum fuerat, ac de quibus contra Synodum Carisiacam scripserat Ecclesia Lugdunensis; circa, inquam, controversas illas quæstiones Episcopi congregati in Synodo Valentina tertia ediderunt sex Canones, quibus non solum in sententiam omnino contrariam doctrinæ quatuor Capitulis Carisiacis comprehensæ descendere videntur, sed etiam conceptis verbis Canone quarto explodunt & gravi censura perstringunt quatuor prædicta Capitula his verbis: *Porro Capitula quatuor, quæ a Concilio fratrum nostrorum minus prospecte suscepta sunt, propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati; Sed & alia novendecim syllogismis ineptissime conclusa, & licet jactetur, nulla sæculari literatura nitentia, in quibus commentum Diaboli potius, quam argumentum aliquod fidei deprehenditur, a pio auditu fidelium penitus explodimus, & ut talia & similia caveantur, per omnia auctoritate Spiritus Sancti interdicimus*. Doctrinam Patrum Concilii Valentini, circa quæstiones controversas sex Canonibus expressam, & quatuor Capitulis Carisiacis oppositam, suo calculo comprobarunt Patres Concilii Lingonensis celebrati anno octingentesimo quinquagesimo nono, & Episcopi ex duodecim Provinciis eodem anno congregati in Synodo Tullensi apud Saponarias, assidentibus *Carolo Calvo*, ejusque nepotibus *Lothario* & *Carolo* Regibus.

D. Necdum, ut candide fateat, satis capio, cur Patres Concilii Valentini tertii damnarint quatuor Capitula, quæ in Synodo Carisiaca condita sunt, Fidemque Catholicam adstruunt, qua tenemur credere, & confiteri, Deum velle omnes salvos fieri, & Christum Servatorem nostrum pro omnibus hominibus esse passum. Certe nunquam adduci potero ut credam, Episcopos Concilii Valentini in hoc fidei dogmate, quod fidelibus semper credendum proposuit Ecclesia Catholica, ab Episcopis Carisiacæ Synodi dissentire voluisse.

M. Patres Synodi Valentinæ tertiæ ideo damnarunt quatuor Capitula Carisiaca, & præsertim quartum, quo statuitur, Christum pro omnibus hominibus mortuum fuisse, quia errore facti putarunt, Auctores Capitulorum Carisiacorum definire voluisse, Christum eadem ratione, eodemque plane sensu esse mortuum pro iis, qui in infidelitate vel impietate sua mortui, vel morituri sunt, ac pro illis, qui per gratiam Christi sanctificati in ea perseverant & salvantur. Hunc, inquam, perversum sensum, quem Patres Concilii Valentini capitulo IV. Carisiaco errore facti tribuerunt, damnare dumtaxat voluerunt, sed revera illius quarti Capituli Carisiaci doctrinam recte intellectam non attigerunt. Carisiaci enim illius Capituli sensus verus & genuinus est, Christum sufficienter quidem mortuum esse pro impiis, qui in impietate mortuus sunt, licet efficaciter tantum pro illis mortuus sit, qui salutem æternam consequuntur. Hunc verum quarti Capituli Carisiaci sensum a Patribus Synodi Valentinæ non fuisse damnatum, patet primo, quia si illum condemnassent, hæc damnatio recideret in S. Prosperum, ex cujus verbis Capitulum istud quartum Carisiacum concinnatum est. Secundo, quia Patres Valentini, ut probent, Christum Dominum non esse mortuum pro impiis, qui in impietate sua mortui æterna damnatione puniti sunt, proferunt Oraculum Prophetæ *Osee* dicentis: *Ero mors tua o mors! ero morsus tuus Inferne*; unde recte inferunt, Christum pro impiis, qui in impietate sua mortui æternis flammis erant addicti, non esse efficaciter mortuum ut eos ex inferno eriperet, sicut Patres liberavit ex Limbo. Non negant tamen Christum pro illis impiis mortuum esse sufficienter, ac subinde non damnant verum sensum quarti Capituli Carisiaci, sed alium quemdam peregrinum sensum, quem prædicto Capitulo errore facti tribuunt. Idem de aliis tribus prioribus Capitulis Carisiacis, quæ a Patribus Synodi Valentinæ fuerunt damnata, dicendum esse censeo. Nec enim Patres Synodi Valentinæ verum illorum trium Capitulorum sensum, qui certe Catholicus est, configere voluerunt, sed alium dumtaxat sensum, quem his Capitulis Carisiacis errore facti adscripserunt. Hunc autem errorem facti ortum esse existimo ex æmulatione Antistitum, qui, cum diversis Regibus id temporis parerent, facile, ut assolet, in contraria studia scissi sunt. Quatuor siquidem Carisiaca Capitula ab Episcopis Regni *Caroli Calvi* condita sunt; Valentini vero Canones ab Episcopis Regni *Lotharii* conscripti fuerunt. Hinc Antistites, qui Valentinæ Synodo interfuerant, cum postea sedatis animis, æque melius explorata ad Synodum Lingonensem, quæ habita fuit an. DCCCLIX. convenerunt, Valentinos a se editos Canones ita probaverunt, ut quatuor Carisiacorum censuram, quæ his verbis incipit: *Porro Capitula quatuor fratrum nostrorum &c.* expungi voluerint. Ejusdem Censuræ expunctionem approbavit Synodus Tullensis, quæ apud Saponarias ex duodecim Provinciis congregata Synodum Lingonensem quindecim post dies secuta est, in qua relectus & confirmatus est Canon quartus Concilii Valentini III. absque illa Censura, quia Patres Valentini huic Canoni quarto se inseruerant, quæque, ut mox diximus, incipiebat his verbis *Porro Capitula quatuor fratrum nostrorum &c.* Hortatur etiam Canon. X. eadem Synodus Tullensis dissidentes Episcopos, quorum præcipui erant *Remigius* Lugdunensis, & *Hincmarus* Remensis, ut simul conveniant, & *prolatis Sanctarum Scripturarum, atque Catholicorum Doctorum sententiis, quæ saniora sunt concordi unanimitate sequantur*. Qua efficaci adhortatione commoti Episcopi, depositis hinc inde dissidiis, pacem ac concordiam inierunt, quorum exemplum utinam æmularentur, vel saltem paci silentio litare vellent hujus sæculi Theologi, qui (proh dolor!) de iisdem quæstionibus, quæ nono Ecclesiæ sæculo turbas, heu nimium! excitarunt, etiamnum magna animorum contentione inter se altercantur, digladiantur, tumultuantur, discindentes Christianam concordiam, sine qua perperam Christiani nomine gloriamur.

D. Numquid præter istas controversas quæstiones, quæ spectant prædestinationem & voluntatem Dei salvandi homines, aliud quidpiam actum est in Conciliis Valentino Tertio, Lingonensi, & Tullensi?

M. Præter controversas istas quæstiones, multi Canones ad sanciendam Disciplinam Ecclesiasticam in Conciliis Valentino III. & Tullensi conditi sunt. Concilium Valentinum viginti tres confecit Canones, quorum sex priores, ut jam diximus, spectant controversas quæstiones de prædestinatione & voluntate Dei salvandi homines, exploduntque quatuor Capitula, quæ ab Hincmaro Remensi Archiepiscopo contra Gothescalci doctrinam composita Synodus apud Carisiacum anno octingentesimo quinquagesimo tertio approbans susceperat. Alii vero ejusdem Synodi Valentinæ Canones pertinent ad Disciplinam Ecclesiasticam, quorum decimus Episcopos de controversis quæstionibus in Conciliis Valentino III. & Carisiaco agitatis inter se dissidentes ad pacem & concordiam adhortatur. Aliis vero Canonibus sancitur Disciplina Ecclesiastica. Actum est etiam in eadem Synodo Tullensi de procuranda pace inter *Carolum Calvum* Francorum Regem, & ejus fratrem *Ludovicum* Germaniæ Regem, discussa quoque est causa *Wenilonis* Archiepiscopi Senonensis, qui a Carolo Calvo defecerat, eamque sopitam fuisse, aut Wenilonem purgatum, & Regi reconciliatum asserit Annalista Bertinianus, idque etiam ex eo patere videtur, quod anno octingentesimo sexagesimo *Wenilo* Archiepiscopus Senonensis Synodo secundæ Tullensi interfuerit, nec ulla deinceps ejus causæ in Synodis, aut in monumentis publicis habeatur mentio. Denique, in eadem Tullensi Synodo agitata est causa Britonum Episcoporum, quæ in hoc sita erat, quod ante

ante *Nomenojum* minoris Britanniæ Ducem omnes Britonum Episcopi Turonensi Metropolitæ semper paruerant. At *Nomenojus* nolens suæ ditionis Episcopos subesse Metropolitæ Turonensi, Dolensem Episcopum constituit Metropolitanum. Quo factum est, ut Britonum Episcopi sese a Metropolitæ Turonensis jurisdictione subduxerint, & deinceps Archiepiscopo Dolensi tanquam Metropolitæ subditi fuerint. Hæc lis inter Archiepiscopos Turonensem & Dolensem excitata diu sub judice fuit, quia *Nomenojus* minoris Britanniæ Dux in sua contumacia perstitit, irritasque reddidit omnes Romanorum Pontificum admonitiones. Quare hæc suborta controversia de creatione Dolensis Metropoleos duravit ad XII. sæculum, hoc est, usque ad Innocentium Tertium Summum Pontificem, qui, re diligenter excussa, jussit, ut Dolensis Archiepiscopus Turonensi Metropolitæ esset omnino subjectus. Plura de hac Britonum Controversia legesis apud doctissimum *Mabillonium* parte II. sæculi IV. Benedictini, ubi de ea copiose differit partim ex Indiculo *de Episcoporum Britonum depositione* a Patre Sirmondo Societatis Jesu inter *Analecta* ad Capitula Caroli Calvi publicato, partim etiam ex Vita Sancti *Convuojonis* Abbatis Monasterii in Diœcesi Venetensi siti, quam ab Auctore Anonymo incerto tempore scriptam, ibidem refert, ac doctissimis Notis illustrat Mabillonius (*a*).

(*a*) „ Præ his omnibus multo etiam plura „ & certiora de controversia Dolensis Episco- „ patus disces ex collectione Actorum ad eam „ controversiam spectantium, quam ex Archi- „ vo Turonensis Ecclesiæ evulgarunt PP. Mar- „ tene & Durand Anecdot. tom. III. pag. 457. „ ex fragmento historiæ Britanniæ Armoricæ „ in Anecdotis illis ante acta Dolensia præmis- „ so, & ab auctore saltem XII. sæculi scripto, „ discimus Nomenojum a Leone IV. obtinuis- „ se, ut Synodo habita, discuteretur causa Epi- „ scoporum quorundam, quos Dux ille expulerat „ tanquam graviorum criminum reos expostulatos. „ Episcopi illi licet innocentes per fraudem cir- „ cumventi arte Nomenoji reos se coram ea „ Synodo agnoverunt. Qua de causa illis depositis, jussu Synodi alii, quos maxime Dux ille vo- „ lebat, substituti sunt, eorumque novorum Epi- „ scoporum molimine novæ aliæ Episcopales Se- „ des in Britannia erectæ sunt, inter quas princi- „ pem locum obtinere voluerunt Dolensem. Hæc „ auctor ille; in nonnullis tamen a P. Martene „ sublestæ fidei accusatus, cum Dolensis Episco- „ patus non tunc primo cœptus, sed restitutus po- „ tius judicandus sit. Vide ejus præfationem ad „ acta illa Dolensia.

D. Cum Gothescalci Monachi Corbejensis causa pluribus in Conciliis nono Ecclesiæ sæculo fuerit agitata, nullus dubito, quin Controversia occasione Schismatis Photii Patriarchæ Constantinopolitani excitata, locum itidem dederit eodem sæculo celebrandi Concilia, quæ & quando fuerint convocata, quidve in his actum definitumque sit, exponendi onus tibi impræsentiarum incumbit.

M. Id oneris eo lubentiori animo suscipio, quod jam in præcedentibus nostris Colloquiis ostendimus originem & progressum Schismatis Photiani, ad cujus subinde absolutam omni ex parte notitiam comparandam hoc unum dumtaxat desiderari videtur, ut ea in medium proferamus Concilia, in quibus excussa & dijudicata fuit causa Photii, qui Ecclesiam Græcam a Latina diro Schismate separavit. Et in primis, *Nicolaus I.* Pontifex Maximus, qui *Rodoaldum*, & *Zachariam* Legatos Constantinopolim miserat (*a*), ut inquirerent in depositionem Sancti Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani factam in Conciliabulo Constantinopoli habito anno octingentesimo quinquagesimo nono; Nicolaus, inquam, Papa statim ac percepisset, Legatos suos nimis a Photio concussos, muneribusque illectos demandatum sibi officium fœda proditione dehonestasse, eosque in altero Conciliabulo Constantinopoli anno DCCCLXI. congregato ratam habuisse *Sancti Ignatii* depositionem, & *Photii* in ejus Sedem intrusi ordinationem approbasse; ut hanc Legatorum suorum puniret perfidiam, & *Photium* in ordinem redigeret. Romæ an. DCCCLXIII. celebravit Concilium, quod in *Libello Synodico* his verbis memoratur: *Quod cum S. Papa Nicolaus percepisset* (nempe Conciliabulum Constantinopoli adversus S. Ignatium convocatum) *neque enim latere poterat tantum maleficium publice commissum in locum tenentes suos*, idest Legatos, *Rodoaldum*, *& Zachariam*, *accurata inquisitione facta*, *cum ex propria eorum confessione reperisset*, *munera ipsos*, *accepisse*, *perpetuæ depositioni Rodoaldum*, *& Zachariam subjecit*, *denique & congregata Synodo*, *Photium ut adulterum & invasorem anathemate notavit*, *quæque ab eo*, *& sub eo acta essent*, *minime recipienda esse definivit: quin & omnibus*, *qui ei communicabant*, *Michaeli ipsi Imperatori subditis*, *Principibus*, *& reliquis Sanctis Patriarchis depositionem denunciavit*.

(*a*) „ Antequam Legati Constantinopolim mit- „ terentur causam Ignatii & Photii discussuri, Ro- „ mæ Synodum habitam ego elicere mihi visus „ sum ex Epistola 9. Nicolai ad Michaelem Im- „ peratorem, cujus hæc sunt verba: *Rhadoal-* „ *dum*, *& Zachariam una cum Ecclesia*, *quæ apud* „ *nos est*, *Constantinopolim direximus*.

„ Aliud etiam Concilium Romæ habuit Nico- „ laus, cum ex Legato Michaelis Imperatoris „ didicit ea, quæ acta sunt Constantinopoli in „ depositione Ignatii, & promotione Photii; „ quod Concilium indicatur a Nicolao in Episto- „ la I. ad universos Catholicos, dum idem Legatus „ Constantinopolitanus adesset: *Convocata tota quæ* „ *apud nos est Ecclesia*, *decrevimus*, *& statuimus*, „ *atque professi sumus coram ipso pro dejectione Ignatii*, *& consecratione Photii*, *numquam misisse*, „ *nunquam missuros esse*; *& in depositione* &c. *nunquam consensisse*, *nunquam consensuros esse*.

In eadem Synodo Romana anathemate itidem confossus est *Gregorius* Syracusanus omnium malorum auctor cum suis fautoribus. Sanctus Ignatius vero in pristinum gradum, quo injuste dejectus fuerat, restitutus est, suasque pariter sedes recuperarunt Episcopi, qui in odium Ignatii fuerant, instigante Photio, depositi, & in exilium

exilium amandati. De his omnibus, quæ in hac Synodo Romana decreta fuerant, cum primum Photius certior factus fuisset, sibi temperare haud potuit, sed furoris œstro percitus eo audaciæ prorupit, ut anno octingentesimo sexagesimo septimo Constantinopoli coacto Conciliabulo, cujus *Michael* Imperator contra Ecclesiæ ordinem sese Præsidem gessit, subornatis impostoribus, qui se Vicarios ac Legatos Patriarcharum Orientalium mentiti sunt, accusatoribus, testibusque pecunia corruptis, confista crimina Sanctissimo Papæ Nicolao I. impegerit, eumque, effractis omnibus debitæ reverentiæ claustris, anathemate percellere non erubuerit. Huic sacrilegæ & a sæculis inauditæ Photii temeritati unus & viginti Episcopi, quibus fortuna magis, quam Religio cordi erat, subscripserunt; cæteris tamen, quamvis improbis præsulibus, huic tam insolenti ausui, & impudenti facinori refragantibus, palamque in hoc Conciliabulo conclamantibus: *Non esse justum in Summum & primum Pontificem, præcipue ab inferiori, quomodolibet sententiam proferri*. Abrupto hunc in modum Orientalem inter & Occidentalem Ecclesiam pacis & concordiæ vinculo, totus in eam curam incubuit Photius Sedis Constantinopolitanæ invasor ut Schisma a se conflatum roboraret. Quamobrem Encyclicas ad Patriarchas, & Episcopos Orientis litteras dedit, calumniis & atrocibus injuriis in Ecclesiam Romanam scatentes, seque tam fœda assentatione in *Michaelis* Imperatoris animum insinuavit, ut ab impio illo Principe, qui ei impense patrocinabatur, facultatem obtinuerit Synodum contra *Nicolaum* I. Summum Pontificem convocandi. *Photius* itaque congregata Pseudo-Synodo exauctorationis & anathematis sententiam in hunc Sanctissimum Romanum Pontificem, proh scelus! iterum ferre non erubuit, tamque nefandum crimen, quamdiu vixit *Michael* Imperator, impune tulit. Sed cum *Michael* Imperator, Deo ultionum permittente, cæsus fuisset anno octingentesimo sexagesimo septimo, *Basilius*, qui statim Imperator Orientis salutatus est, Photium e Sede Constantinopolitana, quam invaserat, deturbavit, & Sanctum Ignatium legitimum Patriarcham ab exilio revocatum Sedi Constantinopolitanæ summo cum omnium Ordinum applausu restituit. Inter hæc faustissima utriusque Ecclesiæ concordiæ exordia ad immortalem vitam migravit Nicolaus I, eique successit *Hadrianus* hujus nominis II. qui Romæ anno DCCCLXVIII. indixit Concilium, in quo Photio ter anathema dictum est, ejusque libellus contra Nicolaum I. Romanum Pontificem ultricibus flammis fuit addictus. Acta hujus Synodi Romanæ refert *Anastasius* Bibliothecarius in Vita Hadriani II. Denique sedente eodem Pontifice Hadriano II. & imperante in Oriente *Basilio* coacta est Constantinopoli anno DCCCLXIX. Synodus octava Generalis, quæ dicitur Constantinopolitana quarta, in qua Episcopi damnationi Photii subscripserunt calamis non solum atramento, sed etiam tremendo Sanguine Christi delibutis, ut testatur *Nicetas* in Vita S. Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani.

D. Circa istam octavam Synodum generalem, in qua universalis Ecclesiæ judicio damnatus est Photius, velim in primis scire a quo fuerit convocata? Dein, quos Præsides habuerit? Tertio, quid in ea gestum sit? Postremo, quos Canones in ea conditi sint?

M. Octava Synodus Generalis, quæ est Constantinopolitana quarta, indicta fuit ab *Hadriano II.* Pontifice Maximo, ut liquet ex ejus Epistola ad *Basilium* Imperatorem, quæ Actioni primæ ejusdem Synodi inserta est, in qua hæc habentur: *Volumus per vestræ pietatis industriam Constantinopolim numerosum celebrari Concilium*. Misit etiam idem Summus Pontifex ad istud Concilium suos Legatos *Donatum* Ostiensem Episcopum, *Stephanum* Antistitem Nepesinum, & *Marinum* Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconum, quibus Constantinopoli proficiscentibus libellum dedit, cui omnes Episcopi subscriberent, alioquin ad consessum, & suffragium Synodale non admitterentur. Præfuerunt huic Concilio Generali Legati Summi Pontificis Hadriani Secundi, sicut legitur in Actione prima ejusdem Concilii, quæ his verbis inchoatur: *Convenientibus Donato, & Stephano Episcopis, & Marino Diacono, locum tenentibus Adriani Archiepiscopi senioris Romæ, & ignatio Archiepiscopo Constantinopoleos novæ Romæ, & Vicariis Orientis*. Quando igitur Actionibus octava & decima hujusce Concilii Generalis *Basilius*, & *Constantinus* Imperatores appellantur *Præsidentes*, id eo in sensu tantum accipi debet, quod isti Imperatores Concilio præfuerint solo sessionis honore, quem ipsis, ut Ecclesiæ defensoribus, detulit sancta Synodus, non vero, quod huic Concilio præfuerint Imperatores authoritate sua, & ut Controversiarum fidei, vel causarum Ecclesiasticarum judices. Inchoata est hæc Generalis Octava Synodus Constantinopoli in celeberrimo Sanctæ Sophiæ templo die quinta Octobris anno DCCCLXIX. fuitque conclusa die ultima mensis Februarii anno DCCCLXX. Quid autem in toto istius Synodi Generalis decursu gestum ac definitum fuerit, brevis, quam hic referam, singularum decem Actionum, seu sessionum, quæ in ea celebratæ sunt, Historia te docebit.

Actione prima, jubentibus Legatis Hadriani II. Summi Pontificis, lectus est libellus, cui subscribere deberent universi Episcopi, Sacerdotes, Clerici, & Monachi, quo videlicet cunctas primum hæreses execrati, & inter alias Iconomachiam, anathema Photio dicere, seque amplecti Synodos a Nicolao I. & Hadriano II. Summis Pontificibus in causa Photii, & Ignatii Romæ habitis profiteri debeant.

Actione secunda, Episcopi, qui a *Methodio*, vel *Ignatio* ordinati ad Photium postea defecerant, necnon Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi offerentes libellum supplicem, quo suæ defectionis veniam, & pœnitentiam obnixe postulantes, atque ultro subscribentes libello a Romano Pontifice

fice misso, ad veniam & Communionem admissi sunt, receptisque pristinæ dignitatis insignibus, in suo ordine sedere singuli jussi sunt.

Actione tertia, *Theodolus* Metropolita Ancyranus, & Nicephorus Metropolita Nicænus, qui a Methodio, vel Ignatio ordinati erant, libello a Romana Sede transmisso cum subscribere detrectarent, a Synodo rejecti sunt. Deinde, lectæ sunt tres Epistolæ, una *Basilii* Imperatoris ad Nicolaum I. Papam; altera *Ignatii* Patriarchæ Constantinopolitani ad eumdem Summum Pontificem, & tertia *Hadriani II.* Summi Pontificis ad Ignatium de Photii damnatione.

Actione quarta, *Zacharias*, atque *Theophilus* Pseudo-Episcopi, qui stabant a partibus Photii, cum causam intrusi illius Patriarchæ ab Orientis Patriarchis receptam esse affirmarent, nollentque libello a Romano Pontifice misso subscribere, jubentibus Legatis Apostolicis, foras projecti sunt. Hinc valde sibi gloriatus est *Photius*, quod hi, aliique non pauci, constanter fuissent ipsi patrocinati, ut videre est apud Baronium ad annum DCCCLXXI. num. XXVII. & seqq. ubi Photii Epistolam ad Episcopos suæ factionis ex exilio scriptam refert.

Actione quinta, *Photius* ad Concilium citatus venit, & ter interrogatus a Legatis, num SS. Patrum Constitutionem susciperet? nihil plane respondit; sed urgentibus Legatis ut responderet, in hæc tandem verba erupit: *Vocem meam, etiam me tacente, Deus audit*. Ad hæc dixere Legati: *Per silentium non effugies manifestam damnationem*: quibus reposuit Photius: *Nec Jesus tacendo damnationem evasit*. Quare, cum affectato silentio immotus maneret Photius a Synodo dimissus est commonitus tamen, ut saluti suæ consuleret, & ad meliorem frugem se reciperet.

Actione sexta, lecta Nicolai I. Papæ in Photium sententia, condemnationem ejus vehementer urgebant Legati, sed intercesserunt Photii partiarii, quos inter *Zacharias* Chalcedonensis Episcopus orationem habuit, qua Ignatium juste & legitime depositum fuisse ostendere conatus est, sed frustra; nam *Metrophanes* Sirmiensis Antistes, singula ejus resumens argumenta, solide respondit ad ea, quæ ad deploratam Photii causam defendendam in medium protulerat. Quibus peractis, Imperator partiarios Photii alloquens, eorum ordinationem graviter taxans, eos hortatus est ad resipiscentiam, concesso illis novem dierum spatio, quo expleto, se iterum Concilio sisterent.

Actione septima, in Synodum introductus est *Photius*, & cum eo *Gregorius* Syracusanus, sed cum illorum impudentia magis ac magis invalesceret, nec ulla in ipsis spes emendationis affulgeret, tandem Legati Apostolici latum in utrumque Synodale anathematismum ex ambone pronunciari jusserunt.

Actione octava, in ignem conjecta sunt omnia, quæ scripturierat *Photius* contra *Nicolaum* I. Pontificem Maximum, & omnia Conciliabula, quæ adversus *Ignatium* congregaverat. Actum postea de Iconomachis, & Anathematismis in eos, atque in Photium iteratis.

„ (a) Sicut in hoc concilio generali anathema „ dictum est, & igni damnata omnia Photii Scri„ pta adversum Nicolaum Pontificem; ita ex op„ posito Græci quotannis in Dominica orthodoxiæ „ damnabant palam scripta omnia adversus Pho„ tium. Quod autem mireris idem pariter ana„ thema pronunciabant contra scripta omnia ad„ versus Ignatium producta; uti discere licet ex „ Scripto quodam cui titulus, *Synodi Nicenæ secun„ dæ literæ ad Ecclesiam Alexandrinam*, quas legas „ apud Montfaucon Bibliothecæ Coislin. pag. 96.

Actione nona, examinati falsi testes, qui contra Sanctum Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum, suadente *Photio*, & compellente *Michaele* Imperatore, testimonium dixerant; tique crimen confessi, ac sincera pœnitentia ducti, venia donati sunt.

Actione decima, & ultima, quæ pridie Kalendas Martias, anni DCCCLXX. celebrata est, conditi sunt XXVII. Canones, ad disciplinam Ecclesiasticam, & causam Photianam spectantes, quos refert, & perdocte explicat noster *Natalis Alexander* Paragrapho XXII. Dissertationis quartæ in Historiam sæculorum noni, & decimi. In eadem Actione ultima ejusdem Concilii octavi generalis damnatio Photii confirmata est, omniaque Decreta Synodalia singulorum Episcoporum subscriptionibus fuere roborata. Primus subscribendi locus Imperatori, honoris ergo, delatus est a Synodo, sed Imperator officii sui memor, asseruit, se se dumtaxat subscripturum post Legatos Sedis Apostolicæ, & alios Orientis Patriarchas, quod & ita factum est, cum hoc tamen discrimine, quod Legati Summi Pontificis, & Vicarii Patriarcharum Orientis, necnon Episcopi subscripserunt *definientes*, sed *Basilius* Imperator, & cum eo *Constantinus*, & *Leo* ejus filii subscribentes, *ea definitionis voce*, quam Episcoporum dumtaxat propriam noverant, non utuntur, verbaque tantum adhibent exprimentia solam venerationem & consensum datum his omnibus, quæ a Patribus in Synodo fuerant definita.

Absoluta octava Synodo generali, Photius ab Imperatore *Basilio* in exilium ablegatus pacem Ecclesiæ per decennium exilii sui perturbare haud potuit. Ast, mortuo Sancto Ignatio Patriarcha Constantinopolitano, anno DCCCLXXVII. *Photius* Sedem Constantinopolitanam iterum invasit, induxitque suis fraudibus *Basilium* Imperatorem, ut Legationem ad Joannem VIII. Pontificem Romanum decerneret, qua illum in Sedis Apostolicæ communionem suscipi, & in Patriarchali Sede confirmari obnixe postulavit. His Imperatoris litteris sollicitatus Pontifex Maximus rescripsit Imperatori, se propter pacis, & unitatis Ecclesiasticæ bonum, de Decessorum suorum & Synodi OEcumenicæ Decretis dispensare, & Photium in communionem Ecclesiæ recipere, ea tamen lege, ut *Photius* in Synodo coram

tam Sedis Apostolicæ Legatis celebranda veniam supplex flagitaret. Ad hanc itaque Synodum peragendam Joannes VIII. cum Legatis Imperatoris, qui Romam venerant, direxit *Petrum* Sancti Chrysogoni Presbyterum Cardinalem, quem duobus aliis Legatis *Paulo*, & *Eugenio*, qui Constantinopoli erant, adjunxit, & Concilio Constantinopoli celebrando voluit præesse nomine suo. Verum, *Photius* suis rebus prospiciens, *Petrum* Sedis Apostolicæ Legatum, cum primum Constantinopolim pervenisset, subdole delusit, & ab ipso litteras Pontificias sub specioso quidem obtentu eas in linguam Græcam vertendi, revera autem ut eas pro arbitrio suo truncaret & interpolaret, elicuit; multaque in his de industria immutavit, sicut diserte ostendit Cardinalis *Baronius* ad ann. Christi DCCCLXXIX. ex litterarum Pontificiarum exemplaribus, quæ in Registro Joannis VIII. Papæ servata sunt. Hac insigni adornata fraude, *Photius* Pseudo-Synodum Constantinopoli habuit, quam ipse, & nunc etiam Græci Schismatici *Synodum octavam generalem* perperam appellitare solent, in qua Episcopi CCCLXXX. Photio addictissimi cum Orientalium Patriarcharum Vicariis, & Sedis Apostolicæ Legatis interfuerunt, una cum *Basilio* Imperatore, ejusque filiis. Præfuit huic conciliabulo *Photius*, qui, insuper habita conditione, quam ei indixerat Summus Pontifex, omnia pro suo nutu gessit, Legatis Summi Pontificis Legationis suæ auctoritatem indignissime prodentibus. Quinque actionibus Photiana illa Synodus terminata est, ipseque *Photius* in Sedem Constantinopolitanam Joannis VIII. Papæ nomine restitutus. Tres Canones in hoc Conciliabulo, quod mense Novembri, anni DCCCLXXIX. inchoatum, sequentis anni mense Martio absolutum est, conditi sunt, quorum primo decernitur, ut Italiæ Episcopi, Clerici, vel Laici a Romano Pontifice depositi, vel excommunicati a *Photio* quoque pro depositis & excommunicatis habeantur, & vicissim depositi, & anathematizati a Photio, ejusdem pœnæ judicium a Joanne VIII. Pontifice Maximo subeant. Canone secundo statuitur, ut *si quis Episcopus ad vitam Monasticam descendere, & pœnitentiæ locum implere voluerit, Antistitis dignitatem non amplius retineat*. Hunc Canonem eo concilio condendum curavit Photius, ut persuadere posset, Sanctum Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum ad Ecclesiæ regimen redire non potuisse, eumque a Sede Apostolica, & a Synodo octava generali illegitime fuisse restitutum. Canon denique tertius anathemate percellit Magistratus, qui Episcopos sine causa, vel aliqua ratione conficta in carcerem conjicerant, vel verberibus afficerent. In Actis hujus Pseudo-Synodi multa esse ab impostore Photio supposita *Baronius*, & *Leo Allatius* in peculiari Tractatu de *octava Synodo Photiana* asserere non dubitant. De his omnibus, quæ in hoc Conciliabulo Photiano gesta fuerant, certior factus Joannes VIII. Summus Pontifex, omnia illius Acta auctoritate Apostolica rescidit, Decessorum suorum Nicolai I. & Hadriani II. sententias in Photium latas confirmavit, ipsumque Photium damnavit, novo anathemate ritu solemni conclamato. Joannis VIII. Summi Pontificis vestigia presserunt ejus successores *Marinus*, *Hadrianus III. Stephanus VI. & Formosus*, qui Photium anathemate perculerunt. Hinc optimo jure Leo Allatius cap. VI. libr. II. *de Occidentalis*, & *Orientalis Ecclesiæ perpetua consensione* explodit, solideque refellit nugas quorumdam recentiorum Græculorum, qui asserunt, Photium tandem aliquando resipuisse, & Ecclesiæ Romanæ reconciliatum in ejus communione obiisse. Quod sane purum, putidumque mendacium est, & ab omni veri specie penitus alienum. Sed de Conciliis, in quibus ventilata est causa Photiana, satis dictum sit. (*a*)

„ (*a*) Conciliabuli hujus Constantinopolitani „ acta integra Græce scripta e Vaticanis Codi- „ cibus hausta omnium primus evulgavit P. Har- „ duinus, cum antea nonnisi fragmenta Latina „ Baronius dedisset. Ex P. Harduino transierunt „ in Collectionem Labbei Venetam antehac e- „ vulgatam, nec deerunt in nova, quæ nunc pro- „ ducitur, collectione.

D. Numquid alia Concilia, præter ea, quæ hactenus percensuisti, ad dirimendas fidei controversias nono Ecclesiæ sæculo fuerunt celebrata?

M. Nono Ecclesiæ sæculo mota est apud Gallos controversia de cultu Imaginum, ad quam definiendam *Ludovicus* Augustus petita licentia ab *Eugenio II.* Summo Pontifice, Conventum Episcoporum in Urbe Parisiensi indixit anno DCCCXXV. in quo conditus est libellus ad probandum, retinendas quidem esse in Ecclesiis Imagines, sed nullatenus adorandas, ullove superstitioso cultu honorandas. Circa doctrinam Gallorum hoc in libello Synodi Parisiensis nono Ecclesiæ sæculo expressam diversa est Scriptorum sententia. Hæretici, qui cultum Imaginum penitus adversantur, contendunt, Episcopos Gallicanos hoc in libello Synodi Parisiensis negasse omnem omnino cultum, qui defertur Imaginibus. *Carolus Cointius* Congregationis Oratorii Presbyter, in Annalibus Ecclesiæ Francorum, ad annos DCCCXXV. & DCCCXXVI. de Synodo ista Parisiensi pluribus disserit, censetque ea in cultu Imaginum a Nicæna septima Synodo adversus Iconoclastarum Hæresim celebrata non dissensisse. Alii denique probabilius existimant, Episcopos Gallicanos in hoc libello Synodi Parisiensis sensisse, Imagines honore moderato coli posse, eas scilicet decenti in loco collocando, ornando, curandoque ut quam maxime niterent, & ne pulvere sordibusque inficerentur; eos tamen improbasse externum illum honorarium cultum, quem Græci Imaginibus exhibebant, salutationibus videlicet seu inclinationibus capitis, genu-flexio-

flexionibus, osculis, thymiamatum suffitu, cereorum accensionibus, aliisque certis ritibus, qui apud Gallos nono Ecclesiæ sæculo inauditi plane & inusitati erant. Sed, ut magis perspicuum fiat, quænam esset nono Ecclesiæ sæculo Gallorum de cultu Imaginum doctrina, & qua in re Galli discreparent a Græcis, quidve moliti sint Episcopi Gallicani, hac in Synodo Parisiensi congregati, operæ pretium est observare, Gallos tribus in rebus consensisse cum Græcis. Primo Galli una cum Græcis docebant, retinendas & exponendas esse in ædibus privatis, atque Sacris Christi, & Sanctorum Imagines, ad excitandam eorum memoriam & ad erudiendos simplices ac illiteratos Christianos. Notum siquidem est factum *Sereni* Massiliensis Episcopi qui sub initium septimi sæculi, cum populum suæ curæ concreditum ad adorandas Imagines nimis propensum animadverteret, eas e templis eliminavit, projectasque confregit *Sereni* zelum approbavit *Gregorius Magnus* prohibentis, ne quid manufactum adoraretur. Factum tamen, quod videlicet Imagines confregisset, improbavit in Epistola, quam scripsit ad eumdem Serenum Episcopum Massiliensem: *Idcirco enim*, inquit, *pictura in Ecclesiis adhibetur, ut hi, qui litteras nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in Codicibus non valent*. Juxta igitur hanc regulam a Gregorio Magno Romano Pontifice præscriptam Galli nono Ecclesiæ sæculo Imagines in Ecclesiis retinebant, & in hoc cum Græcis conveniebant. Secundo, profitebantur Galli, colendam, & adorandam esse Crucem, videlicet illam salutando, aut caput inclinando, vel procumbendo ad illam mente ad Christum directa. Tertio, Sanctorum Reliquias congruo cultu, ac veneratione dignas esse Imagines, ultro fatebantur Galli. Quæ duo postrema Imaginum cultum spectantia, in quibus Galli consentiebant cum Græcis, diserte afferunt & docent duo insignes noni sæculi Scriptores Galli, nimirum *Jonas* Aurelianensis Episcopus, & *Dungalus* Monachus in libris, quos edidit adversus *Claudium* Taurinensem Episcopum. In his tribus circa cultum Imaginum Capitibus, Galli non diffidebant a Græcis. At unum erat, in quo Galli circa Imaginum cultum, nono Ecclesiæ sæculo a Græcis discrepabant, quod scilicet Galli antiquæ suæ disciplinæ retinendæ tenaces admittere nollent hunc cultum externum, & honorarium, quem Græci ut mox diximus Imaginibus deferebant, eas capitis inclinationibus, genuflexionibus, cereis accensis, aliisque id genus ritibus colentes. Hunc, inquam, ritum externum, quem in veneratione Imaginum Græci adhibere solebant, Galli quinque potissimum de causis nec approbare, nec sequi voluerunt nono Ecclesiæ sæculo. Primo, quia hic cultus externus, quem mox indicatis ritibus determinatum Græci Imaginibus Sanctorum exhibebant, suam originem habuit a prophano cultu, quo iidem Græci, aliæque Nationes statis diebus Imagines, & Statuas Imperatorum, qui beneficiis Rempublicam demeruissent, quotannis odoribus, aliisque solemnis pompæ ritibus colere, & adorare solerent. Quam honorariam Imperialium Statuarum venerationem ad Religiosum postea Imaginum cultum traduxerunt Græci. Quam ob rem, ubi ejusmodi cultum septimæ Synodi Nicænæ auctoritate Imaginibus delatum accepere Gallicani Præsules, contra magnis animis obniti cœpere, quasi honor Deo proprius ad simulacra deterretur. Secundo, quia hic modus colendi Imagines, quo utebantur Græci, erat nono Ecclesiæ sæculo plane inusitatus. Tertio, quia ejusmodi cultum, qui obtinuerat apud Græcos, Sanctorum Imaginibus citra superstitionis culpam concedi haud posse Galli autumabant. Quarto, quia Græci cultum, quem Imaginibus exhibebant, *Adorationem* appellitabant, quod certe *Adorationis* vocabulum nullo pacto ferre poterant Galli, asserentes soli Deo debitam esse adorationem. Postremo Galli, præsertim Patres Synodi Parisiensis, anno DCCCXXV. celebratæ, haud parum commoti sunt Epistola Imperatorum Græcorum *Michaelis*, & *Theophili ad Ludovicum* Occidentis Imperatorem, in qua multa commemorantur de superstitiosa religione Græcorum in Imagines. In ea siquidem Epistola legitur, quod Græci, ejectis Crucibus e Basilicis substituerent Imagines, eisque incensum adolerent, lucernis insuper admotis, quod eas psallendo adorarent, & ab eis auxilium peterent; quod plerique linteaminibus easdem Imagines circumdarent, & filiorum suorum de Baptismatis fonte facerent susceptrices; quod ab eis alii religiosum habitum susciperent; quod nonnulli Sacerdotes colores de Imaginibus eradentes, immiscerent Sacrificio; alii vero Corpus Domini in manus Imaginum ponerent, ab illis communionem sacram percepturi. His, & aliis hujusmodi superstitiosis ritibus, qui apud Græcos in cultum Imaginum irrepserant, quique in prædicta Græcorum Imperatorum Epistola ad *Ludovicum* Augustum directa, continebantur, haud parum offensi Galli cultum hunc externum effrænem, & immoderatum, quem Græci deferebant Imaginibus, reprobarunt, & cultum duntaxat moderatum in veneratione sacrarum Imaginum adhibendum esse consultissime judicarent. Hinc *Hadrianus* primus, aliique Romani Pontifices, qui Gallorum in sacras Imagines Religionem nono Ecclesiæ sæculo probe perspectam habebant, nunquam eos erroris insimularunt. Verum, quamvis Galli in ritu colendi Imagines nono Ecclesiæ sæculo non erraverint, culpa tamen non vacarunt saltem in modo impugnandi Decretum, quod pro cultu Sanctarum Imaginum statutum est in septima Synodo Nicæna, quam Œcumenicam esse immerito pernegabant, sicut legitur capite vicesimo octavo libri quarti Carolini. Sed de doctrina Gallorum circa cultum Imaginum nono Ecclesiæ sæculo plura, si tibi per otium liceat, legesis apud doctissimum *Mabillonium* Præfatione in priorem partem sæculi IV. Benedictini, ubi de hoc argumento ita solide disserit, & in sensum Auctorum eo tempore viventium

tium ea perspicacitate penetrat, ut rem plane confecisse, cæterisque aliis Scriptoribus, qui eodem de argumento pertractarunt, palmam præripuisse optimo jure videatur.

D. Memini, te in secundo Colloquio in Historiam hujus sæculi noni observasse, multa in Galliis sub Nicolao primo Pontifice Maximo celebrata fuisse Concilia, tum in causa divortii *Lotharii* Regis, & *Theutbergæ* ejus conjugis, tum etiam in causa *Rhotadi* Episcopi Suessionensis, & *Hincmari* Antistitis Laudunensis, qui suis e sedibus dejecti ad *Nicolaum I.* Romanum Pontificem appellarunt. De his itaque Conciliis, quorum notitiam ad præsens Colloquium remisisti, differere opportunus hic locus esse videtur.

M. Ut a Conciliis, quæ nono Ecclesiæ sæculo sub Nicolao I. propter injustum *Lotharii* Regis cum *Theutberga* legitima conjuge divortium habita sunt, initium ducam, observare debes, *Lotharium* Regem Lotharingiæ, Caroli Calvi Galliarum Regis nepotem, & Lotharii Imperatoris filium, qui cum *Theutbergæ* matrimonium contraxerat, *Waldradam* pellicem amore adeo impotenti deperiisse, ut de *Theutberga* repudianda, & *Waldrada* sibi copulanda serio cogitarit. Eam in rem horrendum crimen affinxit Reginæ, eamque accusavit velut incestus ream, occultique flagitii cum *Huberto* fratre suo perpetrati, ex quo, licet contra naturæ ordinem concubuissent, concepisset, atque hausta potione fœtum extinxisset. Tam nefandum sibi impactum scelus in Conventu Episcoporum, ac Procerum aperte negavit *Theutberga*, & ut ab eo se se purgaret, judicio Laicorum nobilium, & Episcoporum consilio, ipsiusque Regis assensu, Procuratorem misit ad judicium aquæ ferventis (quod purgationis genus, eo tempore adhuc in usu erat.) Ex aqua ferventi procurator ille a Reginæ missus exivit illæsus, ideoque Reginæ innocentia probata, vindicata, conclamata, Regioque conjugio ac thoro digna renunciata fuit, sicut refert *Hincmarus* Remensis Archiepiscopus in libro *de Divortio Lotharii*, *&* *Theutbergæ* interrogatione prima. At eo prodigio nihil immutatus impudicus Rex *Lotharius* in proposito ducendæ *Waldradæ* pellicis, repudiata legitima uxore sua *Theutberga*, perseveravit. Quin, quod gravius est, salacissimus ille Rex omnes Regni sui Episcopos in tam perversum, quod injerat, consilio, assentatores habuit, nullusque inter eos extitit, qui Apostolico zelo succensus eidem diceret, ut alter *Joannes Baptista*: *Non licet tibi*. Hinc in tribus Conciliis Aquisgrani pro divortio *Lotharii*, & *Theutbergæ* habitis, necnon in Concilio Metensi Episcopi congregati, libidini Lotharii plus æquo faventes, iniquam contra Reginam *Theutbergam* sententiam protulerunt. In primo Concilio Aquisgranensi coacto, anno DCCCLX. Episcopi Lothario Regi ad nutum famulantes renunciarunt, ipsum non posse adulteram uxorem *Theutbergam* retinere. In altero Concilio Aquisgranensi, quod eodem anno indictum est, Episcopi publicam Reginæ *Theutbergæ* pœnitentiam decreverunt. In tertio Concilio Aquisgranensi, quod convocatum est, anno DCCCLXII. Rex *Lotharius* libellum proclamationis Episcopis obtulit, licentiamque alterius conjugii ineundi rogavit, quoniam *Theutbergam* in conjugali thoro retinere non posset. Hanc a Rege petitam licentiam alterius ineundi conjugii concessere illi Episcopi Aulici, immaniter ea in re ab Apostolica traditione, & ab Evangelica doctrina aberrantes, sicut restatur *Nicolaus I.* Papa in Epistola LXX. directa ad *Adonem* Archiepiscopum Viennensem, qui ipsum de *Lotharii*, & *Theutbergæ* causa consuluerat. Inter duas priores Synodo Aquisgranenses, & tertiam itidem Aquisgranensem, idest, inter ann. DCCCLX. & DCCCLXII. *Hincmarus* Archiepiscopus Remensis consultus ab Episcopis Regni Lotharii, illarum Synodorum Aquisgranensium acceptis Actis, librum scripsit de divortio *Lotharii* & *Theutbergæ* Reginæ. Constat hic *Hincmari* liber viginti tribus Responsionibus ad totidem interrogationes, quas una cum Responsionibus accurate exhibet noster *Natalis Alexander* part. III sæculor. IX. & X. Dissertatione nona. Postea idem *Hincmarus* septem quæstiones ad se transmissas, & ejusdem causæ judicium spectantes breviter ac dilucide solvit, ut ibidem apud Natalem Alexandrum videre est. *Theutberga* Regina a Lothario Rege repudiata ad Nicolaum I. Pontificem Maximum appellavit, isque ad hujus causæ judicium, anno DCCCLXIII. Synodum in Urbe Metensi celebrandam indixit, cui adsuere ejus Legati. Sed hi pecunia a *Lothario* Rege corrupti, Theutbergæ expulsionem, seu repudiationem confirmarunt, quorum injustam sententiam *Nicolaus I.* eodem anno convocata Romæ Synodo rescidit (*a*), hujus Metensis Synodi Episcopos Lotharianæ causæ assertores, præcipue *Guntharium* Coloniensem, & *Teutgaudum* Trevirensem Galliæ Belgicæ Archiepiscopos, & Pseudo Concilii Metensis promotores deposuit. Nunquam *Lotharius* Rex veniam delicti, quod injusto suo divortio perpetraverat, a Nicolao I. obtinere potuit, sed anno DCCCLXIX. hoc est, biennio post mortem Nicolai Primi cum Romam venisset, ab Hadriano successore Nicolai Primi veniam per fraudem, & perjurium extorsit, quod Deus, quem nemo fallere potest, horrenda & repentina Lotharii morte non multo post ultus est, sicut jam observavimus in Colloquio primo in Historiam hujusce sæculi noni.

„ (*a*) In hoc pariter Romano Concilio anni „ 863. facile persuadeor, ut credam agitatam fuis„ se causam Joannis Archiepiscopi Ravennatis, „ qui hæreseos accusatus a Nandeno Polensi Epi„ scopo apud Nicolaum Pontificem, ter vocatus „ venire contempsit. Contumacem Patres anathe„ mati devoverunt, cui tandiu subjectum volue„ runt, quandiu Romano Pontifici se sistere recu„ sasset. Præter hæc alii sex Canones conditi, „ quorum prior anathema dicit in affirman„ tes Christum passum etiam secundum divinita„ tem; cum Deus sit impassibilis, ut sequenti canone defini-

„ definitur Tertius canon anathema dicit in af„ firmantes originale peccatum non deleri baptif„ mate. Statuta Concilii Leonis IV. canone V. „ confirmantur, anathemate in ejus violatores „ pronunciato. Altero Canone decretum de ele„ ctione Romani Pontificis confirmatur, & ejus „ decreti veritas, quam plures negant, & Ste„ phano V., cui & Gratianus 8. dist. 33. adju„ dicat, afferitur. Demum & anathemati devo„ ventur postremo canone audaces percussores E„ piscoperum. Canones hosce e Schedis Ambro„ sianis evulgavit Muratorius Rer. Italic. tom. 2. „ p. 2. pag. 128. Ego in meo supplemento adjeci „ literas Nicolai ad Vitalem Patriarcham Gra„ densem, ut veniat ad Synodum, invitantes.

Veniamus nunc ad causam *Rothadi* Suessionensis Episcopi, quæ in tribus Conciliis, sedente *Nicolao I.* Pontifice Maximo, discussa est. In hoc porro consistebat causa *Rothadi*, quod Presbyterum suæ Diœceseos in stupro deprehensum canonice cum deposuisset, Presbyter ille depositus ad *Hincmarum*, Remensem Archiepiscopum suum Metropolitanum, quem *Rothado* infensum probe noverat, confugit, ejusque patrocinium imploravit. *Hincmarus* nactus occasionem, quam jampridem sollicite quærebat, dejiciendi ab Episcopatu *Rothadum*, qui in ejus odium incurrerat, hujus Presbyteri, etsi justa de causa depositi, patrocinium suscepit, & Ecclesiæ, cui antea præpositus fuerat, eum restituit. Adhæc, Presbyterum alterum, quem *Rothadus* in locum Præsbyteri a se depositi suffecerat, *Hincmarus* Ecclesiastica communione privavit, & in carcerem detrudi mandavit. Tam irregulari judicio *Rothadus*, ut par erat, refragatus est, quod ægre ferens *Hincmarus* congregata an. DCCCLXI. Synodo in Suburbio Suessionensi, Rothadum, ut contumaciæ reum Episcopali communione privavit, donec obediret.

Hanc *Rothadi* Episcopi Suessionensis depositionem *Baronius* & *Sirmondus* in Synodo Sylvanectensi factam perperam scripserunt, decepti inscriptione Epistolæ Nicolai I. Papæ, quæ est ordine XXXII. & *ad Episcopos Synodi Sylvanectensis* data dicitur. Sed Viri eruditi jure merito observant, & ex Annalista Bertiniano Auctore coævo probat, loco *Sylvanectensis*, restituendum esse *Suessionensis*. Alteram Synodum in Suburbio Suessionensi, anno DCCCLXII. teste eodem Annalista Bertiniano, convocavit *Hincmarus*, ad quam vocatus *Rothadus* venire renuit, asserens, sibi integrum non esse judicium subire Synodi, cum jam ad Romanam Sedem appellasset. *At Hincmarus*, nulla hujus appellationis habita ratione, *Rothadum* velut contumacem iterum in hac secunda Suessionensi Synodo deposuit & in carcerem conjecit. Quod ubi compertum habuisset *Nicolaus I.* Romanus Pontifex, rescripsit ad Hincmarum Remensem Archiepiscopum, jussitque ut intra triginta dies Rothadum Sedi suæ restitueret, aut Romam cum eo ad causam dicendam veniret, vel Legatum mitteret pro se responsurum, sub pœna suspensionis a sacro ministerio, quam etiam cæteris Episcopis, qui Rothadi exauctorationem cum Hincmaro decreverant, districte comminatus est. *Nicolao I.* Pontifici Maximo morem gessit *Rothadus*, Romam venit, & in Synodo, quam *Nicolaus I.* in pervigilio Natalis Christi Domini, anno DCCCLXIV. convocavit, ad pristinum dignitatis gradum restitutus est, atque ut ea Rothadi restitutio executioni mandaretur, misit Nicolaus I. in Gallias *Arsenium* Episcopum Gortanensem, seu antiquæ in Etruria Civitatis *Hortanæ*, cujus Historiam & antiquitatem eleganter descripsit Illustrissimus Abbas *Justus Fontaninus* in libro, quem edidit, *De antiquitate Hortanæ Coloniæ Etruscorum*. Scripsit etiam Nicolaus I. Papa ad *Hincmarum* Remensem Archiepiscopum Epistolam, quæ est ordine XLI. in qua ostendit, Rothadum legitime fuisse restitutum, & Hincmaro exprobrat Sedis Apostolicæ contemptum, fraudulenta ejus in Rothadum machinamenta, ac mendacium, & calumniam in simulaneo Rothadi consensu, quasi neglecta appellatione sua, ad Sedem Apostolicam, electos Judices imploraffet. Denique Nicolaus I. litteras dedit *ad universos* Galliæ Episcopos, ipsosque vehementer hortatus est, ut Rothadum a se restitutum benigne susciperent: quam Supremi Pontificis voluntatem promptissime executioni mandarunt Episcopi Gallicani. *Rothadus* siquidem suæ Sedi restitutus interfuit Conciliis Suessionensi III. anno DCCCLXVI & Tricassino anno DCCCLXVII in Galliis celebratis. Sed de causa *Rothadi* Suessionensis Episcopi plura legesis apud *Natalem Alexandrum*, Dissertatione VI. in Historiam sæculorum IX. & X. ubi eam accurate pertractat.

D. Nunquam profecto credidissem, Hincmarum Remensem Archiepiscopum, quem omnibus ingenii, & eruditionis dotibus abunde cumulatum fuisse nuperrime audivi a Viris eruditis, in tantum superbiæ fastigium provehi potuisse, ut *Rothadum* Suessionensem Episcopum, nulla ipsius innocentiæ, nulla Regularum Ecclesiasticarum, & appellationis ad Sedem Apostolicam habita ratione, deponere, injusteque vexare ausus fuerit.

M. *Hincmarus* Remensis Archiepiscopus tum ob eximiam, qua præditus erat, eruditionem, tum ob gratiam, & favorem, quo plurimum valebat apud *Carolum* Regem, cognomine *Calvum*, eo superbiæ typho intumuit, ut in omnes, qui ejus voluntario obsistebant, quanta pollebat auctoritate, imperiose, & crudeliter ulcisceretur. Audisti jam quid egerit *Hincmarus* Remensis Archiepiscopus in causa *Hothescalci* Monachi Corbejensis, & in causa *Rothadi* Episcopi Suessionensis; disce nunc quam inhumaniter sese gesserit in causa sui nepotis, videlicet *Hincmari* Laudunensis Antistitis, & *Ebbonis*, quem in Sede Remensi habuit decessorem. *Hincmarus* junior Laudunensis Episcopus, cum ægre videret, avunculum suum Hincmarum Remensem Archiepiscopum jura ac privilegia Sedis Apostolicæ violare, penitusque convellere modis omnibus

bus tentate, scripta collegerat, quibus eadem roborare pro viribus nitebatur. Hinc graviter offensus *Hincmarus*, Remensis Archiepiscopus, nihil non egit, ut nepoti suo Hincmaro Laudunensi Episcopo infensum redderet Galliarum Regem *Carolum Calvum*, apud quem multorum criminum illum insimulavit, sed præsertim, quod *Normannum* comitem excommunicasset, eo quo bona Ecclesiastica in beneficium a Carolo Calvo accepta Ecclesiæ restituere recusasset; & ea de causa ad Summum Pontificem scripsisset *Hincmarus*, Laudunensis Episcopus, contra juramentum Regi præstitum, de crebra Ecclesiarum expoliatione, sub specioso Regiæ auctoritatis obtentu. (*a*) Has & alias quamplures, quam hic recensere nimis longum esset, accusationes, & querelas accusator simul, & judex *Hincmarus* Remensis in nepotem suum *Hincmarum* Laudunensem struxit, primum in Concilio apud *Vermeriam* in agro Suessionensi habito, anno DCCCLXIX. Huic repellendæ factioni, quam adversum se vindicta Regis Caroli Calvi, & avunculi sui Hincmari Remensis Episcopi moliebatur, imparem sese videns *Hincmarus* Laudunensis Episcopus, Sedem Apostolicam appellavit, quam appellationem Hadrianus Papa hujus nominis Secundus ultro suscepit, & vadimonium partibus indixit, ut Romam venirent. Sed Pontifici neque obtemperavit *Hincmarus* Remensis, nec permisit, ut Hincmarus Laudunensis Romam pergeret, causam suam apud Summum Pontificem peroraturus, & ut nepotem suum omnino opprimeret, tum proprio, tum Regis nomine, accusationes adversus eum in Synodo apud *Attiniacum* Diœcesis Remensis, præsente *Carolo Calvo* Galliarum Rege, anno octingentesimo septuagesimo habita, instauravit, fecitque ut Synodus, nihil jura, nihil justam dejecti Episcopi defensionem, nihil ad Sedem Apostolicam provocationem pensi habens, Hincmarum Laudunensem, suo injuste privatum Episcopatu in tetrum carcerem conjici mandaverit, ferreis onustum catenis. Necdum tamen implacabili Hincmari Remensis vindictæ factum satis. Tertia namque Synodus contra Hincmarum Laudunensem Episcopum, anno DCCCLXXI. apud *Duziacum* Campaniæ Gallicanæ vicum, vulgo *Douzi* dictum, convocata est, in qua, Hincmaro Remensi fortiter accusante, & *Carolo Calvo* Galliarum Rege præsente atque urgente, Hincmarus Laudunensis Episcopus non solum damnatus iterum, & Episcopatus gradu dejectus est, sed quod sane inauditam crudelitatem sapit, in carcerem trusus, ferrea catena vinctus, & citra ullam prorsus judicii formam excæcatus fuit, sicque oculis orbus in exilium deportatus est. Accessit tandem ad malorum Hincmari Laudunensis cumulum mors Hadriani II. Summi Pontificis erga ipsum bene affecti, cui successit Joannes VIII. Hic præ timore displicere non ausus Carolo Calvo Imperatori, & Galliarum Regi, qui Romanæ Ecclesiæ Saracenorum armis vexatæ, & in extremum discrimen adductæ, suppetias tulerat, confirmavit ad illius petitionem judicium Duziacensis Concilii. Quo factum est, ut Hincmarus Remensis nimia hujus Pontificis facilitate abusus, *Hedenulfum* in locum dejecti nepotis sui, abjecta omni cunctatione, Episcopum Laudunensem consecrari curaverit, ne qua dejecto nepoti suo restitutionis spes superesse posset. Ad hunc infelicem statum redactus Hincmarus Laudunensis, vivente Carolo Calvo, miserum omni ex parte vitam traxit. At, mortuo Carolo Calvo, serenior tandem lux Hincmaro Lauduneosi ad imam dejectionem depresso arridere cœpit, multumque imminuta fuit tyrannica illa Hincmari Remensis dominatio. Quapropter Joannes VIII. Papa in Gallias profectus, & a Ludovico Balbo maxima veneratione exceptus, Synodum Trecensem, anno DCCCLXXVIII. indixit, in qua Hincmarus Laudunensis, postquam suas ærumnas exposuisset, consensit tandem Pontifex, ut Missam vestibus amictus Pontificalibus, etiamsi cæcus esset, celebraret, & proventuum Episcopalium parte potiretur. Noluit tamen Summus Pontifex ei pristinam Laudunensem Sedem restituere, quia *Hedenulfus*, eo annuente, & consentiente Pontifice Maximo, in locum dejecti Hincmari jam creatus fuerat Laudunensis Episcopus. Hic fuit exitus causæ Hincmari Laudunensis Episcopi, in quem tam immaniter sæviit Hincmarus Remensis Archiepiscopus, ut nullum in toto Historiæ Ecclesiasticæ decursu occurrat exemplum par crudelitati, quam Hincmarus Remensis erga proprium nepotem exercuit. Sed Hincmari Remensis Archiepiscopi versatile ingenium, fraudes ac violentiam aperte etiam probant ea quæ gessit in causa *Ebbonis*, quæ nono Ecclesiæ sæculo in Conciliis ventilata est.

„ (*a*) Commemorandus hic venit Conventus, „ seu Concilium Pistense anni 868. cui Hinc„ marus Laudunensis schedam obtulit exponens, „ rebus Ecclesiæ sese expoliatum injuste se qui„ dem aliqua ex illis sibi vindicasse ad vitam „ tolerandam, sed & illis expoliari per vim; „ petebat igitur, ut ablata sibi restituerentur, „ quod & a Concilii Patribus, quibus Hincma„ rus Remensis præsidebat, obtinuit. Vide sup„ plem. meum Concilior. tom. I. pag. 1001.

D. Quis est iste *Ebbo*, cujus causa, ut dicis, nono Ecclesiæ sæculo fuit in Conciliis agitata?

M. *Ebbo* fuit Archiepiscopus Remensis, Hincmari decessor, qui, ut rebellantium in *Ludovicum Pium* Imperatorem trium filiorum gratiam iniret, Conciliabulo Episcoporum, & Procerum Galliarum Regni apud Compendium anno octingentesimo trigesimo tertio præfuit, omnemque dedit operam ut *Ludovicus Pius* abdicaretur Imperio, & Monasterio conclusus reliquum vitæ tempus in pœnitentia transigeret. Sed commotis postmodum hujus sceleris admissi indignitate populis, *Ludovicus Pius* Imperio restitutus est, convocatoque ad *Theodonis Villam* numeroso Episcoporum, & Optimatum Conventu, an. DCCCXXXV. rescissum est injustum Compendiensis Conventus Decretum, *Ludovicus Pius* Imperator reconciliatus, & *Ebbo* Remensis Archiepiscopus ob prædictam conjurationem dama-

mnatus, ac depositus est. At post Ludovici Pii Imperatoris obitum, qui incidit in annum octingentesimum quadragesimum, *Lotharius* ejus filius Ebbonem sui causa depositum in pristinam Sedem Remensem reduci voluit, quod nemine reclamante factum est eo, videlicet tempore, quo *Carolus* postremus Ludovici Pii Imperatoris filius, a Lothario pulsus ultra Sequanam profugerat. Ea tempestiva occasione usus *Ebbo* Remos rediit, suam Sedem recuperavit, ibique multas fecit ordinationes, de quibus, ut mox dicemus, an validæ essent, necne? gravis exorta est Controversia. Sedem Remensem per annum tenuit *Ebbo*, sed cum *Carolus* resumptis viribus in Gallias properaret, sibi metuens *Ebbo* Sedem, solumque vertere, & ad Lotharium remeare coactus est. *Carolus* itaque Galliarum Rex, cognomento *Calvus*, ut Regnum suum stabiliret, dedit operam ut Synodus Episcoporum Regni sui apud Bellovacum, anno DCCCXLV. convocaretur, ubi, inter cætera Regni, & Ecclesiæ proposita negotia, *Hincmarus* olim Cœnobii Sancti Dionysii prope Parisios Monachus, & Regi Carolo gratissimus, præfectus est Ecclesiæ Remensi, quæ a tempore depositionis *Ebbonis*, hoc est, a decennio, erat legitimo viduata pastore. Sacris itaque Infulis inauguratus *Hincmarus*, & Ecclesiæ Remensis Archiepiscopus consecratus, *Wulfadum*, aliosque Clericos, quos *Ebbo* post depositionem suam ad sacros Ordines promoverat, a sacris Mysteriis suspendit. Hinc gravissima lis suborta est, ad quam dirimendam *Carolus Calvus* Rex Christianissimus Concilium Suessionense secundum, anno DCCCLIII. congregari curavit. In eo præsertim actum est de Ordinationibus factis ab *Ebbone* Sede Archiepiscopali dejecto. Ejusdem Ebbonis depositio fuit confirmata. Hincmari electio, & ordinatio legitima atque Canonica declarata. Clerici ab Ebbone deposito ordinati gradibus suis dejecti sunt, ut videre est Canone I. illius Concilii, & in Actis Synodalibus. In eodem Concilio Canones XIII. conditi sunt. Tentavit *Hincmarus* Remensis Archiepiscopus confirmationem hujusce Concilii Suessionensis secundi obtinere a Leone IV. Summo Pontifice, quam tamen concedere renuit Summus ille Pontifex, præsertim cum *Wulfadus*, ejusque socii ab Ebbone, post ipsius depositionem ordinati, & gradibus suis in isto Concilio privati, per proprias literas ad Sedem Apostolicam appellassent. At, mortuo Leone IV. Summo Pontifice, *Hincmarus* a *Benedicto* III. & postea a Nicolao I. Synodi Suessionis secundæ confirmationem impetravit. Verum non diu obtinuit ea per subreptionem extorta confirmatio. Renovata siquidem per *Wulfadum*, ejusque socios ad Sedem Apostolicam appellatione, Nicolaus I. Acta illius Synodi Suessionensis secundæ examinavit, & rescidit, jussitque ut *Wulfadus*, ejusque socii in pristinos gradus restituerentur. Eam ob rem, anno DCCCLXVI. indixit Summus ille Pontifex Synodum Suessione celebrandam, quæ est ordine tertia, in qua Hincmarus Remensis Archiepiscopus, cum cerneret Episcoporum plurimos in restitutionem *Wulfadi*, ejusque sociorum inclinare, eo potissimum nomine, quod bona fide, palam, & publice ab *Ebbone* Archiepiscopo jure vel injuria Sedi suæ restituto sacros Ordines suscepissent; nihil non egit, inquam, Hincmarus, ut *Wulfadi*, ejusque sociorum restitutioni intercederet, obtulitque Synodo ad impediendam illorum restitutionem quatuor Schedulas, quæ a Patre *Sirmondo* publicatæ extant Tomo VIII. Conciliorum; nihil tamen promovere potuit calliditas Hincmari apud istius Synodi Suessionensis tertiæ Patres, qui jussis Nicolai I. Pontificis Maximi obtemperantes, Wulfadum, ejusque socios in pristinos gradus, quibus in Synodo Suessionensi secunda, instigante Hincmaro Remensi Archiepiscopo, dejecti fuerant, restituerunt.

D. Sat superque hactenus disseruisti non solum de Conciliis, quibus nono Ecclesiæ sæculo celebrandis occasionem dederunt motæ Controversiæ tam de doctrina Gotescalci Monachi Corbejensis, quam de schismate Photii, & de divortio *Lotharii* Regis cum *Teutberga* legitima ejus conjuge; sed etiam de aliis Conciliis, quæ eodem sæculo fuerunt convocata in causa *Rhotadi* Suessionensis Episcopi, *Hincmari* Laudunensis Antistitis, & *Ebbonis* Remensis Archiepiscopi. Quapropter, ne longius, quam par sit, nostrum protrahatur Colloquium, abunde nunc sufficiet breviter hic indicare, & ordine Chronologico alia recensere Concilia, quæ nono sæculo ad sanciendam Ecclesiasticam Disciplinam variis in locis fuerunt celebrata.

M. Cum bene multa Concilia Provincialia vel Nationalia nono sæculo ad restaurandam Ecclesiæ disciplinam fuerint congregata, nobis, qui, quantum possumus, brevitati consulere satagimus, sat erit ea juxta Ordinem Chronologicum recensere Concilia, & quæ in eis gesta sunt, compendiose narrare, quorum uberiorem, si velis, notitiam tibi suppeditabit noster *Natalis Alexander* sæculo IX. parte prima cap. IV. ubi lato calamo explicat omnes Synodos Provinciales, & Nationales, & Canonum, qui ad sanciendam Ecclesiæ disciplinam in illis conditi sunt, accuratam Synopsim exhibet.

Ordior itaque a Concilio *Altini* habito, anno DCCCII. Porro *Altinum* Urbs olim Episcopalis, ab Hunnis sæculo quinto excisa est, indeque Sedes Episcopalis ob Longobardorum metum translata *Torcellum* anno DCXXXV. atque ab hinc dictus Episcopus Torcellanus sub Gradensi primum Patriarcha, deinde sub Veneto, cui etiamnum subditur. Huic Altinensi celebrando Concilio occasionem dedit mors, quam Joannes Venetorum Dux intulit *Joanni* Patriarchæ Gradensi, eo quod Christophorum hominem Græcum ab ipso Duce, necnon ab Orientis Imperatore *Nicephoro* commendatum, Ulivolensem Episcopum consecrare non tantum renuisset, [illegible] etiam a Communione removisset. Ea de [illegible] *Joannes* Venetorum Dux adeo exarsit ira, ut, *Mauritio* filio Duce assumpto, classem *Gradum* adduxerit, & Civitate primo adventu capta, *Joannem*

Patriarcham ex celsissima turri præcipitarit, sicut narrat *Sigonius* lib. 4. *de Regno Italiæ* ad annum DCCCII. Hoc audito immani scelere, *Paulinus* Forojuliensis, seu Aquilejensis Patriarcha Concilium *Altini* mox celebravit, in quo Patres auxilium *Caroli Magni* Imperatoris in *Joannem* Venetorum Ducem, ob cædem Joannis Patriarchæ Gradensis factam implorarunt. Extat hujus Concilii Epistola Synodalis ad Carolum Magnum Imperatorem directa apud *Carolum Cointium* Tomo VI. *Annalium Ecclesiæ Francorum* pag. 808. (*a*).

„ (*a*) De hoc Altinensi Concilio ambigere me „ plurimum late exposui in superioribus adnotationibus. Id unum profecto constat Altinense „ hoc qualecumque Concilium, cujus synodica „ evulgata est a Baluzio, a veteribus nusquam „ commemorari. Synodica vero ex qua una innotescit, ex vitiatissimo Cod. ab eodem Baluzio data est ut sæpe Delio Natatore indigeat. „ Ego illam integriorem reperi in Vaticano Cod. „ eandemque juxta eam lectionem daturus sum „ in nova Conciliorum editione, quæ hos annos „ Venetiis adornatur. In eo vero Cod. pro *Altini* legitur *Alti* quod & bene congruit textui; „ nam sequitur *Alti* consilio Regis. Insuper „ concilium istud haberi nequaquam potuit ante „ annum 800. cum inscripta sit Carolo Regi „ non vero Imperatori, quem titulum semper „ præferunt scriptæ ad Carolum literæ post annum 800. Joannes vero Patriarcha nonnisi post „ annum 800. neci traditus est. Ex quo fit ut „ concilium si quod fuit Altini celebratum, in „ causa ejus necis haberi nequaquam potuerit. „ Igitur Epistola Synodica facile data est ex Concilio Forojuliensi, cui etiam in Cod. Vaticano „ opportune præmittitur.

Anno DCCCIII. *Athelardus* magnæ Britanniæ primas, seu Ecclesiæ Cantuariensis Archiepiscopus, *Clovesoviensem* Synodum ex Provincialibus Episcopis, his nimirum, quos olim Gregorius Magnus ejus Sedi subjecerat, convocavit, in qua Romani Pontificis *Leonis III.* mandatum exposuit, & cavit in primis ne ullus deinceps Metropolitanæ suæ Sedi honorem, prærogativam, & privilegia minuere aut invadere præsumeret. Hanc Clovesoviensem Synodum refert *Spelmannus*, & ex eo *Labbeus* Tomo VIII. Conciliorum.

Anno DCCCXIII. Quinque Concilia suasione Caroli Magni celebrata sunt, videlicet *Arelatense*, *Moguntinum*, *Remense*, *Turonense*, & *Cabilonense*. In Concilio Arelatensi, quod habitum fuit in Basilica Sancti Stephani Protomartyris, conditi sunt ad restaurandam collapsam Ecclesiæ disciplinam Canones XXVI. qui extant Tomo VII. *Annalium Ecclesiæ Francorum*. Eosdem etiam Concilii Arelatensis Canones recenset, & explicat noster *Natalis Alexander* articulo tertio cap. IV. Historiæ sæculorum IX. & X. *in Concilio Moguntino*, quod in Claustro Basilicæ Sancti Albini congregatum est, confecti sunt Canones LVI. in quibus de Fide, Spe, & Charitate, de Vita Clericorum, & Monachorum, de Litaniis, & quatuor temporibus observandis, aliisque Rebus Ecclesiasticis plurima sunt saluberrime constituta. Extant illi LVI. Canones Tomo VII. Conciliorum, & apud *Carolum Cointium* Tomo VII. Annalium Ecclesiæ Francorum. Eosdem etiam Concilii Moguntini Canones refert & exponit *Natalis Alexander* articulo IV. capitis IV. Histor. sæcul. IX. & X. *In Concilio Remensi*, cui præfuit *Wulfarius* Archiepiscopus Remensis, conditi sunt Canones quadraginta quinque, qui præcedentium Synodorum Arelatensis, & Moguntinæ Canonibus gemini sunt, extantque Tomo VII. Conciliorum, & apud *Carolum Cointium* Tomo VII. Annalium Ecclesiæ Francorum. *In Concilio Turonensi* sanciti sunt Canones LI. qui mores, & Ecclesiæ disciplinam spectant, extantque locis mox a me laudatis. Eorumdem Concilii Turonensis Canonum LI. Synopsim, & expositionem legesis apud nostrum *Natalem Alexandrum* Articulo VI. Historiæ sæculorum IX. & X. *In Concilio Cabilonensi* constituti sunt sexaginta sex Canones, qui multa præscribunt disciplinæ Ecclesiasticæ Capita, extantque locis jam memoratis. Brevem quoque eorumdem sexaginta sex Concilii Cabilonensis Canonum notitiam atque explicationem tradit sæpe citatus *Natalis Alexander* articulo VII. cap. IV. Historiæ sæcul. IX. & X.

Anno DCCCXVI. Imperante *Ludovico Pio* congregatus est Conventus Aquisgranensis, in quo Episcopi ad petitionem Imperatoris, qui aliquam Institutionis formam tam pro Canonicis, quam pro sanctimonialibus ex sacris Canonibus, & SS. Patrum verbis excerptam peroptabat, geminam Regulam duobus libellis comprehensam condiderunt (*a*). Libellus, qui Canonicorum continet Regulam, constat c. CXLIV. Libellus vero, qui sanctimonialium Regulam exhibet, Capit. XXVIII. complectitur. Alium Conventum Aquisgranensem an. sequenti, seu DCCCXVII. convocari curavit idem Imperator *Ludovicus Pius*, in quo de uniformi ratione vivendi secundum Regulam S. Benedicti actum est, ob idque septuaginta duo fuere constituta Capitula, sicut testatur *Leo Ostiensis* in Chronico Cassinensi lib. I. cap. 16. Duas illas Synodos Aquisgranenses suasione *Ludovici* Imperatoris convocatas *Baronius*, *Cointius*, & *Natalis Alexander* secuti Auctorem Vitæ *Ludovici Pii* in unam Synodum confundunt. At duas illas Synodos Aquisgranenses distinguendas esse, Auctoremque vitæ *Ludovici Pii* Imperatoris eas in unam eamdemque Synodum male confudisse, plurimis argumentis evincit Clarissimus *Pagius* in sua Critica Baronii ad annos DCCCXVI. & DCCCXVII.

„ (*a*) Regula Sacrarum Virginum in Conventu Aquisgranensi edita capitula continet „ XXIX. nam præter vulgata, aliud ego adjectum reperi in Cod. vetustissimo, eodem quo „ concilium habitum est, sæculo exarato, servato apud religiosissimos PP. cœnobii S. Crucis „ in

„ in Jerusalem Romæ mihi communicaro ab e„ rudito Patre Dario Marinoni ejusdem cœno„ bii Monacho, idemque ego daturus sum in „ nova, quam sæpe commemorati, Concilio„ rum editione. In qua pariter adjiciam re„ gulam pro Canonicis interpolatam quidem, „ sed omnino ab ea interpolatione diversam, quæ „ in Labbeanis Conciliis profertur.

„ (*b*) Quanquam verum est Conciliorum „ istorum Canones non extare, adhuc tamen su„ persunt Agobardi, aliorumque Episcoporum ab „ hac Synodo latæ Epistolæ geminæ, quas le„ gas integras in Biblioth. Veter. PP. Tom. IX. „ edit. Paris. Insuper Concilii Parisiensis, cujus „ extant Canones, est etiam Epistola Ynchadi „ Parisiensis Episcopi vulgata a Dubois Histor. „ Eccl. Paris. Tom. I. pag. 349. pro asserendis „ Ecclesiasticis Parisiensibus proventibus nonnul„ lis. Huic Epistolæ subscribunt Episcopi non„ nulli quod valet ad eruendos Patres ejusdem „ Concilii, quorum nulli apparent in Canonibus „ evulgatis.

Anno DCCCXXIX. Imperantibus *Ludovico Pio*, & Lothario, quatuor ad Ecclesiasticæ Disciplinæ restaurationem celebratæ sunt Synodi, *Moguntina*, *Parisiensis*, *Lugdunensis*, ac *Tolosana*. Sed ex istis quatuor Synodis extat nunc tantum Synodus Parisiensis, quæ inter Parisienses est ordine sexta, distribuiturque in tres partes, sive in Capitula XCIV. quorum Synopsim, & explicationem legesis apud Natalem Alexandrum art. IX. cap. V. Historiæ sæculorum IX. & X. I. partis (*a*).

„ (*a*) Præter geminas hasce Aquisgranenses „ Synodos, tertiam aliam ego distinxi in meo „ Conciliorum supplemento habitam anno 803. „ sub Carolo Magno pro Monachorum reforma„ tione, de qua vetustus author Annalium Fran„ corum vulgatus a P. Martene Veter. Monum. „ tom. VII. in ea vero conditos nonnullos ex „ iis Canonibus, quos comprehensos legimus in „ collectione 80. Canonum Conventus Aquisgra„ nensis anni 817. sub Ludovico Pio. Id vero „ dedoxi ex regularibus decretis a S. Synodo in „ Francia sub Carolo Magno conditis, & a S. „ Simperto Episcopo Augustano & Abbate Mos„ bacensi commemoratis, vulgatisque a P. Pez „ Anecdot. tom. II. part. 3. vulgatis. Ibi vero „ XXVII. tantum capitula in ea Synodo condita „ animadverti, quorum postrema duo ita desi„ gnantur: *ultima vero duo capitula* &c. Condidit „ ergo hoc Concilium sub Carolo Magno XXVII. „ tantum capita & non plura, eademque recur„ runt cum aliis admixta in ampliori collectione „ Canonum 80. Concilii Aquisgranensis 817. sub „ Ludovico Pio.

Anno DCCCXXXVI. *Ludovicus Pius* Imperator ad sanciendam Ecclesiæ disciplinam Synodum Aquisgranensem convocari curavit, quæ duas in partes dividitur, quarum una tripartitos Canones complectitur circa tria Capitula, quæ, ut ab Episcopis illius Synodi tractarentur, a Ludovico Pio Imperatore suadente proposita sunt. Altera pars in tres libros distribuitur, quos Episcopi illius Synodi *Pipino* Aquitaniæ Regi direxerunt, ut res, quas ei antea per Commonitorium suggesserant, Sacræ Scripturæ testimoniis, & exemplis illustrarent. Periit quidem istud Commonitorium, sed quid contineret abunde docent prædicti tres libri, qui editi sunt in Collectionibus Conciliorum, seu Tomo VII. cum capitibus in hoc Concilio Aquisgranensi conditis.

Anno DCCCXLIII. Synodus apud *Lauriacum*, suadente *Carolo Calvo* Galliarum Rege, in pago Andegavensi coacta est, in qua statuta sunt quatuor Capitula adversus eos, qui auctoritatem, juraque Ecclesiastica, & Regia contemnunt; quibus sanciendis occasionem dederunt *Lantbertus* comes, aliique, qui contra Carolum Calvum Regem eo tempore rebellarunt. Anno sequenti, seu DCCCXLIV. habita est Synodus ad *Theodonis Villam*, in qua *Lotharius* Imperator, & fratres ejus *Ludovicus*, & *Carolus*, depositis odiis, concordiam inter se inierunt. Qua de re, & aliis negotiis Ecclesiasticis conditi sunt Canones sex, qui extant Tomo VII. Concil. eorumque Synopsim tradit *Natalis Alexander* art. XII. cap. IV. part. I. Historiæ sæculorum IX. & X. Habitum est etiam eodem anno DCCCXLIV. suasione Caroli Calvi Regis Concilium *Vernense* in Palatio Regio, præsidente *Ebroino* Pictavorum Episcopo Sacri Palatii Archicappellano, in quo XII. de Disciplina Ecclesiastica extant Canones Tomo VII. Concil. & apud *Natalem Alexandrum* artic. XIII. loci mox laudati.

Anno DCCCXLV. sub eodem Carolo Calvo Rege indicta est Synodus Bellovacensis, in qua, vacante per depositionem *Ebbonis* Sede Remensi, *Hincmarus* in ejus locum fuit suffectus, & Remensis Archiepiscopus consecratus, octoque editi sunt Canones, qui Disciplinam Ecclesiasticam spectant, extantque Tomo VII. Concil. & apud *Natalem Alexandrum* art. XIV. loci jam indicati. Eodem anno, regnante in Galliis *Carolo Calvo*, habita est Meldensis Synodus, in qua, ut jura Ecclesiastica sarta tecta conservarentur, conscripti sunt Canones quinquaginta sex, extantque Tomo VII. Conciliorum, & apud *Natalem Alexandrum* art. XV. cap. IV. partis I. Hist. sæculorum IX. & X.

Anno DCCCXLVI. convocata est Synodus Parisiensis, in qua *Ebbo* antehac Remensis Archiepiscopus Sedem, qua dejectus fuerat, invadere prohibitus est, & omnia Capitula, quæ constituta sunt in præcedentibus Conciliis, *Lauriacensi*, apud *Theodonis Villam*, *Vernensi*, *Bellovacensi*, & *Meldensi*, fuerunt absoluta, seu terminata, sicut aperte declarat ejusdem Concilii Parisiensis Præfatio, quæ una cum illius Actis extat Tom. VIII. Conciliorum.

Anno sequenti, seu DCCCXLVII. suasione *Ludovici* Germaniæ Regis congregata est Synodus *Moguntina* Præside *Rabano* hujus Urbis Archiepiscopo, cui etiam Corepiscopi, Abbates, Monachi, & omnium Ordinum Clerici adfuere. In ea conditi sunt Canones XXXI. de Disciplina Ecclesiastica, quæ non minus in Regno *Ludo-*

vici, quam *Caroli* ejus fratris erat labefactata. Extant hi Canones XXXI. Tomo VIII. Conciliorum, & apud *Natalem Alexandrum* art. XVII. cap. IV. partis I. Hist. sæculorum IX. & X. Aliud Concilium Moguntinum anno sequenti, seu DCCCXLVIII. celebravit Rabanus contra Gothescalcum, de quo Concilio, sicut & de aliis Synodis *Carisiacensi prima*, anno DCCCXLIX. *Carisiacensi secunda*, anno DCCCLIII. *Valentina tertia*, anno DCCCLV. *Lingonensi*, & *Tullensi*, anno DCCCLIX. quæ, fervente nono Ecclesiæ sæculo in Galliis causa Gothescalchiana, celebratæ sunt, sat superque egimus superius. Consulto etiam hic prætermitto Concilia, quæ nono Ecclesiæ sæculo in causa *Ebbonis* habita sunt, videlicet Bellovacense, an. DCCCXLV. Suessionense secundum an. DCCCLIII. & Suessionense tertium an. DCCCLXVI. Prætermitto similiter Concilia, quæ convocata sunt in causa *Rothadi* Suessionensis Episcopi, & in causa *Hincmari* Laudunensis Episcopi, ac denique in causa divortii *Lotharii* Regis, & *Theutbergæ* ejus conjugis, quia ejusmodi Concilia, & res in his gestas jam compendiose attigimus, nec in his diutius immorari sinit nobis in tractandis rebus Ecclesiasticis præscripta brevitas.

D. Percensuistine omnia Concilia Provincialia, quæ nono sæculo fuerunt convocata?

M. Quædam alia Concilia Provincialia IX. Ecclesiæ sæculo fuerunt convocata, a quibus breviter nos expedire necesse est. Anno itaque DCCCL. habita est Synodus *Ticinensis*, in qua ad reformandos Ecclesiæ mores conditi sunt XXV. Canones, quorum Synopsim, & expositionem exhibet *Natalis Alexander* art. XVIII. cap. IV. Historiæ sæculorum IX. & X. Ad Concilium *Tullense* secundum in Villa *Tusiaco* quatuordecim Provinciarum Episcopi an. DCCCLX. convenerunt, ac pro Ecclesiasticæ Disciplinæ restauratione quinque condiderunt Canones, qui extant una cum *Epistola Synodali* adversus rerum Ecclesiasticarum invasores, & Hincmari Epistola de nuptiis *Stephani*, & filiæ Regimundi comitis Synodi jussu scripta Tomo VIII. Conciliorum. *Wormatiam* nobilem Germaniæ Civitatem Nationalis convenit Synodus suasione *Ludovici* Germaniæ Regis anno DCCCLXVIII. in qua conditi sunt Canones XLV. ex quibus singulari observatione dignus est Canon decimus quintus, quo statuitur, ut ad inquirendum furti auctorem in Monasteriis, Missa ab Abbate, vel alio Presbytero ejus jussu celebretur, & singuli Monachi pro purgatione sua corpus, & Sanguinem Christi percipiant, ut hoc pacto se innocentes ostendant. Sed hæc disciplina, quæ IX. Ecclesiæ sæculo obtinebat, propter sacrilegii periculum postea jure merito fuit abrogata. Præter hos quadraginta quinque Canones Concilii Wormatiensis, circumferuntur alii triginta quinque, qui tamen in vetusto MS. Codice desunt, nec ad istam Synodum Wormatiensem pertinent, cum interdum in iis repetantur, quæ superioribus Canonibus sancita leguntur. Hinc est, quod Viri eruditi triginta illos quinque Canones ex aliarum Synodorum Decretis conflatos esse opinentur. Extant Canones conditi in ista Synodo Wormatiensi Tomo VIII. Conciliorum, eosque recenset, & explicat *Natalis Alexander* artic. XXIII. cap. IV. partis primæ Histor. sæculorum IX. & X.

Anno DCCCLXXVI. *Carolus Calvus* post mortem *Ludovici* patrui sui Imperator a *Joanne VIII.* Summo Pontifice coronatus, Synodum secundam *Ticinensem* congregari curavit, ut sibi ab Episcopis, Abbatibus, & Optimatibus Regni Italici Imperium Confirmaretur. Quapropter, hac in Synodo *Carolus Calvus* ab omnibus acclamatus atque susceptus fuit Imperator, conditaque sunt Capitula quindecim, quorum primo decernitur, *ut Sancta Romana Ecclesia, sicut est Caput omnium Ecclesiarum, ita ab omnibus honoretur, & veneretur*. Reliqua illius Synodi Capitula extant tomo IX. Conciliorum, & in Capitularibus Caroli Calvi. Eodem anno *Carolus Calvus*, qui in Synodo secunda Ticinensi a Proceribus, & Episcopis Regni Italici acclamatus fuerat Imperator, pariter a Galliis in Synodo Pontigonensi susceptus est Imperator. In hac Synodo Pontigonensi Ticinensia Capitula fuerunt confirmata, *Formosi* Portuensis Episcopi, & aliorum excommunicatio, facta in Synodo Romana, a Patribus Gallicanis approbata. Primatus *Ansegisi* Archiepiscopi Senonensis, qui post mortem *Ludovici* Imperat. a Carolo Calvo Romam missus fuerat, ipsique Imperium a *Joanne VIII.* Papa, & Italiæ Primoribus ut deferretur effecerat, unanimiter agnitus est. Sed de hoc Primatu, quem per Gallias, & Germaniam Joannes VIII. Pontifex Maximus contulit *Ansegiso* Senonensi Archiepiscopo, legendi sunt *Natalis Alexander* artic. I. parag. 3. capit. V. partis primæ sæculorum IX. & X. & *Gerardus Duboi* in Historia Ecclesiæ Parisiensis capit. I. Acta integra istius Synodi Pontigonensis recitat *Baronius* ex continuatore *Aimoni*, qui ea exscripsit ex Annalista Bertiniano. Extant tamen & alia ejusdem Synodi Acta, illa fortasse quæ cum Legatis Apostolicis dictasse, & in Synodo legisse dicitur *Odo* Episcopus Bellovacensis, quorum partem *Baronius* ad annum Christi DCCCLXXV. refert ex *Odoranno* in Chronico. Sed in his posterioribus Actis *Ansegisi* Primatus unanimiter agnitus ac susceptus dicitur, cum tamen in prioribus nihil apud Episcopos *Ansegisus* promovisse dicatur.

Anno DCCCLXXVII. *Joannes VIII.* Pontifex Maximus Concilium *Ravennatense* celebravit, cujus Decreta publicavit *Holstenius* in Collectione Romana. Supersunt illius Concilii tantum Capitula XIX. ad disciplinam & immunitatem Ecclesiasticam restituendam spectantia, & præterea Epistola, qua possessio Flaviniaci Monasterii *Adalgario* Æduensi Episcopo confirmatur, ut constat ex Diplomate, quod ex Ecclesiæ Æduensis Tabulario desumptum edidit *Chiffletius*, Societatis Jesu in probationibus Historiæ Tornutiensis Monasterii. Canones conditi in hoc

Con-

Concilio Ravennensi fuerint confirmati in Synodo secunda Trecensi, quam *Joannes VIII.* Summus Pontifex in Galliis existens an. DCCCLXXVIII. convocavit. (*a*). In hac Synodo Trecensi actum est de causa *Hincmari* Laudunensis Episcopi, sicut superius a nobis jam observatum est.

„ (*a*) Concilii hujus Trecensis acta ex Ambrosianis schedis auctiora & ampliora edidit „ Muratorius Rer. Ital. to. II. p. 2. ex quibus „ apparet canones in ea editos ad viginti ascendisse; huic vero non Joannes quidem Pontifex, uti plerisque creditum, sed Anspertus „ Mediolanensis Archiepiscopus praefuisse discimus. Subscripti vero huic leguntur plures Itali Episcopi, & subjiciuntur subscriptiones Patrum Concilii Pontigonensis. In quo concilio canones Ravennatenses confirmati sunt.

Anno DCCCLXXXI. congregata est Synodus apud Sanctam *Macram* in Dioecesis Remensis finibus, in qua non pauca ad Disciplinam Ecclesiasticam estanrandam sancita sunt, extantque Canones octo in ea conditi Tom. IX. Conciliorum. An. DCCCLXXXVIII. *Luitbertus* Archiepiscopus Moguntinus Synodum Moguntiae celebravit, in qua ad Disciplinam Ecclesiasticam propter incursiones Normannorum reformandam viginti sex conditi sunt Canones, qui extant Tomo IX. Conciliorum. Eodem circiter anno Synodus *Metensis* celebrata est in Ecclesia Sancti Arnulphi, cui *Ratbodus* Trevirensis Archiepiscopus, & tres Episcopi, unus Abbas, & multi Sacerdotes adfuerunt. Tredecim in ea Synodo conditi sunt Canones, qui extant tom. IX. Conc. An. DCCCXCII. apud Viennam Galliae Metropolim, praesentibus, & praesidentibus *Formosi* Papae legatis Concilium ab Episcopis Regni Arelatensis in Basilica Salvatoris celebratum est, in quo conditi sunt quatuor Canones, qui extant Tom. IX. Conciliorum. An. DCCCXCV. apud *Tiburiam* Villam Regiam ad Rhenum non longe a Moguntia, Synodus, quae dicitur *Tiburiensis*, congregata est ad corrigenda Clericorum vitia, & ad Ecclesiasticae Disciplinae restaurationem. Ad eam Episcopi viginti duo convenerunt, qui Canones quinquaginta, & octo ediderunt, quos refert, & explicat *Natalis Alexander* art. XXX. cap. IV. partis I. saeculorum IX. & X. Denique, ex tribus Conciliis, quae *Flodoardus* in Fragmento *de Pontificibus Romanis* a Joanne IX. Pontifice Maximo congregata fuisse affirmat, duo tantum supersunt, nempe *Romanum*, & *Ravennense*, quae an. DCCCXCVIII. fuere celebrata. In Concilio Romano Acta Pseudo-Synodi Romanae a Stephano VII. habitae Joannes IX. infirmavit, *Sergium*, & socios damnatos restitui vetuit, violatores Sepulchri, cadaverisque *Formosi* Papae damnavit, Episcopos a *Stephano VII.* exauguratos ad gradus pristinos reduxit, & *Lamberti* Imperatoris unctionem confirmavit. In Concilio Ravennensi, quod paulo post Concilium Romanum ab eodem *Joanne IX.* coactum est, & cui *Lambertus* Imperator, & LXXIV. interfuerunt Episcopi, Statuta in Capitularibus Regum Francorum de persolvendis decimis Episcopis confirmata sunt. Sed de utroque Concilio, *Romano* videlicet, & *Ravennensi* legendus est Clarissimus *Pagius* in sua Critica Baronii ad annum DCCCXCVIII. ubi etiam perdocte observat, *Sigonium* lib. 6. *de Regno Italiae*, & nonnullos alios Scriptores fuisse hallucinatos, dum Concilium Ravennense inscite confuderunt cum Concilio Romano, & ex duobus unum perperam fecerunt (*b*). Sed de Conciliis, quae tam ad dirimendas fidei Controversias, quam ad sanciendam Ecclesiae disciplinam variis in locis nono Ecclesiae saeculo fuerunt celebrata, plura non dicam, ne praetergrediar horam, qua Colloquia nostra arenaria Clepsydra vulgo metiri solemus.

„ (*b*) Quamquam & alia ego Concilia, hoc „ labente seculo celebrata, in meo Conciliorum „ Supplemento recensui, in collectiones nondum „ invecta, eaque hic attingere supersedeo, memoraru tamen dignum judico Concilium Catalaunense sub Mantone Episcopo, quem sedere coepisse judico circa annum 893. Ille „ vero habita Catalaunis Synodo judicavit in „ causa Angelrici presbyteri, qui palam uxorem „ duxit. In ea causa Patres judicarant tantisper suspendi sententiam, quoad usque Remensis Archiepiscopus Fulco consuleretur. „ Extant Mantonis ad eundem Fulconem literae apud Mabillonium Analect. p. 429. edit. in „ fol. Hoc primum exemplum conjugii a Sacerdotibus celebrati occurrit.

COLLOQUIUM V.

De Viris Illustribus, qui nono Ecclesiae saeculo doctrinae, & pietatis laude claruerunt.

D. UT scriptorum Ecclesiasticorum, qui in variis Orbis partibus nonum Ecclesiae saeculum doctrina, & pietate illustrarunt, notitiam facilius assequi, eorumque genuina Opera accuratius a spuriis secernere possim, optarem ut in isto Colloquio illos distribueres in sex omnino classes; ita ut in prima essent omnes Scriptores Galli; in secunda Scriptores Itali; in tertia Scriptores Germani; in quarta Scriptores Hispani; in quinta Scriptores Hispani; in quinta Scriptores e Regno Angliae oriundi, & in postrema insererentur Viri illustres, qui in Ecclesia Orientali floruerunt.

M. Quod Gallos Scriptores in prima classe illustrium Virorum, qui nono Ecclesiae saeculo doctrina & pietate praefulserunt, reposueris; juste ac sapienter fecisti. Abundavit quippe nono saeculo prae caeteris aliis nationibus Gallia Viris eruditione & sanctissima clarissimis, qui ad dilucidandas Controversias eo saeculo enatas de Sanctissimo Altaris Sacramento seu *Corporis & Sanguinis Domini*; de Praedestinatione & voluntate Dei salvandi homines, necnon de Cultu, qui Sanctorum Imaginibus deferri debet, praeclara ediderunt Opera. Extiterunt etiam eodem saeculo in Galliis doctissimi Abbates & Monachi, qui ad fidei Catholicae defensionem, & Monasticae Disciplinae observationem indefesso studio suam omnem curam, industriam, & eruditionem contulerunt.

Graveson Hist. Tom. III. I 3 D. In-

D. Incipiamus, quæso, ab illis Gallis Scriptoribus, qui in Controversia, quæ de Eucharistia nono sæculo exorta est, libros de Sanctissimo Altaris Sacramento, seu *Corporis, & Sanguinis Domini* elucubrarunt.

M. *Paschasius Radbertus* Ord. Sancti Benedicti Abbas Monasterii Corbejensis librum edidit de Sanctissimo Altaris Sacramento, seu *Corporis & Sanguinis Domini* anno octingentesimo trigesimo primo, ut perdocte evincit *Mabillonius* sæculo IV. Benedictino parte secunda in Præfatione capite primo. Hunc librum eo fine a se editum testatur Paschasius in Epistola, quam scripsit ad *Carolum Calvum* Francorum Regem, ut exponeret de Eucharistiæ Sacramento Catholicam doctrinam in gratiam Saxonum Puerorum recens ad Christianam Fidem conversorum. Qua de causa tria potissimum hoc in Opere docet Paschasius, quæ statim ab initio libri exponit, nimirum verum Corpus & Sanguinem Christi existere in Eucharistia: Panis & vini substantiam non superesse facta consecratione: ipsumque Christi Corpus in Eucharistia existens non aliud esse quam quod de Maria Virgine natum est. Tanta perspicuitate primus inter veteres ejusmodi argumentum pertractat *Paschasius*, ut eum veluti Apostolicæ traditionis eximium hac in causa interpretem agnoscat Catholica Ecclesia. At Hæretici nostri temporis, qui præsentiam realem Corporis, & Sanguinis Christi in augustissimo Eucharistiæ Sacramento inficiantur, *Paschasium Radbertum* ceu novatorem lacessunt, asseruntque illum ab antiqua Ecclesiæ fide descivisse, ut novam realis præsentiæ & Transubstantiationis doctrinam inveheret in Ecclesiam. Verum, hoc putidum Hæreticorum commentum ab omni veri specie prorsus abhorret. *Paschasius* siquidem præsentiam realem Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia, necnon Transubstantiationis dogma in libro a se edito ita asserit, *ut*, si quis non cedat, *impio deteriorem* esse pronunciet capite duodecimo, & in Epistola, quam scripsit ad *Fredegardum*, appellet *Sanctorum fidem*, secus vero sentientes *contra ipsum Dominum, & contra omnem Ecclesiam agere* dicat. Quin, & ipsemet in Commentario in Matthæum testatur: neminem esse, qui in aperto hoc ita esse contradicat, quod totus Orbis credit, & confitetur. Porro, quis, nisi emotæ mentis homo, suum inducat in animum, eo impudentiæ prorupisse *Paschasium*, ut fingeret, non unum terræ angulum, non singulares Ecclesiæ populos, sed totum Orbem Christianum, nemine in aperto contradicente, sentire, & confiteri, quod ipse sentiebat, scribebatque? Quis, inquam, credat, Paschasium, si revera novator fuisset, ut obstrepunt Hæretici, potuisse obtinere ab Episcopis Gallicanis in Synodo Parisiensi congregatis privilegium pro suo Monasterio Corbejensi cum eximio elogio ejusdem Cœnobii Monachorum, qui omni procul dubio Paschasii Abbatis, ac Magistri sui doctrina erant imbuti? Denique *Paschasium* novatorem non fuisse ex eo maxime liquet, quod ei nullus noni sæculi Scriptor erroris dicam scripserit, sed potius omnes Episcopi, Abbates, & Monachi sanctitate & doctrina conspicui illum ceu avitæ fidei, vitæque integerrimæ virum complexi, & maxima amicitia prosecuti sint, qui profecto, ut erant antiquæ fidei retinendæ tenaces, novatorem non tulissent, sed, ut par erat, eum admonuissent, arguissent, coercuissent, confutassent. Sed de doctrina noni Ecclesiæ sæculi circa Sacro-Sanctam Eucharistiam plura in sequenti Colloquio dicemus. Hæc autem in præsentia sufficere possunt ad refellendum istud tam insulsum Hæreticorum commentum. Quæ enim opponit *Claudius* Carentonensis Pseudo-Minister levissima argumenta, ut suspectam reddat Paschasii fidem, probetque eum cum sui temporis Ecclesia non concordare, nullo negotio exsufflat doctissimus *Mabillonius* parte II. sæculi IV. Benedictini in Præfatione. Præter hunc librum *de Sanctissimo Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini*, alia Opera edidit *Paschasius Radbertus*, quæ *Sirmundus* publicavit una cum ejus Vita, in qua ait, Paschasium Sanctitate illustrem ex hac vita ad Deum migrasse anno DCCCLI. *Mabillonius* tamen parte II. sæculi IV. Benedictini in Elogio, quod texuit, Paschasii Radberti, probat Paschasium ad annum circiter DCCCLXV. superstitem fuisse, ibidemque disserit de ejus scriptis, virtutibus, & meritis. In Præfatione etiam ad partem secundam sæculi IV. Benedictini manifesto ostendit, perspicua Paschasii de reali præsentia Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia, & de Transubstantiatione, doctrina oppressos Lutheranos, & Calvinistas ad varias artes confugisse, ut veritati tenebras offunderent, & se ab ejus authoritate expedirent. Solide etiam ibidem Mabillonius demonstrat, Paschasium Radbertum contra antiquitus receptam de Eucharistia fidem nihil in medium protulisse, sed potius universalis Ecclesiæ doctrinam sedato, simplicique modo exposuisse. De Paschasii Radberti doctrina circa Eucharistiam legi etiam potest *Natalis Alexander* Dissertatione V. in Historiam sæculorum IX. & X. ubi quæcumque Hæreticorum in Paschasium argumenta diluit, & invictis momentis fidem Catholicam astruit. In Editione Operum *Paschasii*, quam adornavit Sirmondus, deest Vita Sancti *Walæ* Abbatis Corbejensis a Paschasio Radberto edita, quam *Mabillonius* parte I. sæculi IV. Benedictini publicavit. Desunt quoque duo Tomi *De partu Virginis* ab eodem *Paschasio* conscripti, quos *Lucas Dacherius* Benedictinus parte I. Tomi XII. Spicilegii inseruit.

D. Observasti, ut bene memini, in Colloquio tertio in Historiam hujusce sæculi noni, occasione istius libri de Sanctissimo Altaris Sacramento, seu *Corporis & Sanguinis Domini*, a Paschasio Radberto editi, quosdam noni sæculi Scriptores Ecclesiasticos, videlicet *Rabanum Maurum*, *Amalarium*, & *Ratramnum* quamdam de Eucharistiæ Sacramento excitasse controversiam, quæ tamen, ut ibidem exposuisti, non versabatur, sicut ineptissime asserunt Hæretici, circa fidei dogma de reali præsentia Corporis, & Sanguinis Chri-

Christi in Eucharistia, & de Transubstantiatione (in hoc enim asserendo fidei dogmate, quod semper, ubique, & ab omnibus in Ecclesia creditum est, tam *Paschasius*, quam *Rabanus*, *Amalarius*, & *Ratramnus* consentiebant, sicut ex disertis illorum Scriptorum testimoniis, quæ ibidem laudasti, certissime liquet) sed solum prædicta Controversia versabatur circa modum, quo Corpus Christi Domini existit in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento. Quapropter, cum istius Controversiæ circa Eucharistiam nono Ecclesiæ sæculo obortæ statum jam a te expositum probe noverim, necessum non est, ut in eo explicando diutius hic immoremur, sed sufficiet paucis in præsentia perstringere vitam, & Opera *Rabani*, *Amalarii*, & *Ratramni*, quos in hac enata de Eucharistia disceptatione Paschasius Radbertus adversarios nactus est. (*a*)

„ (*a*) Præter hæc scripta Paschasii, & alia „ hic indicata, in anecdotis P. Pez tom. I. pa. „ I. evulgatum est ejusdem authoris opus *de fide*, *spe*, *& charitate*, quod ex munere Cl. Eccardi „ idem anecdotorum scriptor evulgavit. Idem „ opus extat pariter, sed correctius, in collectione monumentorum PP. Martene & Durand. „ Denique ego in meis additionibus ad Fabricii „ Bibliothecam latinam med. & infim. latin. „ animadverti libellum de Corpore & Sanguine „ Christi instrui præfatione carmine acrosticho „ scripta; eamdem vero præfationem servari pariter animadverti in libello de Corpore & Sanguine Christi a Gezone Abbate Derthonensi „ edito, eandemque ibi instrui nomine Paschasii Ratberti ad Placidum. Sed versus, qui „ in Libello a Martene edito sunt XV. in Gezone sunt LXXXII.

M. *Rabanus Maurus* Moguntiæ natus Ordini Sancti Benedicti, dum adhuc juvenis esset, nomen dedit, postea Abbatiæ Fuldensi Præpositus, & ex Abbate Fuldensi Archiepiscopus Moguntinus consecratus emicuit, teste Baronio ad annum Christi octingentesimum quinquagesimum sextum, *ut fulgentissimum sydus*, cujus quæ extant scripta, tamquam lucis radii excellentiam demonstrant Auctoris, ut ex iisdem illustrata Germania glorietur suum haud adeo imparem magnis habuisse Doctorem. De eodem Rabano *Trithemius* tradit, ipsum, præter Opuscula tam carmine, quam soluta oratione conscripta, Scripturam Sacram a principio usque ad finem feliciter explanasse, virumque fuisse plane omni litterarum genere apprime excultum, ac trium linguarum Hebraicæ, Græcæ, atque Latinæ peritum. Mortuus est Rabanus Maurus Archiepiscopus Moguntinus anno DCCCLVI. ut tradit Anralista Fuldensis a Baronio citatus. De ejus Operibus tam editis, quam ineditis, & de legitimis, & spuriis, quæ ei attribuuntur, doctissimus Mabillonius in illius Elogio, quod texit parte II. sæculi IV. Benedictini, accurate disserit, quemadmodum & de ipsius zelo pro fide, & integritate morum, de ejus præceptoribus, & de fama, quam sibi comparavit in Academia Fuldensi, ubi summa cum laude docuit, multosque discipulos habuit, & in his *Walafridum Strabum*, *Servatum Lupum*, *Otfridum* Monachum Wissemburgensem, & *Rudolfum*, qui ejus Vitam descripsit. De præsentia reali Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia, necnon de transubstantiatione recte, & catholice sensisse *Rabanum*, eumque a fœda Stercoranistarum hæresi, quam ei perperam nonnulli affingunt, penitus fuisse alienum, breviter, juxta nobis in pertractandis de fide controversiis præscriptos limites, ostendimus in Colloquio tertio in Historiam hujusce sæculi. Sed si plura super hac re scire aveas, consule *Mabillonium* loco mox laudato, & nostrum *Natalem Alexandrum* parag. II. Dissertationis XI. in Historiam sæculorum IX. & X. ubi doctrinam Rabani Mauri Archiepiscopi Moguntini circa Eucharistiæ Sacramentum egregie vindicat ab hæreticorum calumniis. (*a*)

„ (*a*) Inter inedita Rabani opera nemo huc„ usque meminit epistolæ ejus ad Humbertum „ Episcopum, quam ego in Codice Palatino Vaticano 576. nactus, mihi descriptam evulgabo „ in nova Conciliorum editione. Quæsitus ab „ Humberto Rabanus quoto cognationis gradu „ licita sint connubia, post quæstionis hujus „ commodam discussionem respondet, sibi ea „ placere, quæ Theodorus Archiepiscopus Dorobernensis in suo Pœnitentiali statuit, adeoque „ in quinto non suadendum quidem, sed tolerandum esse conjugium.

Amalarius (quem in doctrina de præsentia reali Corporis, & Sanguinis Domini, & de Transubstantiatione una cum Paschasio Radberto consensisse, & ab eo dumtaxat quantum ad certum quendam loquendi modum discrepasse jam ostendimus in Colloquio tertio in Historiam istius sæculi) fuit Ecclesiæ Metensis Diaconus, sed non Episcopus illius Ecclesiæ, ut male quibusdam visum est. Mabillonius in Commentario prævio ad Ordinem Romanum pagin. 3. Amalarium Lugdunensem Chorepiscopum fuisse probat ex Epistola inedita *Flori* Lugdunensis Ecclesiæ Diaconi adversus Amalarium scripta, in qua illum his verbis durius carpit: *Contra falsiloquas*, inquit Florus, *adinventiones Amalarii quondam Lugdunensis Chorepiscopi de Corpore Domini tripartito*. Scripsit iste *Amalarius* Metensis Diaconus libros quatuor *De Divinis sive Ecclesiasticis Officiis*, & librum de *Ordine Antiphonarii*. Baluzius in appendice ad Tomum secundum Capitularium pag. 1352. & seqq. eruit ex vetustissimo Codice MS. Monasterii S. *Galli* in Helvetia Opusculum Amalarii Abbatis cui Titulus: *Eclogæ de Ordine Romano*, *& de quatuor Orationibus Episcoporum*, *sive populi in Missa*, quod quatuor librorum ejusdem Amalarii Metensis *De Divinis Officiis* supplementum quoddam censeri potest. Scripsit etiam idem Amalarius aliquot Epistolas ad Episcopos a Luca Dacherio vulgatas Tomo VII. *Spicilegii*, & *Regulam*, seu *Institutionem Canonicorum*, quæ in Concilio Aquisgra-

nensi anno DCCCXVII. habito lecta, approbata, & Synodica auctoritate confirmata est. Liber *de Præscientia, & Prædestinatione*, quem Amalarius Metensis suasu Hincmari Archiepiscopi Remensis composuit adversus Gothescalcum Monachum Corbejensem, non amplius extat. Constat tamen, hunc Amalarii librum non fuisse probatum Ecclesiæ Lugdunensi, quippe quæ illum in libro *De tribus* Epistolis acri Censura perstringit. *Agobardus* etiam Lugdunensis Archiepiscopus quatuor libros *De Divinis Officiis* ab Amalario Metensi editos singulari Opere impugnavit, in iisque multas propositiones, inutiles, absurdas, & noxias reprehendit. De quibus Amalarii propositionibus, sicut & de ejus doctrina circa Eucharistiam legendus est *Natalis Alexander* sæculo IX. artic. II. Dissertationis XII. Hic tantum velim obiter observes, multos Scriptores post Trithemium confundere hunc Amalarium Metensem cum altero *Amalario Fortunato* Trevirensi Archiepiscopo. Sed ejusmodi Scriptores hallucinari, ac revera duos distinguendos esse *Amalarios*, quorum unus fuit Archiepiscopus Trevirensis, alter vero Ecclesiæ Metensis Diaconus, evidenter ostendit *Sirmondus* in Epistola quadam a *Labbeo* in Dissertatione *de Scriptoribus Ecclesiasticis* in addendis & corrigendis recitata. *Amalarius* Metensis auctor est librorum, quos mox percensui. (*a*) De *Amalario* Trevirensi Archiepiscopo multa Commentitia circumferuntur, sed de illo hæc quatuor certo affirmari possunt. Primo, quod auctor sit libelli *Alcuino* Caroli Magni præceptori suppositi *De Cæremoniis Baptismi*, ut ex Codice Petaviano solide probat idem *Sirmondus* in Notis ad Theodulphum Aurelianensem Episcopum. Secundo, quod Transalbianam Saxoniam erudierit, & ad fidem Christianam converterit. Tertio, quod Legatus in Orientem a *Carolo* Augusto pro pace confirmanda directus fuerit. Denique, quod mortuus sit anno DCCCXIV. sicut testantur Annales Francorum. Ex quo palam sequitur, falso quosdam asserere, *Amalarium Fortunatum* Trevirensem Archiepiscopum esse auctorem quatuor librorum *De Divinis seu Ecclesiasticis Officiis*, necnon libri *de Ordine Antiphonarii*, cum ipse mortuus sit anno DCCCXIV. & isti libri juxta accuratum Virorum eruditorum judicium scripti non fuerint ante annum 827.

„ (*a*) De Amalario certius aliquid didicimus ex quo luci publicæ data est a PP. Martene, & Durand in Collect. Veter. Monum. Tomo IX. Epistola illa Flori adversus Amalarium, quæ a P. Graveson hic dicitur inedita. Ex ea ergo discimus Amalarium Chorepiscopum tunc Ecclesiæ Lugdunensis, exhibuisse Synodo ejusdem Ecclesiæ ingens volumen, quod inscripsit: *Officiale*, seu *De Divinis Officiis*; tum dedisse aliud, quod inscripsit *Antiphonarium*; demum & tertium opus cui titulum indidit *Embolim Opusculorum suorum*. Postremus iste liber „ forte idem fuerit ac *Ecloge de Ordine Romano* a Baluzio, ut hic a Gravesonio notatum, vulgatus.

Inter adversarios Paschasii Radberti in Controversia *de Corpore & Sanguine Domini*, *Ratramnum*, seu, ut alii dicunt, *Bertramum* Cœnobii Corbejensis Ordinis S. Benedicti Monachum connumerant Hæretici, pertenduntque, illum in libro, quem ipsi attribuunt *de Corpore & Sanguine Domini*, aperte negasse præsentiam realem Corporis, & Sanguinis Christi in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, necnon Transubstantiationis dogma. Verum, an ille liber *de Corpore & Sanguine Domini* jussu Caroli Calvi Francorum Regis editus auctorem habeat *Ratramnum*, seu *Bertramum*, an vero *Joannem Scotum Erigenam* eodem sæculo nono viventem, ita ut *Joannes Scotus Erigena*, qui de Eucharistia pessime sensit, sub adscititio nomine latere voluerit, magna nostris temporibus Doctores etiam inter Catholicos emersit disceptatio. Illustrissimus Dominus Petrus *De Marca* Archipræsul Parisiensis in Epistola ad *Lucam Dacherium* Monachum Benedictinum Tomo secundo ejus *Spicilegii* præfixa libellum *Bertrami* nomine ab Hæreticis Protestantibus excusum, & *Ratramno* Corbejensi Monacho a *Sigeberto*, & Trithemio tributum, illi abjudicat, eumque Joanni Scoto Erigenæ vindicat; quam sententiam *Joannes Harduinus* Societatis Jesu in libro *de Sacramento Altaris*, & eruditus Canonicorum Regularium Congregationis Sanctæ *Genovefæ* Theologus in Dissertatione edita ad calcem Tomi primi *de perpetua Ecclesiæ Fide circa Eucharistiam*, novis constabilierunt conjecturis, & documentis. *Mabillonius* tamen in Præfatione ad partem secundam sæculi quarti Benedictini, & *Natalis Alexander* Dissertatione XIII. in Historiam sæcul. noni, & decimi, aliique plures hujus temporis Viri eruditi asserunt, librum illum *de Corpore & Sanguine Domini* vere Ratramni esse, ac nullum errorem continere, sed quasdam duntaxat duriores & obscuriores sententias, quæ expositione aliqua facile molliri, & in Catholicum sensum adduci possunt. Utraque horumce Catholicorum Doctorum sententia, circa auctorem istius libri *de Corpore & Sanguine Domini*, quamvis refelli solide possit calumnia Hæreticorum asserentium, *Ratramnum*, seu *Bertramum*, in doctrina de reali præsentia Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia, necnon de Transubstantiatione a Paschasio Radberto nono Ecclesiæ sæculo recessisse; nihilo secius, ut candide fatear, mihi magis probatur opinio illorum, qui docent, hunc librum *de Corpore & Sanguine Domini* tribuendum non esse Ratramno, seu Bertramo, sed potius adjudicandum esse *Joanni Scoto Erigenæ*, qui, ut mox dicemus inter referendum Scriptores Anglos noni sæculi, pessime sensit de Sacro-Sancta Eucharistia, & Sacramentariorum hæresim præformavit. Huic itaque *Joanni Scoto Erigenæ* asserendum

dum esse illum librum *De Corpore & Sanguine Domini*, probant periti Critici multis momentis. Primo, quia hic liber in *Indice* Concilii Tridentini inter damnatos libros relatus est, & a Clemente VIII. Pontifice Maximo omnino repudiatus, quippe qui nulla potest juvari interpretatione, & apertam Hæresim docet, ut recte monent *Sixtus Senensis*, *Sanctesius*, *Possevinus*, *Petrus de Marca*, *Cardinalis Perronius*, plerique alii. Secundo, quia stylus istius libri suum indicat auctorem *Joannem Scotum Erigenam*: Ovum siquidem non est ovo similius, quam stylus hujusce libri similis est stylo libri *de Prædestinatione*, quem a *Joanne Scoto Erigena* procusum fuisse, certissime constat. Denique, *Ascelinus* Monachus in Epistola ad Berengarium, & Berengarius ipse Hæreticus in Epistola ad Richardum, quæ extat apud *Dacherium* Tomo II. *Spicilegii*, aperte innuunt, hunc librum *de Corpore & Sanguine Domini* a Joanne Scoto Erigena fuisse lucubratum. Hæc sunt momenta, quibus hic liber Ratramno abjudicatur, & Joanni Scoto Erigenæ asseritur. Si tamen cum *Mabillonio*, & *Natali Alexandro* prædictum librum Ratramno vindicare velis, non intercedam, dummodo cum doctissimis illis viris dicas, Ratramnum in hocce libro a Paschasii Radberti doctrina de reali præsentia Corporis & Sanguinis Domini in Eucharistia non recessisse, sed solum cum ipso pugnasse, quantum ad certum quemdam loquendi modum, sicut breviter exposuimus in Colloquio tertio in Historiam hujus sæculi noni, & uberiorem veri sensus Ratramni expositionem invenies apud Mabillonium, & Natalem Alexandrum, qui difficiliores, & obscuriores quasdam propositiones, quæ reperiuntur in isto libro, & Lectori aliquid negotii facessere possunt, liquido explanant, & in sensum Catholicum benignis adhibitis interpretationibus adducunt (*a*). Sed missa illa Controversia de auctore hujus libri *de Corpore & Sanguine Domini*, fatentur omnes ad unum Critici, Ratramnum Monachum Corbejensem, qui *Ludovico Pio*, & *Carolo Calvo* regnantibus nono sæculo floruit, scripsisse libellum *de Nativitate Christi*, qui Tomo I. Dacheriani Spicilegii editus est. Quatuor libros etiam composuit Ratramnus *Responsionum ad Objecta Græcorum*, qui Tomo secundo ejusdem *Spicilegii* extant. Libros insuper duos *de Prædestinatione & Gratia* edidit contra Gothescalcum, librum unum *de Trina Deitate*, & librum *de Anima*. Sed hactenus satis de Scriptoribus Gallis, qui in Controversia nono Ecclesiæ sæculo de Eucharistia in Galliis excitata magnam suis lucubrationibus eruditionis laudem promeriti sunt.

„ (*a*) Obtinet modo opinio asserens Ratramno „ opusculum de Corpore, & Sanguine Domini, „ uti testantur authores doctissimi Historiæ Literariæ Gallicanæ Tom. V. eidemque vindicat authoritas Herigeri, qui sæculo post Ratramnum posteriori vivebat, sicut & vetusti „ MSS. Codices ante annos 800. vel 700. scripti, „ a Mabillonio consulti. Immerito vero a Protestantibus tanquam opinionis suæ de Eucharistia vindicis adduci, ex verbis ipsis Ratramni optime demonstratum est ab eodem Mabillonio, quem adeas in Actis SS. Benedictinorum Tom. VI. & Annalium Tom. „ IV.

D. Quinam sunt celebriores Scriptores Galli, qui in altera Controversia, quæ nono Ecclesiæ sæculo, occasione doctrinæ Gothescalci *de prædestinatione*, *de libero arbitrio*, & *de voluntate Dei salvandi homines*, in Galliis suborta est, libros conscripserunt?

M. Plures haud ignobiles Scriptores huic ventilandæ Controversiæ calamo manum admoverunt, quos inter adnumerantur *Gothescalcus* Auctor istius Controversiæ, *Hincmarus* Remensis Archiepiscopus Gothescalci adversarius infensissimus, *Amolo*, & *Remigius* Lugdunenses Archiepiscopi, *Florus* Ecclesiæ Lugdunensis Diaconus, *Lupus Servatus* Abbas Ferrariensis, & *Prudentius* Trecensis Episcopus, quorum Auctorum noni sæculi Opera *de Prædestinationis & Gratia* Vir Clarissimus *Gilbertus Mauguinus* Tomo secundo libri *Vindiciarum Prædestinationis & Gratiæ* in lucem edidit, nosque eorumdem Scriptorum Opera, aliaque ab ipsis edita, breviter hic indicabimus.

In primis *Gothescalcus*, de cujus doctrina, vita & morte in præcedentibus Colloquiis multa diximus, scripsit duas *Confessiones*, sive doctrinæ suæ expositiones, quarum una brevior, altera multo prolixior est. Scripsit etiam Epistolam ad *Ratramnum*, obtulit *Rabano Mauro* Archiepiscopo Moguntino libellum *de Prædestinatione*, & contra *Hincmarum* Remensem Archiepiscopum composuit librum *de Trina Deitate*. Doctrinam *Gothescalci de prædestinatione*, *de libero arbitrio*, & *de voluntate Dei salvandi homines* data opera impugnavit *Hincmarus* Remensis Archiepiscopus ex nobili ortus Francorum familia, & Monachum primo professus in Monasterio Sancti *Dionysii* prope Parisios. Edidit contra Gothescalcum tres libros de *Prædestinatione* & *libero arbitrio*, & alterum Volumen *de Prædestinatione*. Scripsit etiam contra eumdem, librum *de non Trina Deitate*. Insuper occasione divortii *Lotharii* & *Theutbergæ* Reginæ librum composuit *Hincmarus*, complures etiam Epistolas, & aliquot Opuscula, quæ omnia duos in Tomos distributa, *Jacobus Sirmondus* Parisiis, an. MDCXLV. publica luce donavit, nullumque in iis esse ait, quod utilitate sua careat, & in quo præstans Authoris judicium cum scientiæ copia non eluceat. Quinque alia ejusdem Hincmari Remensis Archiepiscopi Opuscula adhuc inedita, & *Hincmarum* Laudunensem Episcopum ipsius nepotem spectantia una cum Concilio Duziacensi Parisiis anno MDCXLVIII. edidit, suisque Notis illustravit *Ludovicus Cellotius*. Hincmari Vitam scripsit *Flodoardus* libro tertio Remensium Episcoporum, a quo, ob Canonum peritiam & Theologiæ scientiam plurimum commendatur. At multa, quæ *Hincmarus* Remensis Archiepiscopus non solum adversus Gothescalcum Monachum, sed etiam contra nepotem suum

Hinc-

Hincmarum Laudunensem Episcopum, & *Rothadum* Suessionensem Antistitem parum humaniter gessit, aperte probant, eum in plerisque haud recte incessisse, & ambitionis æstu abreptum, sæpius quæ sua erant quæsisse, non quæ Jesu Christi.

Amolo primum Ecclesiæ Lugdunensis Diaconus, postea Agobardo ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopo successit. A partibus Hincmari Remensis Archiepiscopi adversus Gothescalcum stetit, & gravissimam ad illum Monachum dedit Epistolam, qua eum vehementer adhortatur ut ad saniorem mentem redeat. Hanc *Amolonis* Lugdunensis Archiepiscopi ad Gothescalcum Epistolam, quam primus in lucem extulit *Sirmondus*, exhibet una cum aliis ejusdem Archiepiscopi scriptis *de Gratia & Prædestinatione* Vir Clarissimus *Mauguinus* Tomo secundo libri *Vindiciarum Prædestinationis & gratiæ*. Scripsit idem *Amolo* eruditam Epistolam ad *Theobaldum* Episcopum Lingonensem, qui eum consuluerat de *Reliquiis incertis*, nec probatis, quas quidam Monachi vagi, quasi ex Urbe Roma allatas Divione in Basilica *Sancti Benigni* deposuerant. Respondit *Amolo*, ejusmodi Ossa, quæ illi Monachi (*quos viles & nequam homunculos* appellat) asportaverant, & quæ nulla auctoritate nescio cujus Sancti esse dicebantur, omnino de loco celebri & de Ecclesia esse tollenda, atque in secreto loco apto & mundo sub paucorum conscientia esse sepelienda, ne rudibus populis occasio erroris & superstitionis existerent. Addit insuper, se aliquoties vidisse, homunculos & mulierculas, quæ coram *Agobardo* decessore suo dæmoniacas se esse simulabant, sed cum plurimis verberibus distringerentur, confestim de miserrima simulatione confessas & necessitates atque egestates suas, quibus supplendis talia ostentaverant, publice exponentes, ab omni invasione dæmoniaca liberas, ut revera erat, apparuisse. Certe si hoc non minus salutari, quam efficaci verberum remedio, in præsentia uterentur hi, quibus hos abusus de medio tollere ex officio incumbit, non tot profecto viderentur etiamnum mulierculæ, quæ, ut facilius pecuniam a simplicibus obtinere possint, sese in Ecclesiis horrendis clamoribus, & insolita corporis, omniumque membrorum agitatione dæmoniacas mentiuntur. Liber *contra Judæos*, quem Pater *Chiffletius* sub *Rabani Mauri* Archiepiscopi Moguntini nomine publicavit, est genuinus *Amolonis* Archiepiscopi Lugdunensis fœtus, tum quia hunc librum *Trithemius* diserte ei tribuit; tum etiam quia in quibusdam MSS. Codicibus extat hic liber Amolonis nomine inscriptus.

Remigius Sacri Palatii *Lotharii* Imperatoris primum Archicapellanus, dein *Amolonis* in Sede Lugdunensi successor, doctrinæ Sancti Augustini *de Gratia & Prædestinatione* fuit egregius assertor ac defensor, ad quam tuendam scripsit nomine Ecclesiæ Lugdunensis librum *de tribus Epistolis*, cui alterum adjunxit instar Appendicis sub hoc titulo: *Absolutio cujusdam Quæstionis de generali per Adam damnatione, & speciali per Christum ex eadem ereptione Electorum*. Edidit etiam Sanctus *Remigius* librum de *tenenda Scripturæ veritate, & SS. Orthodoxorum Patrum auctoritate fideliter sectanda*. Habentur tria Opuscula pro defensione doctrinæ Sancti Augustini a Sancto *Remigio* elaborata apud Clarissimum *Gilbertum Mauguinum* part. 2. Tomo 1. libri *Vindiciarum Prædestinationis & Gratiæ*.

Florus Ecclesiæ Lugdunensis Diaconus, vulgo *Magister* appellatus, doctrinæ itidem Sancti Augustini de Gratia & Prædestinatione fuit acerrimus propugnator. Eam ob rem multas propositiones ex libro a *Joanne Scoto Erigena* contra *Gothescalcum* scripto excerptas, atque virulentam Pelagii & Juliani redolentes doctrinam, nomine Ecclesiæ Lugdunensis edito libro confutavit, ibidemque Prædestinatianam hæresim, quam nonnulli discipulis Sancti Augustini perperam affingebam, fictitiam esse diserte asserit. Hunc *Flori* librum adversus *Joannem Scotum Erigenam* de præscientia, Prædestinatione, & libero arbitrio scriptum Clarissimus Præses *Gilbertus Mauguinus* ex MS. Codice Corbejensi edidit cum aliis Operibus Auctorum, qui nono Ecclesiæ sæculo de Gratia & Prædestinatione scripserunt. Composuit etiam *Florus* Martyrologium, quod sub nomine Venerabilis *Bedæ* inter ejus Opera legebatur, antequam *Bollandus* initio Tomi secundi Sanctorum mensis Martii, ea, quæ *Flori* sunt, minori charactere distinxisset ab his, quæ ad *Bedæ* Martyrologium pertinent (*a*). Dubitarunt nonnulli, an Collectaneum *in omnes Sancti Pauli Epistolas* Floro Ecclesiæ Lugdunensis Diacono esset tribuendum? At doctissimus *Mabillonius* in Disquisitione singulari Tomo I. Veterum Analectorum omnem prorsus removet dubitationem, pluribusque probat, *Collectaneum* sub nomine *Bedæ* hactenus vulgatum *Floro* Ecclesiæ Lugdunensis Diacono esse adjudicandum. Plura de *Floro* legesis apud eruditum *Baluzium*, qui initio Operum Agobardi, quæ evulgavit, Elogia *Flori* ex variis auctoribus collegit; & apud *Casimirum Oudinum* in supplemento *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, ubi de *Flori* Operibus accurate disserit.

„ (*a*) Non ambigunt modo viri docti Martyrologium, quod veteres Floro adscribunt, nihil aliud fuisse, quam inducta ab eo additamenta ad Bedæ Martyrologium. Ut ea distinguerent a sincero Bedæ allaborarunt Bollandiani Patres in Tom. II. Mensis Martii; sed frustra illi tunc. Venit tertius alius, scilicet P. Sollerius, ex quo habemus Usuardi Martyrologium editum in Tomo I. & II. Supplement. ad mensem Junium, atque ipse pariter eumdem laborem resumpsit, distinguendi scilicet ea, quæ Bedæ sunt, ab additionibus Flori. Num ille punctum attigerit in medium relinquunt doctissimi Historiæ Litterariæ Gallicanæ Scriptores Tom. V. pag. 227.

Lupus Servatus Ordinis Sancti Benedicti Monachus, & postea Abbas Ferrariensis, doctrinam Sancti Augustini de Gratia & Prædestinatione pro aris ac focis tutatus est. Ille quippe a Carolo Calvo Francorum Rege requisitus, quid de tribus istis Quæstionibus, videlicet de *Prædestinatione*,

tione, *de libero arbitrio*, ac *de Redemptione Sanguinis Christi* sentiret? Quidquid in divinis litteris didicerat & in Sanctorum Patrum Operibus invenerat, ejus Majestati strictim, ut ipsemet testatur in Epistola ad eumdem Regem, aperuit; librumque ea de causa composuit, cui titulus est: *de tribus Quæstionibus*. Eodem tempore idem *Lupus* alium librum de iisdem tribus Quæstionibus ad *Carolum Calvum* scripsit atque *Collectaneum* edidit, quo Sanctorum Patrum testimonia *de gemina Prædestinatione*, *de libero arbitrio* & *de Sanguine Christi*, quo pacto scilicet pro omnibus sit effusus, sedulo complexus est. Negat quidem in istis Opusculis *Lupus Servatus*, Christum mortuum esse pro omnibus omnino hominibus, sed id negavit in sensu Catholico, voluitque dumtaxat Christum non esse mortuum pro omnibus hominibus, ita ut beneficium mortis ejus atque fructus in omnes æque derivetur. Nunquam tamen negat, sed potius docet, Christum pro totius Mundi peccatis Sanguinem suum, qui in se habet ut omnibus prosit, obtulisset, atque quantum ad illam pretii & voluntatis erga omnium salutem sincere affectæ sufficientiam tam esse mortuum Christum pro omnibus, quam omnes in Adamo mortui sunt. Hanc esse veram & genuinam *Lupi Servati* Abbatis Ferrariensis mentem diserte ostendit *Natalis Alexander* Dissertatione V. in Historiam sæculorum IX. & decimi (*a*).

„ (*a*) Eidem Lupo opuscula alia tribuenda „ constat ex collectione operum ejusdem a Baluzio adornata, editaque Parisiis anno 1664. uti „ Vita S. Wigberti, & alia S. Maximini Trevirensis, de qua tamen plures ambigunt. Vi- „ de hist. litter. Gall. tom. V. pag. 267. & in „ hunc S. Maximini Homilias geminas, de qui- „ bus pariter ambigendi locus est. Vid. ibi- „ dem.

Lupi Servati Abbatis Ferrariensis pro defensione doctrinæ Sancti Augustini de Gratia & Prædestinatione vestigia pressit *Prudentius* Episcopus Trecensis. Is siquidem librum scripsit contra venenatam *Joannis Scoti Erigenæ* doctrinam ex *Pelagio*, & *Juliano* haustam, Antidotumque confecit e Sanctorum Patrum sententiis, *Hieronymi* præcipue, *Augustini*, *Fulgentii*, & *Gregorii*. Negat etiam *Prudentius* in hocce libro in Deo voluntatem salvandi omnes homines, sed de voluntate absoluta, & consequente, ut Theologi vocant, non de conditionata, & antecedente in sensu Thomistico accepta intelligendus est. Demum, totius Operis sui recapitulationem subjicit *Prudentius* continentem LXXVII. *Joannis Scoti Erigenæ* propositiones cum brevissimis Responsionibus ad utilitatem eorum, qui totum librum non legerant, & ad eorum, qui legerant, juvandam memoriam. Hi sunt in summa celebriores Scriptores, qui in Controversia nono Ecclesiæ sæculo occasione doctrinæ Gothescalci de gemina Prædestinatione, de libero arbitrio, & de voluntate Dei salvandi homines excitata Ecclesiam variis editis Scriptionibus illustrarunt. (*a*)

„ (*a*) Celebre est etiam *Collectaneum de tribus Epistolis* ad Hincmarum Remensem & Pardulum Laudunensem Episcopos a Prudentio Trecensi scriptum in causa Gotescalchi de *prædestinatione duplici*. Legitur in Biblioth. PP. „ Lugdunensi tomo 15. Alia hujus scripta „ vide in histor. Liter. Gall. tomo V. pagin. „ 240.

D. Gallorum sententiam in Controversia de Cultu Imaginum nono Ecclesiæ sæculo apud ipsos excitata sat dilucide in præcedenti Colloquio exposuisti, sed de Scriptoribus Ecclesiasticis, qui ad hanc explanandam Controversiam, Cultumque Sanctarum Imaginum vindicandum libros ediderunt, nihil hactenus dixisti.

M. Tres insignes Scriptores Galli contra *Claudium* Taurinensem Episcopum, qui nono Ecclesiæ sæculo Imaginum cultum impugnavit, libros conscripserunt, videlicet *Agobardus* Archiepiscopus Lugdunensis, *Jonas* Aurelianensis Antistes, & *Dungalus* Monachus, de quibus pauca hic dicere necesse est. In primis, *Agobardus*, qui multa ingenii, & eruditionis suæ monumenta reliquit, librum edidit, in quo damnat quidem superstitionem quorundam, qui picturis, & Imaginibus Sanctorum adorationis obsequium deferendum esse putabant, adstruit tamen contra *Claudium* Taurinensem Episcopum Sanctorum Imaginibus cultum aliquem congruum, & religiosum esse exhibendum, sicut aperte evincit noster *Natalis Alexander* Dissertatione VI. in Historiam sæculi VIII. parag. XIII. contra Dallæum, aliosque recentiores Iconomachos, qui *Agobardi* auctoritate contra cultum Sanctarum Imaginum perperam abutuntur. Opera *Agobardi* cum adhuc inedita, & in quadam taberna alicujus Lugdunensis Bibliopolæ delitescentia offendisset *Papirius Massonus*, ea in lucem emisit Parisiis, anno MDCV. Sed, eum in his edendis nimia libertate usus esset, eadem *Agobardi* Opera ex eodem Codice MS. castigatius recensita publica luce donavit eruditus *Stephanus Baluzius* Notisque illustravit Parisiis, an. MDCLXVI. quæ Editio pulcherrima est, & accuratissima.

Jonas Aurelianensis Episcopus jussu *Ludovici Pii* Imperatoris tres libros Apologeticos scripsit adversus *Claudium* Taurinensem Episcopum pro defensione venerationis Imaginum, & cultus S. Crucis, qui in Bibliothecis Patrum editi sunt. *Dallæus* sectæ Calvinianæ Pseudo Minister, aliique Heterodoxi *Jonam* contra cultum Imaginum in suas partes obtorto, ut ajunt, collo trahere moliuntur, sed quam falso illius patrocinio glorientur, liquido ostendit noster *Natalis Alexander* loco mox a me laudato, veramque *Jonæ* Aurelianensis Episcopi mentem facile perspectam habebis, si semel in memoriam tuam revoces ea, quæ in superiori Colloquio diximus ad explanandam doctrinam, quæ circa cultum Imaginum nono Ecclesiæ sæculo apud Gallos obtinebat.

Cum *Jona* Aurelianensi Episcopo consentit *Dungalus* reclusus Monasterii Sandionysiani in agro Parisiensi, cujus liber pro defensione cultus Imaginum contra *Claudium* Taurinensem Episcopum

Hæ-

Hæreticum Iconoclastam a *Papirio Massono* primum editus est. In hoc libro *Dungalus* Crucem Domini, & ejus, Sanctorumque Imagines, ac sacras Reliquias *congruo, fideli, & religioso cultu laudare, diligere, ac venerari* debere Christianos probat, & hæreticum illum Antistitem luculentissimis Sanctorum Patrum testimoniis oppugnat. Qua in re valde mirari subit, qua fronte *Dallæus*, aliique Heterodoxi authoritate *Dungali* contra Imaginum cultum abuti audeant, cum potius illorum errorem aperte confodiat, sicut data opera evincit *Natalis Alexander* Dissertatione VI. in Historiam sæcul. VIII. paragr. XIV. (*a*)

(*a*) „ Quæ hic de Dungalo Monacho Recluso „ apud Parisium habentur tanquam auctore operum adversus Claudium Taurinensem, in dubium a Muratorio revocantur, cum alius extiterit per hæc tempora fama celebris Dungalus „ in Capitulari quodam Lotharii I. ab eodem „ Muratorio vulgato commemoratus. In ea enim „ lege stabiliuntur per Italiam Scholæ, quo ad „ studia literarum conveniri e vicinis locis possit. „ Sic igitur ibi de Ticino: *In Papia conveniant* „ *ad Dungallum, de Mediolano, de Brixia* &c. En „ igitur Dungallus Magister ea ætate, qua & „ Claudius Taurinensis celebris. Hic profecto aptior „ erat ad refutandos Claudii errores, utpote hospitio vicinior, & occasionem habebat paratiorem, quam idem Dungalus in Præfatione causam fuisse sibi scribendi asserit: *Occasio mihi copiosa hac de re reclamandi mibi occurrit* &c. „ Affert quidem Mabillonius in Elogio Dungali „ dato in ejus Annal. ad annum 827. Epitaphium „ Dungalo Recluso positum carmine expressum; „ sed potuit & alius esse ejusdem nominis vir, qui „ tamen alius fuerit ab Auctore præsentis operis; „ id enim sane magis Magistro in artibus quam „ Monacho Recluso convenit.

Præter memoratos hactenus Scriptores, quos in dirimendis Controversiis in Galliis nono Ecclesiæ sæculo excitatis, floruisse diximus, nonnulli alii extiterunt, Scriptores Ecclesiastici, qui doctrina & pietate Gallias eodem sæculo illustrarunt. *Theodulfus*, quem alii Italum, alii Hispanum fuisse putant, a Carolo Magno in Gallias accitus, & Aurelianensi Episcopatu donatus, scripsit librum *de Ordine Baptismi* ad *Magnum* Senonensem Archiepiscopum, librum *Testimoniorum de Spiritu Sancto*, ad *Carolum Magnum*, in quo Sanctorum Patrum testimoniis probat, Spiritum Sanctum a Patre, & Filio procedere. Scripsit insuper *Capitula* ad Presbyteros suæ Diœceseos, quibus ipsos docet, quo pacto creditam sibi plebem instituere, & ejus in vita Christiana profectum curare ac promovere debeant. Varia etiam composuit carmina, quorum nonnulla antehac inedita vulgavit *Mabillonius* Tomo I. Veterum Analectorum. *Herardus* Turonensis Episcopus ad restaurandam collapsam Ecclesiæ disciplinam Presbyteris suis anno 858. in Synodo congregatis Capitula CXL. ex corpore Sanctorum Canonum excerpta tradidit, quæ extant inter *Baluzii* Capitularia Tomo II. *Walterius* Aurelianensis Episcopus Capitula quædam suæ Diœceseos Presbyteris in Synodo apud Bullensem fundum habita præscripsit, quæ extant tomo VIII. Conciliorum Editionis Labbeanæ cum Notis *Cellotii* Societatis Jesu, eaque cum Caroli Magni Imperatoris Capitularibus, & cum Capitulis *Theodulfi* Aurelianensis, & *Herardi* Turonensis magna ex parte conveniunt, *Æneas* sacri Palatii Notarius, & postea Parisiensis Episcopus librum scripsit *adversus objectiones Græcorum*, quem *Lucas Dacherius* edidit tomo VII. Spicilegii. *Theganus* Amalarii, & Hettii Episcoporum Trevirensium Chorepiscopus & suffraganeus scripsit, teste *Walafrido Strabone*, Annales de gestis Ludovici Imperatoris, quos una cum Walfridi Præfatione primum *Petrus Pithœus*, deinde *Andreas Duchesnius* inter Scriptores Francicos ediderunt. Thegano suppares fuerunt *Eginhardus*, & *Nithardus*, quorum primus in Regia aula *Caroli Magni* versatus, mortua, quam duxerat, uxore *Imma*, genere & virtute illustri, Regulam Sancti Benedicti professus, in multis Monasteriis Abbas fuit, scripsitque Vitam Caroli Magni Imperatoris. Circumferuntur etiam sub ejusdem *Eginhardi* nomine *Annales Francorum* ab anno Christi 741. usque ad annum DCCCXXIII. quos tamen ab Eginhardo editos fuisse certo affirmare non audeo, cum hac de re peritos inter Criticos necdum conveniat. *Andreas* siquidem *Duchesnius* tomo II. *Collectionis Historiæ Francorum*, hos Annales *Eginhardus*, ut vero & legitimo parenti vindicat, aitque stylum illius Annalistæ tam genuine cum Vita *Caroli Magni* Imperatoris, cujus Auctor est *Eginhardus*, convenire, *ut utrumque librum ab uno & eodem auctore scilicet Eginhardo fuisse conscriptum quivis possit agnoscere*. Sententiam suam *Duchesnius* Lambecio, Natali Alexandro, aliisque viris eruditis persuasit. At *Carolus Cointius* in Annalibus Ecclesiæ Francorum ad annum DCCLXXIV. contendit, horum Annalium Auctorem non esse *Eginhardum*, sed Monachum Lauresbamensem, & hac de causa prædictos Francorum Annales nunquam sub Eginhardi nomine laudat, sed eos semper appellat *Laureshamenses*. In re igitur tam dubia, cum ipse ariolari nolim, ejusmodi Annales ab incerto auctore prodiisse probabilius judico. Alia Opera, quæ edidit *Eginhardus*, accurate percenset *Labbeus* in Dissertatione *de Scriptoribus Ecclesiasticis*. Nithardus Ordinis S. Benedicti Monasterii Centulensis Abbas, teste *Hariulfo* in Chronico Centulensi, scripsit quatuor libros de Dissensione filiorum Ludovici Pii Imperatoris ad annum usque DCCCXLIII. jubente *Carolo Calvo* Francorum Rege, cui & illud Opus nuncupavit. Editi sunt quatuor isti libri ab *Andrea Duchesnio* tom. II. Scriptorum Histor. Francorum. His clarissimis Scriptoribus, qui nono sæculo in Galliis floruerunt, jure ac merito adjungere debemus *Halitgerum* Episcopum Cameracensem & Atrebatensem, *Adonem* Viennensem Archiepiscopum, *Isaacum* Lingonensem Antistitem, & *Freculphum* Luxoviensem in Provincia Rotomagensi Episcopum. Scripsit *Halitgerus* Opus *de vitiis & virtutibus*, *Remediis peccatorum*, *& ordine vel judiciis pænitentiæ sex libris absolutum*. Horum sex librorum priores quinque jam ediderat *Henricus Canisius* tomo I. Antiqu. lect. ex MS. Cod. Bibliothecæ Monasterii Sancti

Galli;

Galli; sextum vero librum, qui nihil aliud est, quam Ecclesiæ Romanæ *Liber Pœnitentialis*, edidit *Hugo Menardus* Benedictinus Congregationis Sancti Mauri in Notis ad Sancti Gregorii Magni Sacramentarium. *Ado* Ordinis Sancti Benedicti in Cœnobio Ferrariensi Monachus, sicut demonstrat *Mabillonius* parte II. sæculi IV. Benedictini, & postea Viennensis in Galliis Episcopus, Martyrologium condidit, quod una cum veteri Martyrologio Romano publici juris fecit *Rosvveidus* Societatis Jesu (*a*). Edidit etiam idem *Ado* Chronicon ab exordio Mundi, ad annum usque Christi DCCCLXXII. quod postea ab alio auctore fuit continuatum. Scripsit quoque Vitam Sancti *Desiderii* Viennensis Episcopi, quæ ab *Henrico Canisio* tomo VI. antiq. lect. edita est, & Vitam Sancti *Theuderii* Abbatis, Viennensis, quæ in Appendice sæculi I. Benedictini inserta est. *Isaac* Lingonensis Episcopus *Collectionem Canonum* adornavit ex Decretis Synodorum, quæ a Sancto *Bonifacio* Moguntino Episcopo, Sedis Apostolicæ per Germaniam, & Gallias Legato fuerunt congregatæ, & ex Capitularibus Regum Francorum. Hanc Canonum Collectionem primus in lucem edidit *Sirmondus* tomo III. Concil. Galliæ. Ejusdem etiam *Isaaci* Lingonensis Epistolam *de Canone Missæ* edidit *Lucas Dacherius* tomo I. *Spicilegii*. Denique Freculphus Monachus primum Fuldensis, Ordinis Sancti Benedicti, & postea Luxoviensis in Provincia Rotomagensi, Episcopus, scripsit Chronicon a mundi exordio usque ad annum DC. in duas partes distributum. Primam partem, quæ septem libris constat, ad Christum usque produxit, & *Elizachari* Abbati dicavit: Alteram partem, quæ a Christo usque ad annum circiter sexcentesimum protenditur, in quinque libros partitus est, eosque *Juditha* Augustæ Ludovici Pii Imperatoris conjungi, & *Caroli Calvi* Matri nuncupavit.

„ (*a*) Pigeret hic prætetiisse Adonis martyrologium ab additamentis, quæ sensim passum est, purum & sincerum modo exare opera Cl. Dominici Georgii Rodigini, viri, dum viveret, mihi amicitia conjuncti, quem præpropere anos nonnullos raptum eruditi dolent. Prodiit ejus opus Romæ an. 1745. tom. I. fol.

D. Hi sunt igitur omnes Scriptores, qui nono Ecclesiæ sæculo in Galliis floruerunt?

M. Sunt & nonnulli alii doctrina & pietate illustres, qui Monasticam vitam professi eruditis suis Operibus de Ecclesia & de Monastica disciplina in Galliis nono sæculo optime meriti sunt. Primas inter illos tenet Sanctus *Benedictus* in Septimania natus, & Abbas Monasterii *Anianensis*, ita denominati a rivo *Aniana*, ubi Sanctus Benedictus cellam primum erexit, ac post aliquot annos Monasterium Anianense ab eodem rivo sic appellatum, & Sancto Salvatori dicatum ædificavit. Disciplinam Monasticam, quam in suo Monasterio Anianensi instituit, in varia Galliæ ac Germaniæ Cœnobia postea feliciter propagavit, ut *Gellonensi* a S. *Willelmo* comite excitatum, *Mosciacense* in Bituriglbus ab *Egone* Comite conditum; in *Indense*, aliaque non pauca. Ad restaurandam vitæ Monasticæ disciplinam, Sanctus ille Abbas aliquos edidit libros, quorum unus inscribitur: *Codex Regularum*, quem *Lucas Holstenius* Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus ex veteri MS. Codice Coloniensi a *Fabio Chigio* tum temporis in Germania Nuncio Apostolico, & postea Romano Pontifice Alexandro VII. dicto descriptum publicavit anno 1661. Alter liber hunc habet titulum: *Concordia Regularum*, in quo libro extant Regulæ omnino sex ac viginti, quæ cum Regula Benedictina conferunt ac conciliantur. Hanc *Regularum Concordiam* cum Regula Benedictina *Hugo Menardus* e Bibliotheca Floriacensi erutam evulgavit Parisiis anno MDCXXXVIII. Præter hosce duos libros, composuit etiam *Benedictus* Anianensis Abbas librum, qui continet Homilias, & sermones Paræneticos Sanctorum Patrum ad instructionem Monachorum scriptos vel habitos, quem librum mox citatus *Lucas Holstenius* edidit instar Appendicis ad *Codicem Regularum*. Auctor quoque censetur Sanctus *Benedictus* Anianensis Abbas *Capitulorum*, quæ pro Monasteriorum bono regimine in Concilio Aquisgranensi anno DCCCXVII. constituta sunt, idque *Ardo* cognomento *Smaragdus* in Vita, quam descripsit, Sancti Benedicti Anianensis Abbatis manifeste insinuat. Denique, postquam Sanctus ille Abbas non tantum Regularem disciplinam, sed etiam litterarum studia in ordine suo redintegrasset, obiit, teste jam citato *Ardone Smaragdo*, tertio Idus Februarii anni DCCCXXI, in Monasterio Indensi, quod ipsi *Ludovicus Pius* Imperator prope Aquisgranum construxerat, ut ejus consiliis ad disciplinam Ordinis Benedictini restaurandam facilius uteretur. Colitur Sanctus *Benedictus* Anianensis Abbas die XI. Februarii, ut videre est apud *Mabillonium* parte I. sæculi IV. Benedictini, & apud *Bollandum* ad diem XII. mensis Februarii, ubi uterque ejus Vitam ab *Ardone Smaragdo* tanti viri discipulo Indensium Monachorum efflagitatu lucubratam exhibet, Notisque illustrat. Sancto Benedicto Abbate Anianensi doctrina ac pietate haud inferior fuit *Hilduinus* Abbas Monasterii S. Dionysii prope Parisios, qui, jussu *Ludovici Pii* Imperatoris, Vitam Sancti Dionysii Areopagitæ composuit cum prosa, tum carmine; quæ lucubrationes vulgo *Areopagitica* appellantur. Sed quæ de Dionysio Parisiorum Episcopo scripsit *Hilduinus*, graves nostro sæculo inter Viros eruditos controversias excitarunt, quorum bene multi existimant, in hoc peccasse Hilduinum, quod componens Vitam S. Dionysii Episcopi Parisiensis, eum cum Sancto Dionysio Areopagita Atheniensi Episcopo male confunderit. Hinc non multis abhinc annis varii libri de opinionibus *Hilduini* circa Sanctum Dionysium Areopag. tamejusque scripta a Viris doctissimis hac de controversia inter se discordibus in lucem emissi sunt, quorum hinc inde argumenta si scire aveas, legesis Dissertationem doctissimi Patris *Nicolai le Nourry* Benedictini Congregationis Sancti Mauri Tomo I. *Apparatus ad Bibliothecam Maximam Patrum*.

Hilduino addi merito debent tres alii Abbates qui doctrina, & pietate illustres nono Ecclesiæ

fiæ fæculo in Galliis claruerunt, nimirum *Smaragdus* Abbas Sancti Michaelis in Episcopatu Virdunensi; *Ansegisus* Abbas Luxoviensis, & Fontanellensis, & *Regino* Abbas Monasterii Prumiensis. *Smaragdus* præclaris virtutibus & libris in lucem editis clarissimus fuit. Tria ab eo edita Opuscula memorat *Honorius* Augustodunensis Presbyter lib. 4. *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, scilicet *Commentarium in Evangelia*, & *Epistolas* in Divinis Officiis per anni circulum legendas ex Sanctis Patribus collectum. *Diadema Monachorum* ex Sanctis Patribus contextum, & *Grammaticam Majorem*, seu Commentariorum in *Donatum* libros XIV. Adhæc, *Lucas Dacherius* Tomo V. Spicilegii aliud Smaragdi Opus edidit Capitibus XXXI. distinctum, cui Titulus: *Via Regia*. De aliis *Smaragdi* Operibus legendus est *Mabillonius* Tomo II. Analect. ubi etiam accurate observat, male a *Labbeo* in Dissertatione *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, & a nonnullis aliis Scriptoribus hunc *Smaragdum* confundi cum *Ardone* cognomento *Smaragdo*, qui, ut superius diximus, Vitam Sancti Benedicti Abbatis Anianensis descripsit.

Ansegisus quatuor edidit libros Capitularium tam Caroli Magni, quam *Ludovici Pii* Imperatorum, quos tres sequuntur Appendices, de quibus fuse disserit *Carolus Contius* in Annalibus Ecclesiæ Francorum ad annum 8v8. Sed quoniam Ansegisus in hac Capitularium Collectione plurima *Caroli Magni* ac *Ludovici Pii* Capitularia prætermiserat, & a Constitutionibus Pippini, & Carlomanni, quarum usus frequens erat, referendis abstinuerat, *Benedictus Levita* Moguntinus hanc in se curam suscepit, & omnia Capitularia in unum collegit, atque in tres libros distribuit.

Regino Monasterii Prumiensis anno octingentesimo nonagesimo secundo Abbas electus, composuit duos Cronicorum libros ad annum Christi nongentesimum octavum productos, quos quidam Anonymus Scriptor continuavit usque ad Othonem II. qui imperare cœpit an. nongentesimo septuagesimo tertio. Duos alios libros edidit *Regino* de Ecclesiasticis Disciplinis & Religione Christiana, quos eruditus *Baluzius* publici juris fecit, & Notis illustravit.

Ab his illustribus Ordinis Sancti Benedicti Abbatibus sejungi non debent aliqui ejusdem Ordinis Monachi, qui doctrina & pietate in Galliis nono Ecclesiæ seculo floruerunt, quosque hic breviter indicare non pigebit. In Cœnobio Sancti *Germani* Parisiensis tres insignes extiterunt Monachi, scilicet *Usuardus*, *Aimonius*, & *Abbo*, quorum primus, seu *Usuardus* imperante *Carolo Calvo* suum scripsit *Martyrologium*, cujus antiquissimum exemplar Parisiis in Bibliotheca San-Germanensi etiamnum asservari testatur Mabillonius in Præfatione partis II. sæculi IV. Benedictini. Martyrologio Usuardi aucto Romana Ecclesia usa est ante recentius Romanum, teste *Joanne Molano* in Præfatione ad Martyrologium Usuardi. Quin & in variis Galliarum Ecclesiis adhuc Martyrologium Usuardi legitur. *Aimonius* scripsit duos libros *de Inventione & Translatione Corporis Beati Vincentii Levitæ ac Martyris* ex Hispania ad Monasterium *Castri* in Diœcesi Albigensi facta. Libros insuper duos composuit *de Miraculis Sancti Germani Episcopi Parisiensis*, Librum *de Translatione Sanctorum Martyrum Georgii Monachi*, *Aurelii*, & *Nataliæ*, & libros duos *de eorum Miraculis*, quos Mabillonius inseruit sæculo IV. Benedictino. Hallucinantur nonnulli, qui hunc *Aimonium* confundunt cum altero Aimonio Floriacensi Monacho, qui sæculo XI. vixit, ac libros quinque *de gestis Francorum* scripsit. Qua de re legendus est *Labbeus* in Dissertatione de Scriptoribus Ecclesiasticis. *Abbo* edidit duos libros *de obsidione Urbis Parisiensis* a Normannis an. octingentesimo octogesimo sexto facta. Extant etiam sub ejusdem *Abbonis* nomine *Sermones V.* a Luca Dacherio primum editi Tomo IX. Spicilegii. Confundi non debet iste *Abbo*, sicut Auberto Miræo & aliis nonnullis per errorem obrepsit, cum altero *Abbone*, Floriacensi Abbate & Martyre, qui obiit initio undecimi sæculi seu anno millesimo quarto, ut ostendemus in nostris Colloquiis in Historiam undecimi Ecclesiæ sæculi. Denique, in Monasterio Corbejensi celebres fuerunt *Adhelardus*, & *Christianus Drutmarus*. Scripsit *Adhelardus* librum *de ordine Palatii*. Præscripsit etiam Monachis Corbejensibus quædam statuta, quorum fragmenta *Lucas Dacherius* edidit Tomo IV. Spicilegii. Ejusdem *Adhelardi* quinquaginta duo Capita *de Admonitionibus in Congregatione*, idest summaria rerum, quas Monachis inter concionandum inculcare solebat, edidit Mabillonius ad calcem part. I. sæculi IV. Benedictini. *Christianus Drutmarus*, græce ac latine peritus, sacrisque litteris eruditus, scripsit Commentarios in Evangelia *Matthæi*, *Joannis*, & *Lucæ*, sed commentarii in Evangelium Matthæi adhuc integri perstant, Commentariorum vero in Evangelia *Joannis* & *Lucæ* supersunt dumtaxat fragmenta, quæ una cum *Christiani Drutmari* Commentariis in Evangelium Matthæi extant Tomo XV. Editionis Bibliothecæ Patrum Lugdunensis. Denique in Monasterio Luxoviensi in Burgundia claruit *Angelomus*, qui *Stromata*, seu Commentarios in IV. *libros Regum*, & in librum *Cantici Canticorum* ex veterum Patrum scriptis contexuit. Extant Angelomi Opera Tomo XV. Bibliothecæ Patrum.

D. Certe nunc video, Galliam nono Ecclesiæ sæculo sicut in exordio hujusce Colloquii me sapienter præmonuisti, præ cæteris aliis Nationibus Viris illustribus abundasse. Percurramus modo, si placet, alios insignes Scriptores, qui in Italia, Germania, Hispania, & Anglia nono Ecclesiæ sæculo doctrina & pietate floruerunt.

M. Tres potissimum in Italia nono Ecclesiæ sæculo celebres fuerunt Scriptores, nimirum *Anastasius*, *Guillelmus*, & *Joannes* Diaconus. Primus, seu *Anastasius* fuit Abbas Romanus, S. R. E. Bibliothecarius, in divinis Scripturis eruditus, in sæcularibus litteris nobiliter doctus, græco, & latino multum peritus eloquio. Historiam de

de Gestis Romanorum Pontificum composuit. quam in *Nicolao I.* Pontifice Maximo terminavit, ut testatur *Onuphrius* in Notis in Platinam ad Nicolaum I. ubi hæc habet; *ad hunc usque Nicolaum Romanorum Pontificum Vitas, quæ adhuc apud me sunt, scripsit Anastasius Monachus S. R. E. Bibliothecarius. Quæ sequuntur consignavit Guillelmus quidam alter Bibliothecarius, quæ in libro, qui sub Damasi nomine circumfertur, extant* (*a*). Multa insuper Græcorum volumina latine reddidit Anastasius. Historiam Ecclesiasticam ex Chronologia Tripartita Sancti *Nicephori* Constantinopolitani, *Gregorii Syncelli*, & *Theophanis* latine interpretatus est. *Collectanea* etiam contexuit, seu varias Epistolas, & Relationes, Historiam Monothelitarum spectantes collegit, quas *Sirmondus* in lucem emisit Parisiis anno MDCXX. Vitam quoque S. *Demetrii* Martyris ab eodem Anastasio e Græco latine redditam inseruit *Mabillonius* Tomo I. Analect. p. 65 Fatentur nunc omnes periti Critici, errasse *Vossium*, virum alioqui doctissimum, dum lib. 2. de Scrip. Lat. c. XXXV. hunc Anastasium Bibliothecarium confudit cum *Anastasio* Presbytero Cardinali Sancti Marcelli, & Gregorii IV. Papæ Bibliothecario, qui a Leone IV. in Synodo Romana exauctoratus est, eo quod contra Sacros Canones, Ecclesiam suam quinquennio deseruisset.

„ (*a*) Anastasium Bibliothecarium scripsisse „ vitas Pontificum usque ad Nicolaum I. communis olim opinio ferebat; modo vero ex inspectione veterum Codicum satis constat, paucorum tantummodo Pontificum vitas eidem auctori deberi. Est enim mihi ad manus Codex vetustissimus historiæ Pontificum, Anastasio multo antiquior, utpote paulo post Adrianum I. scriptus, quemadmodum scripturæ ratio demonstrat, & vitæ Pontificum in eo Pontifice desinentes indicant; quibus conjecturis accedit judicium Mabillonii, qui cum Lucæ esset, Caroli Magni exaratum Codicem hunc affirmavit, descripsitque in suo itinerario Italico. In eo vero Codice vitæ Pontificum eædem leguntur, ac in Anastasio evulgato, si variantes quasdam non magni ponderis excipias. Ex his ergo conficitur Anastasium auctorem esse tantummodo vitæ Pontificum, qui post Adrianum I. usque ad sua tempora vixerunt.

Guillelmus S. R. E. itidem Bibliothecarius scripsit Vitas Romanorum Pontificum a Nicolao I. Papa, in quo ut mox diximus, desiit Anastasius, usque ad *Stephanum VI.* quem alii appellant *V.* Descripsit itaque Vitas *Hadriani II.* & *Joannis VIII. Marini*, & *Hadriani III.* Extant hæ Pontificum Romanorum Vitæ a *Guillelmo* exaratæ una cum aliis præcedentium Romanorum Pontificum Vitis ab *Anastasio* descriptis simul collectæ & editæ Parisiis anno MDCXLIX. atque in Conciliorum Editione insertæ. Asserit quidem *Baronius*, has Romanorum Pontificum Vitas, quæ Nicolai primi Papæ vitam sequuntur, non *Guillelmo*, sed *Anastasio* esse adscribendas. Verum, hæc Baronii opinio falsi convincitur ex citato testimonio *Onuphrii* has vitas *Guillelmo* asserentis, & cui Viri docti fidem adhibendam esse affirmant, eo quod verosimile non sit, *Onuphrium* hoc litteris prodidisse, nisi ex fide alicujus manuscripti Codicis, quem penes se habuit.

Joannes S. R. E. Diaconus & Anastasii Bibliothecarii familiaris scripsit Vitam S. Gregorii Magni Pontificis Romani quatuor libris comprehensam, quam Joanni VIII. Papæ nuncupavit. Extat hæc Vita apud *Surium* ad diem XII. mensis Martii, & in fronte Veterum Operum Sancti Gregorii Magni Editionum, sed in postrema & castigatissima Editione Operum Sanctissimi illius Pontificis a PP. Benedictinis Congregat. Sancti Mauri adornata, hæc Vita S. Gregorii Magni a Joanne Diacono concinnata legitur in prima parte Tomi quarti.

Inter Scriptores Germanos, qui nonum Ecclesiæ sæculorum eruditione & pietate nobilitarunt, quatuor præcipue numerantur, videlicet *Anscharius*, *Walafridus Strabo*, *Haymo*, & *Hatto*. Primus, seu *Anscharius* Monachus & postea Hamburgensis & Bremensis Episcopus, de quo sub finem Colloquii primi in Historiam hujus sæculi noni Sermonem habuimus, scripsit Vitam Sancti *Willibadi* Bremensis Episcopi libris duobus comprehensam, quæ extat apud Mabillonium parte II. sæculi IV. Benedictini. Scripsit etiam Epistolas plures, quæ perierunt, saltem publicam necdum lucem adspexerunt. (*a*)

„ (*a*) De Anchario nihil addendum succurrit, nisi quod ex ejus epistolis unica legenda „ superest evulgata a Bollandianis sociis ad diem „ III. Februarii.

Walafridus Strabo e Monacho S. Galli factus Augiæ Divitis Abbas librum edidit *de rebus Ecclesiasticis*, ubi aperte capite octavo contra Iconomachos probat, cultum religiosum, honestum ac moderatum Sanctorum Imaginibus esse exhibendum, sicut diserte contra *Dallæum* evincit noster *Natalis Alexander* Dissertatione VI. in Hist. sæcul. VIII. Præter hunc *de rebus Ecclesiasticis* librum, alia Opera edidit *Walafridus Strabo*, de quibus legendus est *Labbeus* in Dissertatione *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, & *Casimirus Oudinus* in supplemento Script. Eccles. Auctor etiam est Walafridus Strabo *Glossæ ordinariæ* in Scripturam Sacram, quam ex aliorum Interpretum, ac præsertim *Rabani* præceptoris sui Commentariis studiose collegit. Hinc male *Trithemius*, & qui eum secuti sunt, *Walafridum Strabonem* Augiæ Abbatem distinxerunt a *Strabone* Monacho Fuldensi, quem *Glossæ ordinariæ* Scriptorem existimant, cum tamen *Walafridus* Augiæ Abbas, & *Strabo* Fuldensis Monachus idem omnino Scriptor sit. Qui error inde fortassis natus videtur, quod *Walafridus* Augiæ Abbas in Monasterio Fuldensi sub Rabano Mauro sacris litteris operam navaverit.

Haymo primum Monachus Fuldensis, dein Episcopus Halberstadiensis Commentarios in multos Scripturæ Sacræ libros edidit, *Epitomen* quoque Historiæ Sacræ, & libros sex *de amore cælestis Patriæ*; Tractatum de Corpore & Sanguine Domini ab

ab eodem *Haymone* compositum *Lucas Dacherius* inseruit Tom. XII. Spicilegii. (*a*)

„ (*a*) Inter Haymonis vulgata extat etiam commentarius in Isaiam, quod excusum legi Coloniæ 1531. In præfatione huic operi præmissa scribit ejus Auctor, commentarium hunc, qualis in editione exhibetur, sincerum esse Haymonis, non vero alterum, qui eodem tempore alibi excudebatur, forte Parisiis, cum illum dederit editor ex Archivis Germanicis descriptum; nec in tota Germania alium diversum reperiri affirmat. Forte mihi accidit, ut in Bibliotheca Ecclesiæ majoris Lucensis excuterem Manuscriptum Codicem scriptum seculo, ut arbitror, XIII. auctore Anonymo, qui de Trinitate excerpta Patrum danda suscepit. Bene longa in eo reperi fragmenta ex commentario, ut ibi legitur, Haymonis accepta; contuli illa cum editione Coloniensi anni 1541. ab Eucharío Cervicorno curata; nec inter se congruere teperi. Judicent eruditi.

Hatto, vel *Hayto* Monasterii Augiæ Majoris Abbas & tandem Episcopus Basileensis, scripsit *Capitulare* complectens Canones XXV. quibus Presbyteris suæ Diœceseos præscribit modum pie, & juste regendi plebem ipsi commissam. Exstat istud *Hattonis*, seu *Haytonis* Capitulare apud *Dacherium* Tomo IV. Spicilegii.

Hispania, nono Ecclesiæ sæculo tres protulit Scriptores, quorum duo, scilicet Sanctus *Eulogius* Cordubensis Presbyter & Martyr, & *Alvarus*, Ecclesiam pietate & eruditione illustrarunt; tertius vero, seu *Claudius*, qui fuit postea Turiensis Episcopus, Iconoclastarum Hæresim postliminio revocavit. S. *Eulogius*, quem studio non professione Monachum fuisse contra nonnullos ostendit *Mabilonius*, cum grassante in Hispaniæ Saracenorum procella, magna Christianorum, & præcipue Monachorum strages edita fuisset, composuit *Documentum Martyriale* uno libro comprehensum cum Epistola ad *Willesindum* Episcopum Pampilonensem, in qua Serasiensium, & Legeriensium Monachorum mores egregie commendat. Tandem ipse pro Christo Martyrium passus est anno 859. Ejus Vitam descripsit *Alvarus* Cordubensis, quem alii Sancti *Eulogii* fratrem, alii ejus duntaxat amicum intimum, & gestorum conscium fuisse affirmant. Hanc Vitam Sancti Eulogii ab *Alvaro* descriptam refert *Bollandus* ad diem XI. mensis Martii, qua Martyrii palmam adeptus ad Cælestem patriam evolavit S. *Eulogius*.

Claudius Natione non Hibernus, ut male visum est *Usserio*, sed Hispanus, scripsit Commentarios in Genesim & in Exodum. Commentatus est etiam Evangelium Matthæi, cujus expositionem doctissimus *Mabillonius* Tomo I. Analect. asserit se reperisse in Bibliotheca Cathedralis Ecclesiæ Laudunensis. Disserit ibidem Mabillonius de aliis ejusdem *Claudii* Taurinensis Operibus, ex quibus sola Expositio in Epistolam ad Galatas typis vulgata est in Bibliotheca Patrum. Scripsit etiam idem *Claudius* Taurinensis Episcopus contra cultum qui exhibetur Sanctis Imaginibus, extinctamque Iconomachorum Hæresim denuo excitavit. Quam ob rem *Jonas* Aurelianensis Episcopus, & *Dungalus* Cœnobii Sancti Dionysiani Monachus jussu *Ludovici Pii* Imperatoris, ut jam observavimus, eruditos libros contra illum conscripserunt, & errorem ab eo recoctum penitus profligarunt. De Operibus *Claudii* Taurinensis Episcopi Hæretici legendi sunt, præter *Mabillonium* jam citatum, *Labbeus* in Dissertatione de Scriptoribus Ecclesiasticis, & *Cassimirus Oudinus* in supplemento Scriptor. Ecclesiast. (*a*)

„ (*a*) Claudii Taurinensis opus in libros Regum ex Bibliotheca Illustrissimi Capituli Veronensis prodiit non ante multos annos, authore Reverendissimo P. D. Joanne Christoforo Trombelli Abbate Generali Canonicorum S. Salvatoris, eique præmissa est epistola Teutmiri Abbatis in Gallia, qui illi quæstiones quosdam moverat ex libris Regum plerunque deductas, cui hoc opere Claudius respondet.

Anglia nono Ecclesiæ sæculo tres Scriptores dedit *Alfredum*, *Asserum*, & *Joannem Scotum Erigenam*. Alfredus Angliæ Rex in maximis occupationum fluctibus non solum liberalium disciplinarum studia non intermisit, sed omnes conatus ad litteras in Anglia restituendas convertit. Plures libros e lingua Latina in Saxonicam vertit, inter quos reperitur Historia Venerabilis *Bedæ* de gente Anglorum, quæ Cantabrigiæ non parvo Historicæ Anglicæ bono fuit sæculo proxime elapso edita. *Asserus* in Aula *Alfredi* Angliæ Regis aliquandiu versatus, & ab eo Episcopatu Schireburgensi donatus scripsit Historiam *de rebus gestis Alfredi Regis*, quæ una cum aliis Angliæ Historicis prodiit Francofurti an. MDCII. Annales etiam Britaniæ, Homilias, aliaque plura Opera edidisse *Asserum* testatur *Joannes Balæus* in suis Centuriis *de Scriptoribus Britanicis*. Postremo, *Joannes Scotus Erigena* scripsit libros quinque *de Naturis* multis novellis opinionibus infartos, qui Oxonii non multos abhinc annos typis excusi sunt; composuit etiam librum *de Corpore & Sanguine Domini*, in quo *Berengarii*, & Sacramentariorum nostri temporis Hæresim præformavit, aliosque edidit libros, quos *Casimirus Oudinus* in supplemento *de Scriptoribus Ecclesiasticis* accurate percenset. Nonnulli post Baronium confundunt hunc Joannem Scotum Erigenam cum *Joanne* Æthelingiæ in Anglia Abbate. Sed in hoc oppido falluntur. At enim *Joannes* Æthelingiæ Abbas non erat genere Scotus, sed Germano-Saxo, sicut luculenter demonstrat *Mabillonius* parte II. sæculi IV. Benedictini Venerabilis *Joannis* Abbatis Æthelingiæ Historico Elogio; e contra vero Joannes Scotus Erigena e Scoria, seu ex Hibernia erat oriundus. Qua de causa *Hicmarus* Remensis Archiep. cap. 31. lib. *de Prædestinatione*, & *Anastasius* Bibliothecarius in Epistola ad *Carolum Calvum* de Areopagiticis, eorumque versione, eum appellant *Scotigenam*, idest Scotum

rum genere, & e Scotia seu Hibernia ortum. Præter quam quod Joannes Aethelingiæ Abbas ab *Assero* Scriptore coævo in libro *de rebus gestis Alfredi* Angliæ Regis appellatur *Presbyter ac Monachus*, & ipsi *Alfredo* Regi a Sacris; at *Joannes Scotus Erigena* a nemine auctorum noni sæculi *Presbyter*, aut *Monachus* dicitur. Hæretici nostri temporis, ut Joanni Scoto Erigenæ, cujus patrocinio gloriantur, utcumque gratificari possint, illum ceu Martyrem Fastis suis adscripserunt, tanquam sui dogmatis defensorem. Sed istud Joannis Scoti Erigenæ Martyrium plane commentitium esse constat, non solum quia nec Ecclesia Romana cæterarum omnium mater, cujus est vindicare Martyres & proclamare Sanctos, nec ulla alia Ecclesia *Joannem Scotum Erigenam* Sanctorum Martyrum numero accensuit, sed etiam quia *Berengarii* Hæretici discipuli, quorum maxime interest, Joannem Scotum Erigenam, cujus errorem sectabantur, laudibus extollere, nunquam tamen prætensum illius Martyrium jactarunt, ut optime observat *Parisius* Canonicus Regularis Ord. S. Augustini Congregationis Gallicanæ in suo *de Joanne Scoto* libello. Jure itaque optimo istud *Joannis Scoti Erigenæ* Martyrium inter aniles fabulas reponi debet.

D. Percensuistine omnes Scriptores, qui nono sæculo in Ecclesia Latina floruerunt?

M. Duos noni sæculi Scriptores Latinos de industria prætermisi, scilicet *Isidorum Mercatorem*, qui a quibusdam appellatur *Peccator*, *& Auxilium*, eo quod eorum patria ignoretur. *Isidorus Mercator* Epistolas Decretales sub Pontificum Romanorum nomine consarcinavit a *Clemente* I. Romano Pontifice usque ad *Deusdedit*, qui Pontificatum Romanum tenuit anno DCXV. Has tamen Romanorum Pontificum Decretales Epistolas ab Isidoro Mercatore compilatas fatentur omnes ad unum periti Critici genuinas non esse, sed spurias & adulterinas, nosque eximiis Antiquitatis, Chronologiæ Criticesque Sacræ fundamentis idem breviter ostendimus in Colloquio secundo in Historiam Trium Priorum Ecclesiæ sæculorum. (*a*).

„ (*a*) Quamquam assentior, vel saltem nihil „ contra oppono doctissimis illis Criticis Isido„ rum Mercatorem accusantibus, veluti reum „ suppositiliarum Epistolarum Decretalium, mi„ hi tamen compertum est non omnes plane E„ pistolas, in collectione ejus comprehensas, au„ ctorem habere illum potuisse, cum ante Isido„ rum innotuerint. Id saltem certum est de E„ pistolis Clementis ad Jacobum fratrem Domini „ binas; utriusque enim excerpta reperi in vetu„ stissimo Luc. Cod. exeunte seculo VIII. & IX. „ ineunte exarato sub hoc titulo: *ex epistola Cle„ mentis ad Jacobum*. Insuper & Ballerini Fra„ tres fragmentum bene longum ex una ex istis „ epistolis repererunt in Codice Veronensi vetus„ tissimo scripto multo ante Isidorum Mercato„ rem, retuleruntque in appendice documentorum „ veterum in tom. III. Operum S. Leonis Ma„ gni editionis a se adornatæ. Non tamen ne„ gaverim Epistolas hasce, quamvis antiquas, a„ pocryphas esse, ut eruditi omnes faten„ tur.

Auxilius, qui sub finem sæculi noni claruit, duos scripsit libros *de Ordinationibus Formosi Papæ*, quos primus in lucem edidit doctissimus *Joannes Morinus* Congregationis Oratorii Presbyter ad calcem *de Sacris Ordinationibus*. Alium ejusdem *Auxilii* librum, seu *Dialogum* super causa & negotio *Formosi Papæ* exhibet *Mabillonius* Tomo IV. Analectorum.

D. Cum de Scriptoribus, qui nono sæculo in Ecclesia Latina floruerunt, nihil amplius tibi dicendum suppetat, quidquid nobis superest temporis in percurrendis Scriptoribus, qui eodem sæculo in Ecclesia Græca celebriores fuerunt, impendere debemus.

M. Sex potissimum Scriptores in Ecclesia Græca nono sæculo celebres extiterunt, nimirum *Theodorus Studita*, *Nicephorus*, *Methodius*, *Photius*, *Theodorus Abucara*, & *Leo* cognomento *Sapiens* Imperator, *Basilii* filius. In primis, *Theodorus* sanctitate illustris, Abbas fuit Monasterii, quod *Studium a Studio* ejus conditore appellabatur, indeque ipse dictus est *Studita*. Sub Iconomachis Imperatoribus *Leone Armeno*, *& Michaele Balbo*, Ecclesiæ fidem de Sanctarum Imaginum cultu constanter propugnavit, & pro illius causa tormenta, carcerem & exilium infracto animo passus est. Quinque Epistolarum libros scripsit Sanctus *Theodorus Studita*, ex quibus aliquas in Tomum IX. Annal. Ecclesiasticorum inseruit Baronius. Edidit etiam *Theodorus Studita* librum inscriptum, *Parvam Catechesim*, sermones, quos Monachis suis pronunciarat, complectentem: & alterum librum inscriptum, *Magnam Catechesim*, in quo Cœnobii sui instituta exponit, aliaque quædam Opuscula, ex quibus paucissima lucem viderunt (*b*).

„ (*b*) Stupeo cur non meminerit vir doctissi„ mus amplissimæ collectionis operum S. Theo„ dori Studitæ a Sirmondo adornatæ, in qua duo „ epistolarum libri continentur complectentes e„ pistolas 218. nam sequentis epistolæ loco sub „ num. 219. sunt *Solutiones diversorum capitum*. „ Sunt ibi pariter Jambi 124. quamquam non o„ mnes Theodorum sapiunt. In capite hujus edi„ tionis sunt Antirrhetici ejusdem adversus Ico„ nomachos.

Nicephorus fuit Patriarcha Constantinopolitanus, tamque eximius Sanctarum Imaginum cultus contra Iconomachos defensor, ut post mortem non solum a Græcis, sed etiam a Latinis Sanctorum Fastis fuerit adscriptus. Varia Opera composuit, *Breviarium* scilicet *Historicum* de rebus gestis a Mauricii Imperatoris cæde ad Constantini Copronymi annum XXIX. qui Christi fuit DCLXIX. Edidit insuper *Antirrheticos* tres adversus Iconomachos, quorum aliqua tantum fragmenta hactenus in lucem prodierunt, non levi damno Reipublicæ tam Christianæ, quam litterariæ, ut ait noster *Combefisius* in Apparatu ad Bibliothecam Concionatoriam

toriam pag. 51. Digessit quoque idem Nicephorus Chronographiam ab Adamo usque ad Michaelis Balbi, & Theophili ejus filii tempora perductam, cui a posteriori quodam Scriptore adjecti sunt Patriarchæ, qui post Nicephorum ad Photium usque Ecclesiam Constantinopolitanam gubernarunt. Hanc Nicephori Chronographiam græce & latine typis Regiis vulgavit una cum *Georgii Sincelli* Chronico anno MDCLII. doctissimus noster *Jacobus Goarus* recensitam ad varia exemplaria & eruditis Notis illustratam (*a*).

„ (*a*) Nicephori Patriarchæ opera, quotquot reperire potuit, omnia daturum se spopondit principio sæculi hujus XVIII. P. D. Anselmus Banduri Monachus Ordinis S. B. ac jam ejus operis conspectum exhibuerat vulgatum typis Parisiensibus an. 1705. ne vero cum eruditis communicaretur desideratissima editio, vetuit, heu nimis luctuosa! mors viri doctissimi. In eo vero conspectu daturum se pollicebatur Bandurius capita LXXXIII. S. Nicephori *pro irreprehensibili & pura Christianorum fide*; antirreticos contra *Iconomachos* tres, tum & alium in duas partes divisum. In secundo vero hoc Antirretico multa contineri anecdota ad Nicænam II. Synodum Generalem spectantia affirmat doctissimus Editor in eodem conspectu. Demum capita plura Canonica S. Nicephori edidit Cotelerius in monumentis veteribus Ecclesiæ Græcæ, quæ a me translata sunt in supplementum Conciliorum. Fragmentum aliud alterius Canonis Nicephori servavit P. Montfauconius in sua Bibliotheca Coisliniana.

Methodius Patriarcha Constantinopolitanus sanctitate celebris multa pro cultu Sanctarum Imaginum, quem acriter tuebatur, sub Imperatoribus Iconomachis invicta animi constantia passus est. Auctor est Orationis *de Simeone & Anna, quo die Domino in Templo occurrerunt, ac de Sanctissima Deipara*, necnon & Orationis *in Ramos Palmarum*, quæ proinde a quibusdam male attribuuntur alteri Methodio Patarensi Episcopo, Seniori vulgo nuncupato. Composuit etiam S. Methodius Patriarcha Constantinopolitanus *Encomium Sancti Dionysii Areopagitæ & Martyris, & Encomium S. Agathæ Virginis & Martyris*. De utroque *Methodio* legendi sunt *Leo Allatius* in Symphosio decem Virginum, *Combefisius* in Apparatu ad Bibliothecam Concionatoriam, & *Oudinus* in Supplemento Script. Eccles. Aliud genuinum S. *Methodii* Patriarchæ Constantinopolitani Opus, quod inscribitur: *Canon de iis, qui abnegarunt, secundum diversas personas & ætates, & ad Orthodoxam veramque fidem revertuntur*, edidit noster *Jacobus Goarus* in Euchologio Græcorum pag. 876.

Photius, qui, ut sæpius in præcedentibus Colloquiis diximus, dejecto S. Ignatio legitimo Patriarcha, Sedem Constantinopolitanam invasit, & schismatis Ecclesiam Græcam inter, & Latinam nequissimus auctor fuit, doctrina claruit non vulgari, & exactissimi judicii Criticus fuit eo præsertim in Opere, quod *Bibliothecam* de libris a se lectis nominavit, in quo tam accurate, tam perspicaci ingenio, tam docte, tam libere de omnibus Scriptoribus Christianis simul prophanisque auctoribus, *Theologis*, *Philosophis*, *Historicis*, *Poetis*, *Grammaticis*, & *Oratoribus* judicat, ut nemo hanc ejus *Bibliothecam* vel semel inspexerit, qui eum Historicum summum, Philosophum absolutissimum, Criticum acerrimum, Oratorem disertissimum, & Theologiam adamussim tenuisse statim non fateatur. Hanc Photii *Bibliothecam* eo pluris faciunt Viri eruditi, quod in ea multorum librorum fragmenta, & excerpta leguntur, quæ alioquin periissent. Edidit etiam Photius *Nomocanonem* Titulis XIV. comprehensum, quod Canones Apostolorum, Conciliorumque veterum cum legibus Imperatorum Romanorum collatos, & in unum digestos, Volumen complectitur. VII. Conciliorum Œcumenicorum scripsit Epitomen. Item Tractatum *de Voluntatibus in Christo*: Dissertationes *de Divinitate & Incarnatione Christi*, *ab Henrico Canisio* Tomo V. Antiq. Lect. editas. Item *Commentarium in Epistolas Sancti Pauli*, & Epistolas CCXLVIII. quas variis de argumentis scriptas e MS. Codice Bodlejano una cum Auctario quinque aliarum ejusdem Photii de rebus in jure Orientalium dubiis publicavit *Richardus Montacutius* e secta protestantium Pseudo-Episcopus Norvicensis. Inter Epistolas Photii eminet ea præsertim, quæ ad *Michaelem* Bulgarorum Regem *de Officio Principis* directa est, in qua præclara ad rectam Principis institutionem continentur documenta. Sermonem Photii *in Nativitatem B. Mariæ Virginis* edidit noster *Combefisius* Tomo I. *Auctarii Bibliothecæ Patrum Græcorum*. Sed de Photii Operibus si plura scire desideres, consule *Casimirum Oudinum* in Supplemento Script. Eccles. & nostrum *Natalem Alexandrum* Articulo XXV. Capitis tertii, *de Scriptoribus Ecclesiasticis noni & decimi sæculi*.

Theodorus Abucara Cariæ Archiepiscopus partibus Photii contra S. Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum aliquandiu adhæsit, sed propalatis Photii fraudibus, ab eo descivit, & in Concilio VIII. Oecumenico ad unitatem rediit, suique delicti veniam impetravit. Tanta fuit eruditione præditus, ut Mahometanos, & Judæos, & quosvis sui temporis Hæreticos confutarit: *disputationes* in modum Dialogorum luculentissimas composuit, quæ ex *Turriani*, & *Gretseri* Societatis Jesu Theologorum Versione, extant in Bibliotheca Patrum Editionis Lugdunensis.

Denique, *Leo* Imperator, cognomento *Sapiens*, idest *Philosophus*, Præceptorem habuit *Photium*, sub quo immensam bonarum literarum, Artium atque disciplinarum scientiam hausit, pluresque Orationes sacras composuit, quarum indicem ex Codice Vaticano exhibet *Baronius* in Annalibus Eccles. ad annum nongentesimum undecimum. Novem ejus Orationes edidit *Gretserus* Societatis Jesu Ingolstadii, an. MDC. Noster vero *Combefisius* Tomo I. Auctarii Biblioth. Patrum decem *Leonis* publicavit Orationes cum eruditis Notis. Eidem *Leoni* Imperatori alia tribuuntur Opera, & in pri-

primis, ut jam observavimus in Colloquio primo in Historiam hujus sæculi noni, *Opus* Βασιλικον, idest Regiarum Constitutionum in LX. libros divisum, quod VII. Tom. comprehensum *Fabrotus* juris consultus doctissimus ex MS. Codice Bibliothecæ Regiæ, Græce & Latine vulgavit. Sed de Viris illustribus, qui IX. sæculo in Ecclesia tam Græca, quam Latina pietate & doctrina floruerunt. hæc dicta sufficiant (*a*).

„ (*a*) Alteram ex ineditis orationem Leonis „ Imperatoris Græcam cum latina interpretatio„ ne sua Libello singulari edidit vir doctissimus „ Marchio Scipio Maffejus, mihi olim, dum vi„ veret, amicitia maxime conjunctus. Cum ve„ ro in struе librorum ego illam cum aliis ad„ mixtam habuerim, nec modo, cum maxime „ velim, mihi occurrat, ideo argumentum ejus „ exponere nequaquam possum.

D. Nunc, si placet, paululum requiescamus, dum se maximus æstatis calor frangat, & nos ipsi, quoniam id temporis est, valetudini demus operam. Quamobrem, proximum nostrum Colloquium differamus usque ad exordium sequentis Autumni, quo Etesiarum flatu nimii temperabuntur calores.

COLLOQUIUM VI.

De Doctrina, de Disciplina tam Ecclesiastica, quam Monastica, necnon de Morali Christiana noni Ecclesiæ sæculi.

M. Attigimus tandem aliquando Autumnum, anni tempus percipiendis, demetendisque frugibus aptum, & ad resumenda, ob nimium calorem per integrum mensem interrupta nostra in Historiam Ecclesiasticam Colloquia, tempestivum magis, atque idoneum. Age ergo, ea, qua par est, diligentia in præsenti Colloquio discutiamus omnia, quæ spectant Doctrinam fidei, Disciplinam tam Ecclesiasticam, quam Monasticam, necnon Doctrinam Moralem noni Ecclesiæ sæculi.

D. Incidi nuperrime in librum cujusdam Hæretici Calvinistæ, quem non pudet asserere, Christianos noni Ecclesiæ sæculi credidisse, Corpus, & Sanguinem Christi Domini reipsa esse dumtaxat in Cælo, non in Eucharistia, illamque esse meram figuram Corporis & Sanguinis Christi. Fingit etiam, hanc fidem, quæ de Eucharistia nono Ecclesiæ sæculo apud fideles obtinebat, fuisse sub finem ejusdem sæculi immutatam a *Paschasio Radberto* Monacho Corbejensi, qui invexit novam de præsentia reali Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento doctrinam, quæ ab exitu noni sæculi ad exordium usque undecimi omnium hominum mentes, faventibus præsertim decimi sæculi ignorantiæ tenebris, toto terrarum orbe ita pervasit, ut Christiani in sequentibus deinceps sæculis hac recenti Paschasii doctrina una cum lacte imbuti, illam ceu veram confidenter obtruserint, mordicusque retinuerint. Certe, dum legi hoc tam male consarcinatum istius Hæretici figmentum, omnique veritatis specie destitutum, quo mutationem circa fidem Eucharistiæ post nonum sæculum in omnium Christianorum animis factam inepte fabulatur, a risu temperare haud potui, certissime sciens, doctrinam fidei esse prorsus invariabilem, nullique temporum vicissitudini obnoxiam, subindeque doctrinam, quam de præsentia reali Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia nunc firmiter credit & constanter profitetur Catholica Ecclesia, non a *Radberto Paschasio* Monacho, qui nono sæculo florebat, prodiisse, sed a Christo Domino profectam ad nos usque perpetua sibique semper constanti Patrum traditione fuisse propagatam. Huic Catholicæ Fidei, seu sacræ Anchoræ immobiliter adhæreo, nec dubito, quin tam insulsum Hæreticorum commentum a Catholicis Scriptoribus fuerit jam confutatum multis argumentis, quorum nonnulla quæ erunt ad meum captum magis accommodata, a te nunc audire cupio.

M. Hoc figmentum, de innovatione fidei circa Eucharistiam nono Ecclesiæ sæculo a Paschasio Radberto facta, in solo cerebro *Albertini*, *Claudii*, & *La-Roque* secta Calvinianæ Pseudo-Ministrorum natum, adeo absurdum est, & ab omni veri specie alienum, ut stipitem esse oporteat eum, qui illud sibi, aut aliis persuadere posse arbitretur. Enim vero, præterquam quod *Paschasius Radbertus* nihil omnino in fide & doctrina de Eucharistia nono Ecclesiæ sæculo immutavit, sed solum avitam fidem, & doctrinam Scripturæ Sacræ, & SS. Patrum de præsentia reali Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento clariori uberiorique stylo exposuit, ut jam in præcedentibus Colloquiis sat superque ostendimus; certum est etiam, hanc innovationem in fide & doctrina de Eucharistia, quam ab exeunte nono sæculo ad initium usque undecimi sæculi factam comminiscuntur Hæretici, puram putamque fabulam esse, quam Catholici Viri doctissimi omni argumentorum genere exploserunt. Ecquis, amabo, tam bonus ut credat, Orbem totum, si (ut dictitant isti Calviniani Pseudo-Ministri) sæculo nono credidisset Corpus & Sanguinem Christi non realiter existere in Eucharistiæ Sacramento, ad eam postea doctrinam sensim sine sensu traduci potuisse, quæ alteri e diametro opposita Corpus & Sanguinem Christi esse realiter in Eucharistia profitetur, omnesque noni & Decimi Ecclesiæ sæculi Antistites, Presbyteros, Clericos & Monachos, Principes, & Laicos tam stupendam novitatem, tam novam & insolentem doctrinam, tam imperviam rationi, tam sensibus adversam, qua Religionis & fidei fundamenta convelli Calvinistæ plenis buccis inclamant, obviis, ut ajunt, ulnis, tam facile excepisse, pristinamque fidem absque ullo vel minimo scrupulo abjecisse, nemine reclamante, immo nec advertente, nullis expugnantibus Ecclesiæ Pastoribus, nec obsistentibus Principibus religiosissimis, & in utramvis aurem dormientibus Viris Sanctissimis, quibus IX. sæculum abundasse vidimus in superiori Colloquio, multosque in sæculo decimo floruisse ostendemus in nostris Colloquiis, in Historiam decimi

cimi Ecclesię sęculi. Profecto incredibile prorsus est, tot Episcopos, Abbates, Presbyteros, Clericos, Monachos & Principes in diversis Orbis partibus dispersos, doctrina ac pietate conspicuos, fidei ad doctrinæ Christianæ tuendę ac promovendę studiosos, ultro passos fuisse ut prisca fides, qua nihil antiquius solent habere homines, impune adulteraretur, & tanquam canes non valentes latrare, siluisse, obmutuisse, dissimulasse, nefandaque socordia permisisse ut nova introduceretur Hæresis. Præterea, legimus in Historia Ecclesiastica, quod statim ac aliqua Hæresis pullulare ac disseminari cœpit, gravissimi semper in Ecclesia tumultus exciti sunt, idque ne ab antiquis Hæresibus, quæ pacem Ecclesiæ haud parum perturbarunt, exempla altius repetamus, manifesto liquet in sectis Lutherana & Calviniana. Cogita enim, quæso, quos turbines, & quas tragœdias Lutherana Hæresis in Germania, & Calviniana secta in Galliis concitarint, ubi primum sacrilegum caput extulerunt. Quot inter Theologos disputationes excanduerint, quot libri a variis partibus magno animorum æstu editi in vulgus sparsi fuerint, quot Ecclesiæ fulmina adversus enatas illas Hæreses intonuerint, quot Concilia ad illas gliscentes profligandas variis in locis congregata fuerint, quot postremo funesta intestina bella obstinatæ illæ circa fidei dogmata dissensiones in Imperio, in Galliis, & in Rebuspublicis inflammaverint. Et post hæc, si superis placet, jam citati Pseudo-Ministri Calviniani persuadere poterunt Viris eruditis, immutationem in fide & avita doctrina Ecclesiæ circa Eucharistiam ab exeunte nono sæculo ad exordia usque undecimi factam fuisse absque tumultu, sive contentione, nullum ad illam novam doctrinam excindendam, antequam latius serperet, coactum esse Concilium, omnesque in re tanti momenti dissentientes simul communicasse, habitasse, aut pacifice, nullis simultatibus, nullis odiis exacerbatos convixisse. Denique, nemo nescit, Christianam Religionem persecutionibus, prædicationibus, disputationibus, scriptis, miraculis, martyriis fundatam & confirmatam fuisse, hisque opus fuisse ad vincendam sensuum, rationis, & Philosophiæ oppugnationem, ad domandam Judæorum pervicaciam, ad tollendam renitentium Ethnicorum cæcitatem, ad evertenda superborum ingeniorum præjudicia. Et erit aliquis tam credulus, ut suum in animum inducat, immutationem in fide & in doctrina circa Eucharistiam fieri potuisse, pace Ecclesiæ, Regnorumque haud minimum turbata, eamque sive strepitu, sine altercationibus, absque scriptis & prodigiis, altumque circa res fidei indormientibus singulis Ecclesiæ Pastoribus, omnium animos occupasse, itane a fide Patrum discedere proclive est? itane dogmata summam Religionis spectantia, quibus semel sunt imbuti animi, tam facile abjiciuntur? nullus plane dubito, quin judicio sensuique communi nuncium ille omnino remiserit, qui tam putido commento præbuerit assensum. Apage ergo tam insulse procusam fabulam, quam Cl. *Antonius Arnaldus* Doctor Sorbonicus toto lib. ix. Voluminis primi gallice scripti *de perpetua fide Ecclesiæ circa Eucharistiam* adversus Pseudo-Ministrum *Claudium* aperte falsi convincit, & de qua nos in Colloquiis in Historiam undecimi sæculi agendo de *Berengarii* Hæresi plura, auxiliante Deo, dicemus.

D. Invictum sane & palmare protulisti argumentum, quod Hæreticorum jugulum petit, & fabulam ab ipsis excogitatam de innovatione in fide, & doctrina circa Eucharistiam a nono præcipitante sæculo ad primordia usque sæculi xi. introducta solide refellit. Perge ergo nunc, si placet, aliorum, quæ in Ecclesia Catholica credenda proponuntur, fidei dogmatum consensionem cum doctrina ix. sæculi demonstrare, ut inde constet, quam falso Hæretici, qui postremis hisce temporibus Reformatorum nomen immerito ambiunt, in suis tutandis erroribus antiquitate glorientur?

M. Nono Ecclesiæ sæculo omnes ad unum Christiani Deum unum esse in natura, & trinum in Personis juxta omnium sæculorum fidem constanter profitebantur. Baptismi necessitatem ad delendum peccatum Originale ad omnes omnino Adami posteros propagatum admittebant. Gratiam medicinalem Christi Servatoris nostri ad singulos pietatis actus prorsus necessariam esse credebant, multique inter Latinos hujus sæculi insignes Scriptores potissimum in Galliis, strenue pro tuenda doctrina Sancti Augustini de gratuita Prædestinatione, & de Gratia se ipsa efficaci decertarunt, doctissimosque libros ediderunt, sicut jam ostendimus. Processionem Spiritus Sancti a Patre, Filioque contra Photium, & Græcos Schismaticos Latini acriter propugnarunt. Cultum Sanctis Imaginibus esse exhibendum asserebant tam Græci, quam Latini; & quamvis Græcos inter & Latinos, quantum ad modum colendi Sanctorum Imagines, aliqua nono sæculo exarserit contentio, attamen quantum ad substantiam cultus, videlicet quod aliquis cultus religiosus Sanctorum Imaginibus deferendus esset, concors erat omnium cum Græcorum, tum Latinorum sententia, sicut in præcedentibus Colloquiis contra Hæreticos nostri temporis Iconomachos commonstravimus. Reliquias Sanctorum maxima veneratione prosequebantur Christiani noni Ecclesiæ sæculi, uti facile colligitur ex eo, quo erant affecti, studio transferendi Corpora Sanctorum, eaque, ob incursionem Barbarorum, sollicite occultandi. *Eginhardus* in Historia, quam scripsit, *de Translatione Sanctorum Martyrum Marcellini & Petri* facta anno DCCCXXVIII. refert in libris tertio & quarto varia miracula patrata diversis in locis Germaniæ, quibus Reliquiæ illorum Sanctorum concessæ sunt, & sub finem libri quarti adjecit idem *Eginhardus* Translationem Sanctorum *Proti & Hyacinthi* Martyrum, in qua itidem translatione complura edita sunt miracula. *Bollandus* ad diem III. Januarii Vitam Sanctæ *Genovefæ* Virginis, cujus Corpus Parisiis in Monasterio eidem Sanctæ dicato, quod hodie est Canonicorum Regularium Sancti Augustini, asservatur, ab antiquo Authore scriptam refert, cui subjunguntur miracula hujus Sanctæ ab Auctore Anonymo descripta, ibidemque, relatis miraculis, quæ edidit Corpus Sanctæ Genovefæ,

ta, dum ob Normannorum in Urbem Parisiensem irruptionem alio translatum est an. DCCCXLV. narrantur postea alia miracula, quæ facta sunt, quando, Parisiensibus cura bellorum solutis, Corpus Sanctæ illius Virginis ad Urbem Parisiensem, exultantibus & occurrentibus populorum turbis reductum est. Translatum etiam est anno octingentesimo sexagesimo quarto ob metum incursionis Normannorum in Galliis Corpus Sanctæ *Faustæ* Virginis & Martyris in *Cœlum*, seu, ut hodie loquimur, in Prioratum Arnensem, *ubi immensa beneficia sanitatum, Domino in Sanctis suis operante, mirabiliter fiunt usque in hodiernum diem*, inquit Auctor Anonymus *Historiæ Translationis Reliquiarum Sanctæ Faustæ Virginis & Martyris ex Vasconia in Cellam Arnensem*, quæ historia exhibetur a Mabillonio part. II. sæculi IV. Benedictini. In Galliis eodem anno DCCCLXIV. ob metum Normannorum Gallias infestantium translatum est Corpus Sanctæ *Reginæ Virginis & Martyris de Alesia Civitate apud Flaviniacum Castrum*, seu Cœnobium, sicut legitur in Chronico Virdunensi Tomo I. Bibliothecæ Labbeanæ relato. Hæc Sancta colitur in Martyrologio Romano die VII. mensis Septembris. Denique, multas Sanctorum Reliquias in Galliis nono Ecclesiæ sæculo ob grassationes Normannorum, qui ferro flammaque in Monasteria, sacras Ædes, & Corpora Sanctorum atrociter sæviebant, fuisse alio transportatas, atque magna cura & Religione reconditas, testatur ad annum DCCCXLVI. Auctor Chronici *de Gestis Normannorum in Francia*, quod a *Duchesnio* Tomo II. publicatum est.

D. Video plane doctrinam, quam nunc profitetur Sancta Ecclesia Catholica, summam cum doctrina, qua Christiani noni Ecclesiæ sæculi erant imbuti, consensionem habere, ac subinde diris devovendos esse nostri temporis Hæreticos, qui vetera Religionis dogmata, tot jam fixa & fundata sæculorum consensu, in privatis, in publicis congressibus, in tenebris & in luce, verbo & scripto subruere, suæque doctrinæ ex omni errorum colluvie conflatæ, & omnibus Ecclesiæ fulminibus inustæ virus spargere, ac longe lateque totis viribus diffundere adnituntur. Verum, quid dissimulem, duas hic breviter subjiciam difficultates, quas circa duo Capita doctrinam noni Ecclesiæ sæculi spectantia mihi nuperrime proposuit vir quidam eruditus, quibus diluendis cum impar sim, tua certe opera indigeo, ut me ab illis extricare possim. Prima difficultas est circa Confessionem Sacramentalem, seu Auricularem, quam nunc ad obtinendam remissionem peccatorum Sacerdoti necessario fieri debere constans est omnium Catholicorum doctrina. At nono Ecclesiæ sæculo, ut dicebat vir ille eruditus, aliqui extiterunt Catholici, qui asserebant, soli Deo Confessionem esse faciendam, idque confirmabat auctoritate Concilii Cabilonensis secundi nono sæculo celebrati, seu anno DCCCXIII. quod Canone XXXIII. hæc habet: *Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, quidam vero Sacerdotibus confitenda esse percensent, quod utrumque non sine magno fructu intra Sanctam fit Ecclesiam*. Præterea, ex Canone XXXII. ejusdem Concilii observabat vir ille eruditus, inter eos, qui nono sæculo docebant, Confessionem Peccatorum Sacerdoti esse faciendam, extitisse quosdam, qui negabant, omnia peccata Sacerdoti esse declaranda. Quæ doctrina, ut nemo non videt, diversa plane est ab ea, quæ nunc de Confessionis Sacramentalis integritate obtinet in Ecclesia Romana. Altera difficultas versatur circa formam Baptismi, quam in his verbis Evangelicis: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, Ecclesia nunc docet esse sitam, ita ut si quis in Ecclesia Latina inter baptizandum alia forma uteretur, Baptismus censeretur omnino invalidus. Porro, hæc præsentis Ecclesiæ doctrina, ut ajebat vir ille eruditus, nono sæculo necdum erat recepta tanquam ad fidem spectans, quandoquidem *Nicolaus* I. Pontifex Maximus, juxta ac doctissimus, in suis Responsis ad Consulta Bulgarorum asserit, baptizatos a quodam, de quo nesciebatur, an Christianus, an Paganus esset? *Non esse denuo baptizandos, si in nomine Sanctæ Trinitatis, vel etiam in nomine Christi baptizati sunt. Unum quippe idemque est, ut Sanctus exponit Ambrosius*. Hæc sunt ipsissima Summi illius Pontificis verba, quæ, ne e memoria exciderent, in istis Codicillis exscribere curavi. Tuum nunc est utrique nodo dissolvendo aptissimum adhibere cuneum.

M. Utraque difficultas, quam tibi proposuit vir ille eruditus circa duo Capita ad doctrinam noni Ecclesiæ sæculi pertinentia, facili negotio dilui potest. Et primo, quod spectat Confessionis sacramentalis usum, aperte colligitur ex laudato Concilio Cabilonensi secundo, eum fuisse nono sæculo in Ecclesia receptum. Canone siquidem trigesimo secundo Patres illius Concilii graviter perstringunt eos, qui *dum peccata sua Sacerdotibus confitentur, non plene id faciunt*. Declarant insuper ibidem confitenda esse singillatim peccata, tum *ea, quæ per corpus gesta sunt, tum ea, quibus in sola cogitatione delinquitur*, & ideo sanciunt, instruendum esse Pœnitentem, *ut de octo principalibus vitiis, sine quibus in hac vita difficile vivitur, confessionem faciat*. Quid, quæso, clarius, & ad stabiliendum confessionis sacramentalis, seu auricularis usum atque integritatem efficacius dici possit, certe non video. Sed inquis, extiterunt aliqui nono Ecclesiæ sæculo, qui asserebant, soli Deo peccatorum confessionem esse faciendam. Id non inficias eo, sed eos, qui ita sentiebant, errasse contendo, quorum tamen error Ecclesiæ non est adscribendus, quia longe plures Catholici Scriptores doctrina & pietate celeberrimi hunc errorem, qui paucorum fuit, data opera nono sæculo impugnarunt. Quamobrem, sicut error vel Millenariorum, vel Rebaptizantium, quem olim nonnulli in Ecclesia his quæstionibus necdum plene eliquatis, & ante solemne Ecclesiæ judicium propugnarant, non tribuitur Ecclesiæ, quia major & nobilior Ecclesiæ pars utrumque errorem omni ævo

ævo improbavit, ita etiam error eorum, qui nono fæculo existimabant, sufficere ad remissionem peccatorum Confessionem soli Deo factam, Ecclesiæ attribui minime debet, quia hic error paucos nactus est patronos, a pluribus fuit confutatus, ac tandem in Conciliis Generalibus Lateranensi IV. & Tridentino confixus est decretorio Ecclesiæ judicio. Cæterum, quamvis fatear, errasse eos, qui nono Ecclesiæ fæculo usque ad Concilium Generale Lateranense IV. sub Innocentio III. anno MCCXV. celebratum, Confessionem Sacerdoti factam non esse necessariam ad obtinendam remissionem peccatorum senserunt, quos inter etiam post fæculum nonum numerantur *Petrus Lombardus* Magister Sententiarum, & *Gratianus*, illos tamen hæreticos fuisse pronunciare non ausim, quia id temporis licet eorum sententia falsa & erronea esset, nondum tamen solemni Ecclesiæ judicio erat condemnata. Sic censet S. Thomas, qui Textum Magistri Sententiarum exponens lib. IV. Distinct. XVII. hæc habet: *in talibus antequam determinetur per Ecclesiam, quod ex iis sequatur aliquid contrarium fidei, non judicatur hæresis esse: & sic Magister, & Gratianus hoc pro opinione ponunt, sed nunc post determinationem Ecclesiæ sub Innocentio III. factam, hæresis reputanda est* (*a*).

„ (*a*) Ad auricularem confessionem hoc seculo „ usitatam valet testimonium ex homilia Leonis „ IV. deductum. Mandat in ea Pontifex, ut „ Sacerdotes caveant, ne *minus digne pœnitentem* „ *cujuscunque rei gratia ad reconciliationem addu-* „ *cant*; tum addit: *& ei testimonium reconcilia-* „ *tionis ferat*. Reconciliationis nomine designari „ ab eo confessionem peccatorum constat ex aliis „ ejusdem homiliæ verbis: *Infirmos visitate, de-* „ *inde reconciliate, & oleo sancto inungite* .... „ *Nullus vestrum pro baptizandis infantibus, in-* „ *firmis reconciliandis &c. præmium aut munus* „ *accipiat*. Cur autem edixerit Pontifex ut „ Parochus testimonium ferat reconciliationis a „ se datæ, si reconciliatio palam fuisset exhibi- „ ta? Valet etiam ad hanc disciplinam de con- „ fessione auriculari eruendam Capitulare Theo- „ dulphi a Baluzio vulgatum. *Quod si occulte* „ *hoc* (adulterium) *feceris, & occulte ad con-* „ *fessionem venerit, occulte ei pœnitentia im-* „ *ponatur*: & infra; *si occultum est, poterit* „ *occulte, in suo permanens gradu, agere pœ-* „ *nitentiam*; paulo supra: *Capitalia & mor-* „ *talia crimina publice deflenda sunt secundum* „ *canonum & Sanctorum Patrum institutionem;* „ *sed & secreta satisfactione solvi mortalia crimi-* „ *na non negamus, mutata tamen prius animi* „ *intentione piæ, religionis confesso studio per vitæ* „ *correctionem, & jugi, immo perpetuo luctu se* „ *submittente*.

Ad Alteram quod spectat difficultatem, quæ tibi circa formam Baptismi proposita est, respondet Bellarminus lib. IV. de Romano Pontifice cap. XII. Nicolaum I. Summum Pontificem *non definiendo quæstionem de fide illud dixisse, sed solum ut Doctorem particularem exposuisse obiter opinionem suam. Nam quod ille intendebat docere in illo Canone, non erat de forma Baptismi, sed tantum de Ministro, de quo interrogatus fuerat. Itaque postquam responderat & definierat, Baptismum esse ratum, etiamsi a Judæo vel Pagano detur, quæ erat præcipua quæstio, addidit obiter: Baptismum esse ratum, sive in nomine trium personarum, sive in nomine solius Christi detur. Quæ sententia falsa quidem est, meo judicio, non tamen hæretica*.

Verum, ut cordate fatear, nunquam ipse adduci potero, ut credam, Nicolaum I. doctissimum Pontificem circa formam Baptismi tam clare in sacris litteris, & in perpetua SS. Patrum traditione expressam potuisse, etiam ut Doctorem particularem, errare. Existimo itaque ipse, Nicolaum I. qui opinioni S. Ambrosii se inhærere diserte profitetur, tantummodo voluisse Baptismum collatum in nomine Christi non excludere alias Sanctissimæ Triadis Personas, adeoque intelligendum esse datum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quia, ut inquit S. Ambrosius l. I. *de Spiritu Sancto* cap. 3. *Sicut qui benedicitur in Christo, benedicitur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quia nomen unum est, potestas una: etiam ubi aliqua operatio Divina aut Patris, aut Filii, aut Spiritus Sancti designatur, non solum ad Spiritum Sanctum, sed etiam ad Patrem refertur & Filium, nec solum ad Patrem, sed etiam ad Filium refertur, & Spiritum Sanctum*. Non posse autem in collatione Baptismi aliquam Sanctissimæ Trinitatis Personam excludi, aperte declarat idem S. Doctor in libro *De iis, qui Mysteriis initiantur* cap. 4. ubi hæc habet: *Credit Catechumenus in Crucem Domini Jesu, quia & ipse signatur; sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratiæ munus haurire*. Addo etiam, Sanctum Ambrosium, in cujus sententiam abiit *Nicolaus I.* Pontifex Maximus, ita Baptismum in nomine Jesu Christi collatum interpretari, ut iis verbis Baptismum significari doceat, non qui a Joanne Baptista, sed qui a Christo Domino institutus est sub hac præscripta forma: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Ita S. Ambrosium explicat Concilii Tridentini Catechismus his verbis: *Quamquam dubium fortasse videri potest, an hujusmodi forma* (scilicet in solo nomine Christi) *Apostoli aliquem baptizaverint; si Ambrosii, Basilii gravissimorum Patrum auctoritatem sequi volumus, qui ita Baptismum in nomine Christi interpretati sunt, ut dixerint, iis verbis significari Baptismum, non qui a Joanne, sed qui a Christo traditus est, tametsi a communi, & usitata forma, quæ trium Personarum nomina continet, Apostoli non discederent*. Itaque, quemadmodum Sanctus Ambrosius ab errore de Baptismo in solo Christi nomine collato vindicatur, ita eumdem errorem amoliri debemus a *Nicolao I.* sanctissimo, & eruditissimo Pontifice, qui dumtaxat a nobis jam explicatam S. Ambrosii sententiam suo calculo ap-

pro

probare videtur. Sed de doctrina Christianorum noni Ecclesiæ sæculi satis hactenus dictum sit (a).

„ (a) Quid si dixerimus eo tempore vixisse „ Nicolaum Pontificem, quo mentes hominum „ alta occupabat de rebus baptismi conferendi „ ignoratio, adeout Carolo Magno necesse fuerit „ viros doctos consulere & excitare, ut de re- „ bus hujus Sacramenti palam scriberent, & ple- „ bes suas erudirent? Ea Principis commonitio- „ ne persuasi plures tum de baptismo scripserunt, „ cum & dogmatis abdita pervadere, meliorem- „ que in lucem collocare adnisi sunt. Id vero „ ut perficeretur tempore opus fuit, & diutur- „ niori meditatione. Hinc qui primi ad id o- „ peris accinxerunt sese, pristinæ ignorationis „ tenebras non adeo plene excusserunt, & qui- „ bus prius tenebantur occupati erroneas opinio- „ nes non penitus excutere valuerunt. Exemplo „ sit S. Paulinus Aquilejensis, qui licet confe- „ rendum baptismum SS. Trinitatis nomine ex- „ presso nosset, adeo ut ceu rudes & indoctos „ traduceret illos, qui in Christi nomine Sacra- „ mentum istud administrassent, non tamen ite- „ rum tingendos eos edixit, qui non aliter ab- „ luti fuissent. Vide supra adnotationem meam „ ad Paulinum Aquilejensem; cujus in senten- „ tiam Nicolaum I. concessisse quis jure mire- „ tur?

D. Tuis perdoctis Responsis, dubia, quæ circa quædam Capita doctrinam noni sæculi spectantia mihi ingesserat vir ille eruditus, tam luculenter enucleasti, ut nemo me in præsentia impune lacessere possit, pleneque intelligam, doctrinam, quam altis defixam radicibus nunc tenet S. Mater Ecclesia, omnino consentire cum doctrina noni sæculi, nihilque in his, quæ credenda proponit, fidei dogmatibus immutatum aut innovatum fuisse. Expedit modo, ut Disciplinæ tam Ecclesiasticæ, quam Monasticæ, quæ nono sæculo viguit, compendiosam tradas notitiam, hoc est, ea summatim perstringas, quæ ad Sacramentorum administrationem, ad Primates, Metropolitanos, Episcopos & Clericos, necnon Monachos & Sanctimoniales spectant, quorum omnium explicatione speciem & formam Disciplinæ noni Ecclesiæ sæculi haud leviter adumbrabis.

M. In administratione Sacramentorum eadem nono Ecclesiæ sæculo viguit Disciplina, quæ in præcedentibus Ecclesiæ sæculis frequentari solebat. Baptismus in trina immersione conferebatur, duoque Baptismi solemnis tempora, Pascha videlicet & Pentecostes, observabantur. Sub utraque specie sacra Communio Laicis concedebatur, quam disciplinam postea ob varia emergentia pericula prudenter antiquavit Ecclesia. Hostiæ consecratæ in Columnis suspensis in Ecclesiis asservabantur, quæ ad ægrotos deferebantur, ut, juxta antiquum Ecclesiæ morem, sacro Viatico ante mortem reficerentur. Mos erat, ut infirmitate depressi, idest, graviter ægrotantes, primum Confessione sacramentali peccata expiarent, dein, Sacramento Extremæ Unctionis munirentur, antequam desperata valetudo esset; demum, ubi imminere prævidebatur obitus, fieret animæ commendatio, & sacra Communio, seu Viaticum, Christiano propediem morituro porrigeretur. Quod autem postea sacra Communio infirmis præmissa sit Extremæ Unctioni, jamque a pluribus sæculis mos ille in Ecclesia Latina invaluerit, ut Viatico Corporis & Sanguinis Christi reficiantur infirmi, & postea sacro Extremæ-Unctionis oleo inungantur, ubi imminet obitus, mera disciplinæ mutatio fuit, ex qua contra Extremæ Unctionis Sacramentum nihil omnino extundere possunt Hæretici nostri temporis.

Primates, post Romanum Pontificem, qui est Vicarius Christi, Caput, & rector universæ, qua late patet, Ecclesiæ, principem locum in Occidente nono sæculo obtinebant. Duos Primates in Galliis nono sæculo Summi Pontifices instituerunt, quorum primus fuit *Drogo* filius Caroli Magni Imp. & Episcopus Metensis, qui Anno DCCCXLIV. a Sergio II. Romano Pontifice Primatum in Gallias & Germaniam obtinuit. Hæc nova *Drogonis* dignitas cum in concilio Vernensi II. eodem anno celebrato proposita fuisset, responderunt Patres Canone XI. *de Prælatione Reverendissimi Drogonis definire aliud non audemus, nisi expectandum, quam maximus cogi potest, Galliæ, Germaniæque Conventum, & in eo Metropolitanorum, reliquorumque Antistitum requirendum esse consensum, cui resistere nec volumus, nec valemus: nobis tamen, si quid committi potest, & non alia, quam quæ prætenditur, latet causa, illi potissimum convenire videtur, qui & communione Sacerdotii nobis, & Excellentiæ vestræ* (Catolum Calvum Regem alloquuntur) *propinquitatis privilegio sociatur.* Hic primatus personale Privilegium fuit Drogoni concessum a Sergio II. quod tamen suum effectum sortiri non potuit, intercedentibus Galliarum & Germaniarum Episcopis, & ipsomet *Drogone* modeste cedente, ut testatur *Hincmarus* Episcopus Remensis in Epistola XLIV. cap. 30. ubi hæc habet: *Quod affectu ambit, seu* Drogonus, *effectum non habuit, & quod efficaciæ usu, non consentientibus, quibus intereat, obtinere non potuit, patientissime, ut eum decuit, toleravit, ne scandalum fratribus Consacerdotibus generans, schisma in Sanctam Ecclesiam introduceret. Quem tantæ generositatis ac dignitatis virum quisque nostrum imitari debuerat, ne indebite appeteret quod non habebat, qui sine contentione exequi non pertulit, quod adeptus fuerat.*

Drogone felicior fuit *Ansegisus* Senonensis Archiepiscopus, qui post mortem *Lotharii* Imp. missus a *Carolo Calvo* Romam, induxit Joannem VIII. Romanum Pontificem, & Italiæ Primores, ut Imperium Carolo Calvo deferrent. Quo factum est, ut Carolus Calvus ejus ministerio Imperium adeptus, eique gratias rependere volens, ab eodem Summo Pontifice litteras obtinuerit, quibus Primatus in Galliam, & Germaniam cis Rhenum *Ansegiso* Archiepisco-

po Senonensi, ejusque successoribus confertur. Has Joannis VIII. Pontificis Maximi litteras, quæ in Concilio Pontigonensi anno DCCCLXI. recitatæ fuerunt, exhibet *Sirmondus* tomo III. Concil. Galliæ. Archiepiscopi Senonenses gaudent adhuc in Galliis Primatis titulo. Sed hic titulus est magni dumtaxat nominis umbra, & inane quoddam dirutæ antiquæ dignitatis monumentum. De hoc Senonensi Primatu legendi sunt noster *Natalis Alexander* cap. V. art. I. §. III. in Hist. IX. & X. Ecclesiæ sæculi, & *Gerardus Du Bois* in Historia Ecclesiæ Parisiensis, lib. 8. cap. I.

A Primatibus progrediamur ad Metropolitanos, quorum privilegia a Sedis Apostolicæ auctoritate derivari, & ab eadem confirmari docet *Hincmarus* Remensis Archiepiscopus in Opusculo LV. Capitum adversus Nepotem suum *Hincmarum* Laudunensem Episcopum cap. XXXV. & in Epistola XXXVI. ad eumdem. Quamobrem nono Ecclesiæ sæculo novarum Metropolitanorum Sedium erectiones fiebant auctoritate Romanorum Pontificum, ut testatur Auctor Vitæ *S. Remberti* Bremensis Episcopi apud *Surium* die IV. Februarii cap. IX. (*a*) Metropolitanorum auctoritas in hoc sita erat, quod ad ipsos de jure spectaret Episcoporum sibi subditorum supplere negligentiam in collatione Beneficiorum, eorum vitam & famam observare, illos confirmare, examinare & consecrare, ipsos, non expectata Synodi Provincialis, vel Nationalis sententia, corrigere, si quid contra Canones & Apostolicæ Sedis Decreta committerent; causas illorum judicare in Synodo, vel per Episcopos Judices; Concilia Provincialia convocare & his præesse; suas Provincias visitare, & pravas in eis inolitas consuetudines, opportunis adhibitis remediis, extirpare. Defuncto Episcopo, Metropolitanus *Visitatorem* Ecclesiæ viduatæ Pastore præficiebat, electionem alterius Episcopi juxta Canones fieri jubebat, & si in partes distraherentur eligentium vota, eum eligebat & consecrabat Episcopum, qui majoribus ad ordinationem suscipiendam studiis juvabatur & meritis, eumque, an digne Episcopali oneri ferendo par esset, sedulo examinabat. Metropolitanis ita subditi erant Episcopi suffraganei, ut ad Synodum, vel ordinationem celebrandam ab ipsis vocati adire deberent, nec ex sua Provincia exire, Officium in Aula Principis, aut Beneficium quodvis citra Metropolitanorum licentiam obtinere possent. Tenebantur etiam Episcopi suffraganei in causis dubiis & obscuris Metropolitanum consulere, in Diœcesibus tamen Comprovincialium Episcoporum nihil Metropolitanus agere poterat, nisi ex præscripto Canonum; unde Nicolaus I. Pontifex Maximus in Epistola ad *Rodulphum* Bituricensem Episcopum admonet ipsum, quod *Primates, vel Patriarchæ nihil privilegii habeant præ ceteris Episcopis, nisi quantum sacri Canones concedunt, & prisca consuetudo illis contulit; ita ut secundum Nicænas regulas sua privilegia serventur Ecclesiis*. Metropolitanæ dignitatis insigne erat *Pallium*, quod ad Regum commendationem Summi Pontifices ad Metropolitanos, & nonnunquam ad simplices Episcopos in præmium meritorum mittere solebant. Falso itaque asserit *Petrus de Marca*, Romanos Pontifices summam in mittendis *Palliis* ad Episcopos Gallicanos adhibuisse curam, ut jus Metropoliticum, quod ad illos juxta vigorem Canonum pertinebat, oriri videretur a Vicariatu Sedis Apostolicæ, & ut eis novum jugum, novamque servitutem imponerent, necessitatem nimirum promittendi obedientiam Sedi Apostolicæ. Sic enim loquitur prædictus Auctor libro VI. de Concordia *Sacerdotii & Imperii* capite sexto: *Optabant sane olim Summi Pontifices, ut omnes Metropolitani, qui ad eorum Patriarchatum pertinebant, aliquod confirmationis genus a Sede Apostolica acciperent. Verum, quia ubique receptum erat, consecrationes fieri posse extra Italiam absque eorum consensu, vim ei legi palam adferre noluerunt; sed Metropolitanos rei cujusdam novæ miraculo velut obstupefecerunt, quæ in initio magnifica, paulatim tamen antiquam eorum libertatem per cuniculos fregit, & Synodorum Provincialium auctoritatem pessumdedit. De Pallii usu loquor*. Id, inquam, a *Petro de Marca* falso asseri ex eo maxime liquet, quod tantum abest, ut Summi Pontifices curam in mittendis ad Gallicanos Præsules Palliis adhibuerint, ut potius ferventibus Regum precibus & ardentibus Episcoporum votis inducerentur ad usum Pallii Episcopis concedendum. Quod si Romani Pontifices per usum Pallii novam servitutem Episcopis imponere intendissent, omni procul dubio nec Reges in gratiam Metropolitanorum suorum unquam istud Pallium a Romanis Pontificibus postulassent, nec Metropolitani novam & insolitam hanc servitutem sibi imponi passi fuissent nedum ambiissent. Promittebant quidem Metropolitani, & Episcopi, qui Pallium obtinebant, obedientiam Romano Pontifici, utpote Christi Vicario; sed nemo dixerit, hanc omni ævo præstitam obedientiam appellari debere servitutem, cum potius necessarium sit officium, quod Metropolitani & Episcopi sese juxta sacros Canones exolvere debent, obediendo Romano Pontifici, ad quem ratione sui Primatus, quem habet ex jure divino, spectat Canones per universum Orbem executioni mandare, eos, dum exigit Ecclesiæ necessitas, vel utilitas moderari, ab iis dispensare, eorumque infractores ac perduelles coercere, punire & in ordinem redigere. Jure merito explodi itaque debet hæc nova *Petri de Marca* Archipræsulis Parisiensis opinio, quæ veritati contraria est, & Romanis Pontificibus injuriosa.

„ (*a*) Celebre est hac in re de institutione „ novarum Metropolitanarum sedium auctoritate „ Romani Pontificis exemplum S. Remberti Bre„ mensis Episcopi, quod hic Gravesonius tan„ git. Sed post Gravesonium producta sunt a „ Baluzio capitula responsionum Nicolai Papæ „ ad Salomonem Legatum Ludovici Germaniæ Re„ gis, cujus hæc sunt verba ad caput IV. *Ut Episco„ pus Bremensis, licet a Gunthario (Coloniensi E„ pi-*

„ *piscopo) hac non potuerit dari licentia, nec ab* „ *eo tale quid peti debuerit; tamen pro a-* „ *more Domini Regis, quia pia est ejus peti-* „ *tio, cum nostra auctoritate in prædicto loco Bre-* „ *mon potestatem & honorem Archiepiscopatus su-* „ *per Danos & Suevos habeat, & simili modo* „ *sui successores per tempora futura perpetualiter* „ *teneant, atque possideant.*

Circa Episcopos hæc Disciplina nono Ecclesiæ sæculo observari solebat. In primis, Episcoporum electiones in Germania, Gallia & Anglia juxta Sacros Canones liberæ erant, & a Metropolitanis, prævio examine, confirmabantur, sicut sancitum est Canone septimo Concilii Valentini III. in Galliis celebrati anno DCCCLV. Aliquando tamen Episcoporum aut Archiepiscoporum electiones confirmabantur, vel rescindebantur a Romanis Pontificibus, idque in his casibus contingebat. Primo cum Metropolitani jure suo abutebantur, confirmando scilicet contra Canones. Secundo, cum dispensatione opus erat: sic *Vulfandi* Bituricensis Archiepiscopi electionem *Nicolaus* I. ut confirmaret, a rege *Carolo Calvo* rogatus est. Tertio, cum Metropolitanus officio suo non fungebatur; sic Joannes VIII. Pontifex Maximus *Optandum* confirmavit, consecravitque Episcopum Genevensem, quia *Otramnus* Viennensis Metropolitanus *Bosoni* Regi Arelatensi addictus ejus confirmationem & ordinationem studio partium abreptus data opera, procrastinabat. Episcopi in suis Ordinationibus observantiam Canonum, & obedientiam Metropolitano suo pollicebantur, Metropolitani vero eam Summo Pontifici exhibendam profitebantur. Episcopatu cedere, nisi gravissimas ob causas Episcopis non licebat. Amor tamen solitariæ Vitæ nonnullos noni sæculi Episcopos ad suas relinquendas Ecclesias pellexit, ut constat exemplo *Leidradi* Lugdunensis Archiepiscopi, qui anno DCCCXV. Suessione in Monasterio *S. Medardi* Vitam Monasticam profiteri cœpit, & in ejus locum *Agobardus*, ejusdem Ecclesiæ Chorepiscopus suffectus est, teste *Adone* in Chronico. Resignationem Episcopatuum in favorem aut assumptionem Coadjutoris, nisi evidenti necessitate aut utilitate Ecclesiæ non permittebat Ecclesiastica noni sæculi disciplina, sicut nec translationem Episcoporum ab una Sede ad aliam. Quam in rem, præter multa alia exempla, quæ afferri possent, in promptu est exemplum *Formosi Papæ*, cui ejus hostes vitio verterunt, quod a Portuensi Ecclesia ad Romanam Sedem migrasset, eidemque emortuo, ut jam observavimus, exprobravit Stephanus VII. Papa his verbis: *Cum Portuensis esses Episcopus, cur ambitionis spiritu Romanam universalem Sedem usurpasti?* Pluralitatem Beneficiorum in Episcopis vetabat noni sæculi disciplina; negari tamen non potest, aliquot fuisse noni sæculi Episcopos, qui plures Abbatias possederunt, qua in re, cum se contra sacros Canones gesserint, laudari minime debent, nisi forte illas Abbatias acceperint, ut eas a sæcularum hominum invasionibus, quæ id ætatis satis frequentes erant, vindicarent, ac tuerentur. Episcopis in propriis suis Ecclesiis residendi necessitas nono sæculo imposita erat, a qua tres dumtaxat rationes eos legitime dispensare poterant. Prima erat, profectio Romam devotionis ergo, aut Summi Pontificis jussione. Altera ratio erat obsequium Principis non sponte quæsitum, sed impositum. Tertia ratio Episcopos a Residentia legitima dispensans erat legatio a Romanis Pontificibus, aut a Regibus demandata. Maxima erat sæculo nono Episcoporum jurisdictio. Nam præterquamquod Carolus Magnus Imperator sub gravissimis pœnis edixit, ut in causis Canonicis, videlicet in vitiorum emendatione, Pœnitentiæ inflictione, promotione divini cultus, & executione Disciplinæ Ecclesiasticæ omnes Episcopis obtemperarent, causæ etiam civiles & criminales Clericorum erant examini ac judicio Episcoporum reservatæ. Jus Nominationis ad Beneficia, præcipue ad Regimen Parochiarum, etsi nono sæculo esset penes Patronos, seu Ecclesiasticos, seu Laicos, collatio tamen erat in potestate Episcopi, ita ut si indignum Patronus præsentaret, vel intra certum tempus Ecclesiæ vacanti non provideret, jus devolutum esset ad Episcopum, qui digniorem instituere debebat. Prima Episcopalium causarum cognitio ad Provinciales, seu Nationales Synodos pertinebat, suprema tamen non erat Provincialium, seu Nationalium Synodorum auctoritas, sed ab earum judicio ad Romanum Pontificem Episcopi poterant appellare, ut constat exemplis Episcoporum Gallicanorum *Ebbonis* Remensis, *Hincmari* Laudunensis, & *Rothadi* Suessionensis, quos a Synodis Provincialibus depositos ad Sedem Apostolicam appellasse, jam a nobis in præcedentibus Colloquiis observatum est. De jurisdictione in Bulgarorum Diœcesim, quæ præcipuas quinque complectebatur Provincias, Daciam scilicet Mediterraneam, Daciam Ripensem, Prævalem, Dardaniam, ac Mysiam superiorem, gravis nono sæculo extitit contentio Pontifices Romanos inter, & Patriarchas Constantinopolitanos. S. *Ignatius* Patriarcha Constantinopolitanus hanc Bulgarorum Diœcesim jure Patriarchico regendam suscepit, Romanisque Presbyteris ejectis, Græcos illuc Presbyteros misit, gentique *Theophylactum* consecravit Episcopum, quamvis, ne id faceret, admonitus fuisset ab *Hadriano II.* Summo Pontifice per Epistolam sibi a Legatis Apostolicis oblatam. Qua de re idem Pontifex graviter expostulavit cum *Basilio* Imperatore in Epistola ad ipsum data. *Joannes VIII.* qui Hadriano II. successit, restitutionem Diœceseos Bulgarorum Ecclesiæ Romanæ vehementer urgit, & defuncto Sancto Ignatio, Photium Sedi Constantinopolitanæ restituit, ea lege, ut a Bulgaricæ Diœceseos administratione abstineret,

neret, eamque Romanæ Sedi restitueret. Votis tandem potitus est Joannes VIII. & Romanæ Sedi Bulgarorum Diœcesim vindicavit. Sed brevis fuit Pontificis lætitia. *Photius* quippe, annuente Imperatore *Basilio*, Bulgaricam Diœcesim denuo invasit, quæ Constantinopolitanæ Sedi addicta mansit usque ad Pontificatum Innocentii III. qui, ut testatur *Franciscus Bosquettus* Ecclesiæ Gallicanæ Præsul in illius Summi Pontificis Vita, hanc Bulgarorum Diœcesim Sedis Apostolicæ dominio, & jurisdictioni iterum subjecit. Sed de exordio, progressu, atque exitu illius contentionis occasione Bulgarorum Diœcesis enatæ nono sæculo Pontifices Romanos inter, & Patriarchas Constantinopolitanos, legesis *Anastasium Bibliothecarium*, in Vita Hadriani Secundi, ubi omnia, quæ ad illam spectant, accurate descripsit.

Erga Clericos hæc nono Ecclesiæ sæculo vigebat Disciplina. In primis, juniores Clerici, antequam ad sacros Ordines promoverentur, instituebantur in Seminariis, quæ vel in Episcoporum Ædibus, vel in Monasteriis erant ad id destinata. Inter Canonicos alii erant, qui in Ecclesiis Cathedralibus cum Episcopis, & sub immediata eorum cura; & alii, qui in Monasteriis sub Abbatum regimine communem vitam ducebant. Hos tamen Canonicos voto paupertatis non fuisse obstrictos, ac subinde diversos fuisse ab iis, quos nunc *Canonicos Regulares* appellare solemus, facile colligitur ex Concilio Aquisgranensi sub *Ludovico Pio* Imperatore Canone CXV. in quo statuitur, *Monachos, quia nihil sibi proprium reliquerunt, copiosioribus Ecclesiæ sumptibus, quam Canonicos, qui suis & Ecclesiæ licite utuntur rebus, indigere*. Idemque sancitur Canone CXXII. Regulæ Canonicorum in Concilio Aquisgranensi habito anno DCCCXVI. jubente *Ludovico Pio* Imperatore, conditæ, & omnes Clerici subditi erant Episcopis, a quibus ordinati, certisque Ecclesiis ita erant addicti, ut in illis semper residere deberent, nisi ad Scholas celebriores discendi gratia mitterentur. Hinc non poterant Episcopi Clericos a suis Beneficiis pro suo nutu amovere, sed illos dumtaxat propter crimina e Beneficio, & gradu canonice dejiciebant. Personæ Clericorum ab omni servitute publica erant immunes; in Galliis tamen nono sæculo legenda servitus Episcopis, & nonnullis Abbatibus imposita est, qua non solum militiam Regibus Christianissimis suppeditare, sed & milites suos ad bellum ducere tenebantur, nisi infirmitate essent præpediti, aut Regis dispensatione ab expeditione absoluti. In hanc pravam consuetudinem jure merito invehitur *Nicolaus* I. Pontifex Maximus in Epistola XXVII. ad *Ludovicum* Germaniæ, & *Carolum Calvum* Galliarum Reges. De hac etiam gravi, & importuna consuetudine in damnum Ecclesiæ Gallicanæ illata legendus est *Hincmarus* Remensis Archiepiscopus in Epistola XXVI. ad *Nicolaum* I. item in Epistola XLI. ad Hadrianum I. & in Opusculo XLVI. cui titulus est: *Quæ exequi debet Episcopus*. Clerici bonorum Ecclesiasticorum non Domini, sed tantum Oeconomi, & dispensatores, juxta sacros Conciliorum Canones, habebantur, & ideo possessiones ex reditibus Ecclesiæ acquisitas, aut residuas pecunias non poterant ad hæredes transmittere. Canonici vero, qui Beneficia Ecclesiastica habebant ad victum, & vestitum sufficientia, nulla stipendia a communi Congregationis ærario percipiebant. Ecclesiæ cujusvis bona quatuor in partes distribuebantur secundum disciplinam antiquis Canonibus consonam, quarum una Clericis, altera pauperibus, tertia restaurationi templorum, quarta Episcopo cedebat.

Chorepiscopi nono Ecclesiæ sæculo in Concilio Ratisponensi anno DCCCIII. & in Concilio Metensi an. DCCCLXXXVIII. extincti sunt, eo quod ambitione elati, jura Episcoporum sibi perperam arrogarent. De Chorepiscopis sic Patres Concilii Metensis Canone II. loquuntur: *Ut Basilicæ a Chorepiscopis consecratæ ab Episcopis consecrentur, roboratum est, quia juxta Decreta Damasi Papæ, Innocentii, & Leonis, vacuum est atque inane quidquid in Summi Sacerdotis Episcopi egerunt ministerio, & quod ipsi iidem sint, quid & Presbyteri, sufficienter invenitur*. Ad cujus secundi Canonis Concilii Metensis intelligentiam, breviter observare debes, olim Chorepiscoporum duo fuisse genera, quorum alii vere erant Episcopi, alii vero Presbyteri, ampliori tamen jurisdictione donati. Primi generis extiterunt *Adalmarus*, & *Agobardus* ambo eodem tempore Chorepiscopi, ille scilicet *Amalarii* Archiepiscopi Trevirensis, hic *Leidradi* Archiepiscopi Lugdunensis. Duo illi Chorepiscopi erant veri Episcopi, utpote secundum Canones ordinati a tribus Episcopis. Chorepiscopi vero secundi generis non erant Episcopi, quia ab uno dumtaxat Episcopo erant ordinati. Unde, quamvis *Episcopi Villani* dicti interdum reperiantur, non erant tamen Episcopi, sed Episcoporum dumtaxat Vicarii Presbyteratus honore insigniti. De his secundi generis Corepiscopis, qui Presbyteris aliqua tantum jurisdictione præeminebant, loquuntur Patres Concilii Metensis, dum dicunt, illos fuisse tantummodo Presbyteros, de quibus aut in Officio continendis, aut penitus abolendis diutissime laborarunt Episcopi, eo quod isti Chorepiscopi res haud paucas, quæ solis competebant Episcopis, ausu temerario agendas susciperent, eorumque jura ac Privilegia præpostere usurparent. Susceptum consilium ad optatum tandem exitum perduxerunt Episcopi; nam sub finem noni sæculi, & initium decimi, nulli amplius in Ecclesia tam primi, quam secundi generis Chorepiscopi extiterunt, sed Chorepiscopis primi generis, qui erant veri Episcopi, successerunt Episcopi illi, qui *pro partibus Infidelium* ordinantur, & Germanicorum Episcoporum vicibus ætate nostra funguntur, cum hoc tamen discrimine, quod antiqui primi generis Chorepiscopi, qui erant veri Episcopi, dicebantur ipsarummet Ecclesiarum, quibus serviebant, Chorepiscopi, sicut diximus de *Adalmaro*, & *Agobardo*; at vero Episcopi, qui in Germania pro partibus Infidelium ordi-

ordinantur, & Germanicorum Episcoporum munia obeunt, titulum gerunt Ecclesiarum, quæ in partibus Infidelium constitutæ sunt. Secundi generis Chorepiscopis, qui non erant veri Episcopi, sed tantum Presbyteri, majori tamen præditi jurisdictione, successerunt in Occidente Archipresbyteri, sive Archidiaconi, & Decani rurales, qui modo eadem in Ecclesia exercent officia, quæ olim a secundi generis Chorepiscopis obiri solebant. Sed si de antiquis tam primi, quam secundi generis Chorepiscopis, quorum dignitas nono Ecclesiæ sæculo abrogata fuit, plura scire aveas, legesis *Joannem Morinum* Congregationis Oratorii eruditum Presbyterum Exercitatione IV. partis tertiæ *de sacris Ecclesiæ Ordinationibus*, & doctissimum *Carolum Cointium* ejusdem Congregationis ad annum DCCCXIII. numer. CCCXLV. ubi hoc de argumento præclare ac copiose edisserunt.

D. Præcipua noni sæculi Disciplinæ Ecclesiasticæ Capita exposuisti, quibus subnectas velim Synopsim Monasticæ Disciplinæ, quæ eodem sæculo in Monasteriis erat in usu.

M. Floruit quam maxime nono Ecclesiæ sæculo Monastica Disciplina, & Regula Sancti Benedicti sub *Caroli Magni*, & *Ludovici Pii* Imperio ita in Galliis, Germania, & Italia recepta erat, ut in Monachorum Cœnobiis hæc sola dominaretur. Hanc Sancti Benedicti Regulam, sicut & sui ordinis in Galliis reformationem potissimum propagavit nono Ecclesiæ sæculo Sanctus *Benedictus* Anianensis Abbas, sicut testatur *Ardo* in ejus Vita. De Puerorum Oblatione Monasteriis a parentibus facta ex præscripto Regulæ Sancti Benedicti nata est eodem sæculo controversia, an videlicet in posterum irrevocabilis omnino esset, vel an illis pueris, ubi ad ætatem adultam pervenissent, integrum esset ad sæculum redire? Nonnullis hanc puerorum oblationem Monasteriis a parentibus factam irrevocabilem non esse asserentibus strenue obstitit *Rabanus* edito libro *contra eos, qui oblationem contra Regulam Sancti Benedicti destruere volebant*, sicut testatur *Rodulfus* in Vita Rabani, cujus opinio, quæ antiquitate Summorum Pontificum, & Conciliorum Decretis nitebatur, prævaluit, fuitque confirmata in Concilio Aquisgranensi, anno DCCCXVI. Canonibus XXXVI. & XXXVII. & in Concilio Wormatiensi habito anno DCCCLXVII. Canonibus XXII. & XXIII. ubi sic statuitur: *Monachum ergo aut paterna devotio, aut propria professio facit. Quidquid horum fuerit, alligatum tenebit. Proinde huic ad mundum reverti intercludimus aditum, & omnes ad sæculum interdicimus regressus.* Aetas Monasticæ professionis in viris erat annus decimus quintus, aut eo major. At Virgines velum consecrationis ante annum vigesimum quintum non recipiebant. Monachi jure quidem communi Episcopis subditi erant nono Ecclesiæ sæculo, immunitates tamen, & privilegia Monasteriis quibusdam a Romanis Pontificibus, & Episcopis concessa sunt. *Nicolaus I.* Pontifex Maximus Privilegium amplissimum libertatis, seu exemptionis a jurisdictione Episcopi Cenomanensis concessit, seu potius confirmavit, Monasterio Sancti *Karilefi*, Gallice *Sancti Calais* Ordinis Sancti Benedicti. Concilium Parisiense celebratum anno DCCCXLVI. Monasterio Corbejensi, rogante *Paschasio Radberto*, ejusdem Monasterii Abbate, electionis, & libertatis Privilegium, quo a fundationis suæ initio potitum fuerat, ratum habuit, suaque authoritate confirmavit. Idem Privilegium *Benedictus* III. Summus Pontifex denuo approbavit, & auxit, atque prædictam Abbatiam Corbejensem ab Episcoporum jurisdictione prorsus immunem declaravit. Simile Privilegium in jure eligendi Abbatem, & in libertate ab Episcopali dominatione positum obtinuerunt nono Ecclesiæ sæculo alia nonnulla Monasteria, videlicet Monasterium Floriacense in Synodo Tullensi apud Saponarias habita, anno DCCCLIX. Monasterium Sancti Dionysii prope Lutetiam in Concilio Pistensi, anno DCCCLXII. Monasterium Solemniacense Diœcesis Lemovicensis in Synodo Suessionensi III. coacta, anno DCCCLXVI. *Carolus Magnus* & *Ludovicus Pius*, religiosissimi Imperatores non solum Laicos, verum etiam Clericos, Sæculares, & Canonicos a regendis Abbatiis excluserunt, sæpiusque Summi Pontifices Abbatum institutionem aliter factam, pronuntiarunt contrariam esse authenticæ, & regulari institutioni. Bene multi ex Ordine Monastico Sancti Benedicti, qui pene solus IX. Ecclesiæ sæculo in Occidente vigebat, ad Regimen Ecclesiarum provecti sunt, quorum duo fuere Summi Pontifices, *Paschalis* I. & *Leo* IV. alii complures Episcopi doctrina, & pietate eximii, quorum Vitas, atque præclara in Ecclesiam merita legesis apud doctissimum *Mabillonium* sæculo IV. Benedictino, quod est Ecclesiæ nonum. Monachi, qui ad dignitates Ecclesiasticas erant promoti, Monasticum habitum, eamdemque vitæ regularis normam in Pontificatu servare obstringebantur. Pecuniam pro Monasterii ingressu recipere districte erat prohibitum, eaque lex summa Regulam Sancti Benedicti tam Monachi, quam Sanctimoniales adamussim adimplere satagebant. Statis horis in opere manuum occupabantur Monachi, studio tamen graviter incumbebant, & in multis Cœnobiis celebres erant institutæ scholæ, sicut in Anianensi, in Fuldensi, in Sandionysiano, in Turonensi, in Corbejensi, in Centulensi &c. Ex quo cum sacrarum, & Ecclesiasticarum, tum humanarum litterarum cultu feliciorem promanasse noni sæculi statum, contra vero nefandam sæculi decimi corruptelam ex earumdem neglectu fuisse profectam merito existimat *Mabillonius*. Sublata quippe, inquit vir ille undecumque doctissimus, scientia, non est, qui erudiat, non est qui exhortetur, non est qui peccantes arguat. Hæc ubi defecerint, impune peccatur, impune violatur Religio, desidiæ, ac cæteris, quæ inde scaturiunt, lascivientis naturæ vitiis dedunt se Ecclesiæ Ministri. O utinam laudabilem illam antiquorum Monachorum vivendi, studendique normam pro viribus æmulari possent omnes hujus temporis religio-

fæ vitæ cultores, quo majori animarum fructu prædicandi, docendi, Sacramenta administrandi, aliisque id genus sibi demandatis Ecclesiasticis muniis perfungi possent. Denique, ut me expediam ab his, quæ ad Monasticam noni sæculi disciplinam spectant, idem *Mabillonius* in Præfatione partis secundæ sæculi IV. Benedictini revocat ad nonum Ecclesiæ sæculum divisionem bonorum Monasterialium inter Abbatem, & Conventum, qualis in Monasterio Sancti Dionysii prope Parisios anno DCCCLXII. facta est, ut legitur apud *Dubletum* in Antiquitatibus Dionysianis, & qualis etiam in Monasterio Sancti Germani apud Parisios ab *Hilduino* Abbate Regulari peracta est anno DCCCLXXII. Huic bonorum Monasterialium partitioni occasionem dedit rapacitas quorumdam sæcularium Abbatum, qui omnia Monasterii sibi commendati bona in usus suos vendicabant. Quod ne in Monasteriis sibi subjectis aliquando fieret, *Hilduinus* Abbas San-Germanensis hac partitione consuluit, sicut testantur litteræ ea de re ab eo scriptæ. Ejusdem argumenti est Epistola tertia *Frotarii* Tullensis Episcopi ad *Ludovicum Pium* Imperatorem pro Monasterio Mediolacensi Diœcesis Trevirensis, ubi tempore *Fortunati* Abbatis, jussu *Ludovici Pii* Imperatoris *Smaragdus ipsius Monasterii Monachis portionem de Abbatia dederat, ut regulariter viverent*; sed *Hismundo* Abbate hanc portionem suos in usus convertente, querelis ad Imperatorem delatis, *Frotario* promisit *Hismundus* Abbas, *se per omnia emendare velle quidquid hactenus negligenter ex sua parte fuerat actum*. Monachis eo pacto, nec aliter assentientibus, *nisi illis portio sua redderetur*, eoque pernegante, a *Frotario* Monachi postularunt, ut *illis licentiam daret ad Imperatoris præsentiam recurrendi, ejusque misericordiam implorandi, dicentes, se magis velle de eodem Monasterio expelli, & in peregrinatione, & mendicitate vivere, quam falsis promissionibus ulterius credere, & sub falso Monachorum nomine militare*. Eorum postulatis annuit *Frotarius* præmissis ad *Ludovicum Pium* Imperatorem litteris, ex quibus hæc refert *Mabillonius*, quem, si plura scire desideres, consulere poteris.

D. Cum Ecclesiæ Catholicæ multum splendoris conciliet doctrinæ Moralis integritas, præstat, ut sub finem nostri Colloquii paululum differamus de doctrina Morali, quæ nono Ecclesiæ sæculo obtinebat, necnon de legibus, quæ ad illius puritatem conservandam conditæ sunt.

M. Infinitus profecto essem, si omnes leges Ecclesiasticas, seu Sacros Canones, qui in Conciliis nono Ecclesiæ sæculo celebratis ad castimoniam Moralis Christianæ retinendam editi sunt, vellem in præsentia proferre in medium. Sat erit aliquas hic subjicere observationes, ex quibus nullo negotio percipies, quam illibata, incorrupta, & integra fuerit noni Ecclesiæ sæculi Ethices Christianæ doctrina.

Primum quidem generatim observare debes, omnes antiquos Canones, qui de vita, & moribus Clericorum, necnon de pœnis eisdem infligendis, quando se aliquo crimine, maxime luxuriæ, commaculassent, aureis primævæ Ecclesiæ sæculis conditi sunt, fuisse nono sæculo adamussim observatos. At enim *Hincmarus* Remensis Archiepiscopus, qui nono Ecclesiæ sæculo florebat, in Capitulis ad Presbyteros datis, an. DCCCLII. acriter eos perstringit, qui dicebant, non debere *Presbyterum*, vel *Diaconum de crimine confessum, sive convictum deponi, sed tantum suspendi, quia*, inquiebant, *sic possunt confessionem, & pœnitentiam, sicut & alii homines, facere: sed viderint*, prosequitur Hincmarus, *qualiter se a laqueo liberent, quo se innectunt, ponentes in cælum os suum, & loquentes adversus Sacros Canones, ut Leo dicit, spiritu Dei conditos, & totius Mundi veneratione consecratos; qui* (Canones) *sequentes Apostolicam doctrinam dicunt, in crimine detectos non oportere ad Ecclesiasticum gradum accedere, vel in Clericatu manere, vel ad Clericatum redire*. Quod etiam ibidem probat *Hincmarus* luculentissimis Romanorum Pontificum Leonis, Hilarii, Gelasii, Gregorii, & Sancti Augustini Episcopi testimoniis. De hac pœnitentia, cui nono sæculo, sicut & in aliis præcedentibus Ecclesiæ sæculis, Sacerdotes, & Clerici lapsi addicebantur, legendus est doctissimus *Joannes Morinus* in libro, quem edidit, *De pœnitentia*. Hunc rigorem antiquorum Canonum ad Sacerdotes pertinentium, quos Concilium etiam Tridentinum renovavit, præ oculis habere debent Presbyteri, ut vitæ, morumque probitate, tanti sacrificii, quod peragunt, etiam castis, etiam innocentibus, etiam Angelis tremendam sanctitatem magis, ac magis venerari discant, atque sollicite caveant, ne unquam ad illud illotis manibus, polluto animo, & libidinum suarum æstu flagrantes accedere præsumant, & cælestem illum panem indigne manducando sibi æternam damnationem accersant. Eam ob rem Patres Concilii Parisiensis sexti, quod sæculo nono, hoc est anno DCCCXXIX. habitum est, capite duodecimo primæ partis hanc auream Sancti Gregorii Magni Papæ sententiam Sacerdotibus ponit ob oculos: *Cum rerum necessitas exposcit, pensandum valde est ad culmen quisque regiminis veniat, atque ad hoc rite perveniens qualiter vivat, & bene vivens qualiter doceat, & recte docens, infirmitatem suam quotidie quanta valeat consideratione cognoscat*.

In castigandis Laicorum criminibus tam publicis, quam occultis, non minus severa erat noni Ecclesiæ sæculi disciplina. Publici siquidem criminis rei pœnitentia publica, juxta antiquos Canones mulctabantur, & qui pœnitentiam publicam agere detrectabant, excommunicatione feriebantur, iisque nec in exitu dabatur communio, nec post mortem eorum commemoratio inter defunctos fideles fieri solebat. Quo pacto autem Sacerdotes in imponenda pro peccatis occultis salutari pœnitentia se se in foro pœnitentiali gerere deberent, multa Concilia sæculo nono convocata certas, quas sequerentur, Regulas, eis præscripserunt, præsertim Concilium Cabilonense secundum indictum anno DCCCXIII. quod Canone trigesimo octavo jubet,

jubet, *modum pœnitentiæ peccata sua confitentibus, aut per Sanctarum Scripturarum auctoritatem, aut per Ecclesiasticam consuetudinem imponi debere, repudiatis ac eliminatis libellis, quos pœnitentiales vocant, quorum sunt certi errores, incerti Auctores, de quibus dictum est* (Ezechielis cap. 13.) Mortificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas, quæ non vivebant. *Qui dum pro peccatis gravibus leves quosdam & inusitatos imponunt pœnitentiæ modos, consuunt pulvillos, secundum Propheticum sermonem, sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas*. Adverte quæso, tres ab hac Synodo præscribi Regulas, quas in foro pœnitentiæ Sacerdotes seu Confessarii, sequi debent, & juxta eas judicare, ut pro modo criminum condignum imponant pœnitentiæ modum. Prima Regulam est *Scriptura Sacra*; Altera *antiquorum Canonum institutio*; Tertia est *Ecclesiæ consuetudo*. Jubet etiam eadem Synodus, ut repudientur omnino libelli quidam pœnitentiales vulgati id ætatis ab incertis quibusdam Auctoribus, qui leves pro gravibus peccatis imponentes pœnitentiæ modos, *faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas*. Vide ergo nunc, quantum a sanctissimis illis Regulis desciscant benigniores quidam Confessarii, qui de peccatis, & de pœnitentiis reis imponendis non judicant secundum Sacras Scripturas, secundum Canones, & consuetudinem Ecclesiæ, sed potius secundum quasdam, ut vocant, *Conscientiæ Summas*, quas multis corruptelis, & erroribus scientes consarcinarunt nonnulli moderni laxi casuistæ, qui nova morum præcepta condere, legem Christi mille ingeniosis distinctiunculis emollire, totamque, proh dolor! Christianæ Moralis puritatem corrumpere tentarunt novellis, & inauditis opinionibus de intentionis directione, de restrictionibus mentalibus, de palliandis usuris, simoniis &c. Quæ opiniones peccandi licentiam omnigenis hominibus permittunt, Sacerdotibus, Religiosis, Beneficiariis, Nobilibus, Famulis, Negotiatoribus, Judicibus, divitibus, egenis, homicidis, fœneratoribus, iisque iter salutis variis suavitatibus lævigatum, & cum vitæ deliciis copulatum mira arte ostendunt. Verum, quemadmodum Patres Concilii Cabilonensis secundi, ne Christianæ Moralis integritas aliquid damni nono Ecclesiæ sæculo pateretur, quosdam libellos pœnitentiales, *quorum erant certi errores, incerti Auctores*, proscripserunt, ita nostris temporibus Summi Pontifices prophana hæc dogmata, quæ latissimum ad omnia flagitiorum genera ostium referabant, Vaticanis fulminibus protriverunt, gliscentem luem reciderunt, illumque novarum in doctrina Morali opinionum torrentem abegerunt.

Denique, tot inter sanctissimas leges, quæ a Conciliis nono Ecclesiæ sæculo celebratis pro conservanda Moralis Christianæ Doctrinæ integritate institutæ sunt, hanc referre haud pigebit, quæ ad sacram Communionem cum fructu percipiendam summe necessaria est. Et ne discedamus a Concilio Cabilonensi secundo jam a nobis laudato, Patres illius Concilii Canone quadragesimo sexto sanciunt, discretionem *in Corporis, & Sanguinis Dominici perceptione* esse servandam, *ne, si nimium in longum differatur, in perniciem animæ vergat*, si vero *indiscrete* accipiatur, *bomo sibi judicium manducet, & bibat*. Prius ergo, *probare se* debere, *& sic de pane illo manducare, & de calice bibere*, sicut ait Apostolus, *ut videlicet abstinens aliquot diebus ab operibus carnis, & purificans corpus animamque suam, præparet se ad percipiendum tantum Sacramentum, exemplo David, qui, nisi se fassus fuisset abstinuisse ab opere conjugali ab heri, & nudiustertius, panes propositionis nequaquam a Sacerdote accepisset*. Ad hanc sapientissimam Regulam a Patribus Concilii Cabilonensis II. statutam si animum tantisper adverterent animarum Rectores, nulli deinceps, mea quidem sententia, reperirentur Confessarii, qui Peccatores a nefandis adhuc abominationibus recentes, interposita solius Peccatorum confessionis mora, præproperaque data absolutione, ad sacratissima Mysteria ipsis Angelis tremenda statim propellerent, sed illos potius, ut par est, a sacra Communione Corporis, & Sanguinis Domini arcerent, donec sinceram ac sceleribus condignam satisfactionem peregissent.

D. Paulo durior ac ridigior mihi videtur hæc Moralis doctrina. Numquid enim, ut mihi nuperrime dicebat quidam Casuista non indoctus, numquid, inquam, confessio eluit omnia peccata? nunquid quivis, etiam sceleratissimus, ab impietate ad pietatem puncto temporis traduci potest? quorsum ergo non poterit peccator delicta sua brevissimo licet interjecto temporis intervallo confiteri, & post acceptum a Sacerdote absolutionis beneficium, ad sacram Communionem abjecta omni cunctatione accedere?

M. Bona verba quæso: hæc Doctrina Moralis, quæ constanti Patrum traditione, & perpetua Ecclesiæ Catholicæ praxi nititur, nec durior, nec rigidior tibi videri debet. Fateor quidem, ut elegantissimis verbis utar cujusdam Anonymi Scriptoris, fateor, inquam, quemvis sceleratissimum ab impietate ad pietatem puncto temporis traduci posse, omissisque tot moris, & conditionibus, repente reconciliationi idoneum fieri; assentior etiam id aliquando contigisse. Verum ad illa exempla cum S. Bernardo respondeo, non tam exempla esse, quam miracula in ipso gratiæ statu, qui totus per se miraculis constat. Mutationis illæ sunt dextera excelsi; inusitata misericordiæ divinæ nullis subjectæ legibus opera; quibus solemnes leges non sunt perturbandæ. Has enim ad maxime vulgarem ordinem expendi convenit: quemadmodum medicinæ institutione familiari naturæ cursu diriguntur. Conversiones autem, & motus in hominum animis ita celeres gratia efficere non solet. Divinus quidam dies est, ut præclare ait Magnus Gregorius, hic itidem, ut ille naturæ habet diluculum, habet progressum; sensim ac pedetentim augescit, ac crebrescente luce mentium noctem tenebrasque depellit. Novus homo

sicut

sicut & vetus non repente fingitur, rudiores habet progressus, nec nisi longo post tempore nascitur. Est igitur cur prudens animarum Rector vehementius pertimescat, ne abortiones tantum præpropera illa festinatione procuret: est cur vereatur, ne quandoque a Deo arguatur, quod in spirituali animarum generatione eo modo se gesserit ac corporis mater, quæ, ut primam prægnantem sentiat, fœtum excutere conatur quo citius vitæ ac lucis particeps fiat, naturalique custodia liberetur. Sic prorsus nonnulli Sacerdotes sibi adversus peccatores benigni videntur, si eis præcipiti absolutione vincula relaxent, eosque per Sacramenta quasi in lucem edere properarint: nec attendunt, inconsultæ illius matris instar, primam se in ipsis exorientis vitæ scintillam obruere; qui si gratiæ solitum cursum tenuissent, eosque via ac ratione ab Evangelio præscripta, hoc est, precibus, jejuniis, eleemosynis, aliisque piis operibus ad perfectiora pœnitentiæ studia paulatim evexissent, procedente tempore ad veram eos ac solidam conversionem perducere potuissent. Sed præstat ut auscultemus S. Thomam, qui dispositiones ad gratiam sanctificantem, seu veram cordis conversionem juxta usitatum seu ordinarium cursum nonnisi per tempus in animum a Deo immitti diserte asserit, & subitas illas conversiones miraculis accenset. *Contingit*, inquit Angelicus ille Doctor 1. 2. quæst. 112. art. 1. ad 2. *quandoque quod Deus movet hominem ad aliquod bonum, non tamen perfectum, & talis præparatio præcedit gratiam. Sed quandoque statim perfecte movet ipsum ad bonum, & subito Gratiam homo accipit, secundum illud Joannis c. 6. Omnis qui audit a Patre, & didicit, venit ad me. Et ita contigit Paulo, qui subito cum esset in progressu peccati, perfecte motum est cor ejus a Deo audiendo, addiscendo, & veniendo, & ideo subito gratiam consecutus*. Et ibidem quæst. 113. art. 10. in quo quærit, *utrum justificatio impii sit miraculosa?* inquit. *Est communis, & consuetus cursus justificationis, ut Deo movente interius animam, homo convertatur ad Deum: primo quidem conversione imperfecta, ut postmodum ad perfectam deveniat: quia charitas inchoata meretur augeri ut aucta mereatur perfici, sicut Augustinus dicit. Quandoque vero tam vehementer Deus animum movet, ut statim quamdam perfectionem justitiæ assequatur, (sicut fuit in conversione Pauli) adhibita etiam exterius miraculosa prostratione: & ideo conversio Pauli tanquam miraculosa in Ecclesia commemoratur celebriter*. Hanc eximiam S. Thomæ doctrinam si tantisper expendere haud graveris, facile intelliges, quid sentiendum sit de præfestinatis illis gravissimorum Peccatorum conversionibus, & quam necessario in dispensandis Christi Mysteriis hæc adhibenda sit cautio, iis nimirum absolutionem procrastinare, & sacram Communionem denegare, qui iteratis lapsibus firmum sibi vitæ in melius commutandæ propositum non adesse fidem faciunt, falsoque putant, se brevi aliquot horarum spatio a flagitiosa vita ad veram, & sinceram cordis conversionem pervenire posse. Non eo tamen hæc dico, quasi totam pristinæ Ecclesiæ severitatem censeam revocandam. Hoc unum tantum affirmo, severam, nimiumque rigidam dici non debere hanc praxim, quæ per duodecim Ecclesiæ sæcula viguit, quæque etiamnum, teste S. Carolo *Borromæo* Act. p. 4. Instruct. Conf. pag. 767. securam inveteratis peccatoribus indicat vitam, qua ad cognitionem, dolorem, & sinceram Peccatorum detestationem perduci possint. Sæpe ipse audivi egregios Concionatores graviter, & merito conquerentes, quod deploratis Peccatoribus scatet, & premitur Orbis Christianus, quod omnes sub Paschatis tempus peccata confitentur, sed Festo peracto ad vomitum redeunt, nullaque prorsus in ipsis mutatæ in melius vitæ vestigia comparent. Hoc unum huic gliscenti malo remedium, hæc una omnis emendandæ Christianorum vitæ certissima via est, firmitas Sacerdotum ad ejusmodi peccatores a sacris Mysteriis, quibus se indignos præbent, removendos, donec resipuerint, & ad sedulam vitæ correctionem operam contulerint.

D. Lubentissime nunc Palinodiam decanto, & Moralem doctrinam, quæ antehac durior, ac rigidior mihi videbatur, de removendis scilicet a sacris Mysteriis peccatoribus, qui per multos annos in eadem scelera prolapsi, existimant, se post unam aut alteram horam ad percipiendam absolutionem, & sacram Communionem esse satis superque præparatos, obviis, ut ajunt, ulnis excipio, eique utroque pollice subscribo, maxime cum utilissimum suppeditet remedium adversus iteratos lapsus, quod ni adhibeatur, peccatores, ut optime observasti, statim redeunt ad vomitum, sicque eorum emendandæ vitæ omnis via eripitur.

Finis Tomi Tertii.